LERMA, Cosme de (O.P.)

Cursus philosophici / per R.P.Fr. Cosmam de Lerma, Ordinis Praedicatorum... ; tomus V posthumus... -- Hanc aeditionem... Virgini Mariae, dicat, et consecrat... Fr. Petrus Diaz de Cossio. -- Matriti : Ex Typographia Regia, 1666

[16], 286 [i.e. 284], 280 p., @8, A-R8, S6, A-R8, S4 ; 4°

Port. con anagr. xil. de la Orden de Predicadores. -- Texto a dos col. -- Error de pág., de p. 270 pasa a 273 en el cuaderno de 286 p.

1. Filosofía 2. Filosofia I. Díaz de Cossio, Pedro (O.P.), contrib. II. Título

R-5853 Enc. perg., deteriorada

[illegible] Paludo & Angelo dicit Cajetanus. Ita Molina, & post illum Bonacina *de contract. disput. 2. quæstion. vltim. sect. 1. punct. 10. numer. 1.* & ratio est, quia in tali casu inuasor non solùm rem aufert, sed etiam magnam infert contumeliam, quæ potest per vim repelli.

Verùm has sententias ego non approbo, nimis enim laxæ videntur; quis enim concederet pro vno, vel duobus aureis vitam hominis licitè eripi posse? Nam licèt te tuaque tuendi *ius* habeas, conferendum tamen est damnum quod tibi caues, cum illo, quod das, quamuis innocentis conditio meliorsit. Dico ergo cum Strouersdorf *de iustit. & iure, in 2. 2. D. Thom. quæstion. 64. artic. 7. conclus. 3.* & alijs, rem propter quam aliter interficiendus est, debere esse magni momenti vel ex se, vel in suo pretio, vel ex suo consequente, alioquin iniquum esset valde pro re parua eripere vitam hominis. Si tamen, ait Lessius *lib. 2. capit. 9. dub. 11. num. 68.* verteretur tibi probro, nisi rem minimam fumi extorqueas, tunc posses conari, & si opus esset occidere, tunc enim non tam rei, quàm honoris esset defensio.

Ita ille, qui cita Sotum.

docet, quod [illegible] non teneatur [illegible]
tione innocentis, [illegible]
tam suam per mortem alterius. Ergo neque alienam. Aliqui tamen limitant hanc sententiam, videlicet quando persona defendenda non esset maximè necessaria Reipublicæ, vel Princeps, vel proprius pater, mater, frater, filius, vxor: nam pro his defendendis non solùm liceret, sed etiam teneretur quis occidere inuasorem; & hoc etiam asserunt, quando ex officio promisso, aut contractu obligatur quis ad custodiam proximi: & ita ex Aretino & Suarez docet Malderus *in 2.2. tract.3.cap.1.dub.15.*

Sed dices, quid si inuasus cedat iuri suo? Respondet Malderus *vbi suprà*, posse adhuc licitè occidi inuasorem proximi, cùm enim non sit dominus vitæ suæ, possum etiam eo inuito velle custodire, tanquam mandatarius Domini, qui vnicuique mandauit de proximo suo. Idem docet Tannerus *tom.3. disput.4.quæstion.8.dub.4.numer.80.* sed limitatur hæc opinio, nisi inuasus seriò dicat se nolle defendi, sed velle potius mori, quàm occidatur inuasor in peccato mortali.

# CVRSVS PHILOSOPHICI.


PER

R.P.Fr. Cosmam de Lerma, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistrum, & S. Inquisitionis Censorem Collecti, ex doctrina sapientissimi M.F. Dominici de Soto, eiusdem Ordinis.

## TOMVS V. POSTHVMVS

Tres libros de Anima, seu ente mobili animato complectens

*HANC ÆDITIONEM SACRÆ DEIPARÆ, semperque Virgini Mariæ, dicat, & consecrat, humilis seruus Fr. Petrus Diaz de Cossio.*



Anno 1666.

Cum licentia Matriti, Ex Typographia Regia.

# LICENCIA DE LA ORDEN.

*Fr. Ioannes Baptista de Marinis, Sacræ Theologiæ professor, Ordinis Prædicatorum, humilis Magister generalis, & seruus.*

HARVM serie, nostrique authoritate officij, facultatem concedimus, R. P. Fr. Pedro Cosio, Prouinciæ nostræ Hispaniæ: vt seruatis seruandis, possit iterum prælo mandare libros de Generat. & Anima. P. M Fr. Cosmæ de Lerma, iuxta formam, & correctionem impressionis eorũdem librorum Romæ factam: mandantes in virtute Spiritus Sancti, sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto, omnibus nostris inferioribus, tam Prælatis, quam subditis, ne hanc nostram concessionẽ impediant, seu prædicto Patri, quoad hoc; præiudicium aliquod inferre audeant. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amẽ. Datis Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ super Mineruam, die tertia Februarij, 1666.

*Fr. Ioannes Baptista de Marinis,*
*Magister Ordinis.*

*Fr. Antonius Gonzalez,*
*Magister, & socius.*

## *Censura R. P. Fr. Andreæ Ferrer à Valdecebro, in Sacra Theologia Præsentati, ac Theologiæ Lectoris, &c.*

IERMA semper aliquid noui, cum Olim de Aphuca Circi spectatores dixere R. A. P. M. F. Cosmæ de Lerma, post absoluta in Logices, Phisices, &c. cómentaria, en feracissimo ingenio elaboratum, in libros de anima commentum, & licet non in hoc vnius operis faber, in omni opere suo, semper vnicus, semper aliquid noui. Mille animas induit hoc mirificum de Anima commentum. Tanta enim dexteritate mentis, quæstiones cymerijs obductas tenebris soluit, vt non Cosmas, sed alter Thomas videatur, non viuit proh dolor nũquam sic amara mors, quando è medio eum fatalis necessitas abstulit, sed in euum viuit, & fama posthuma in tam elaboratis monumentis viuet, &c.

Semper honos nomenque suum, laudesque manebunt, ergo commentum hoc de suppremi, ac Regij Senatus mandato. Summa cum legi animi voluptate, in quo nullus est locus cespitandi, ne dum illabendi ed eum, tãquam ad Alcybiadis faciem, mentis speciem, Hermas conflare debemus. Seueriſsimè enim doctrinæ, semitas omnibus aperit, & in offenso pede, quas possint percurrere vias demonstrat. Sic sentio, saluo, &c. In hoc Matris Dei Complutensi Cœnobio Kalendis Ianuaij, anno a salute mundi. 1666

*Fr. Andræas Ferrer*
*à Valdecebro.*

*Appro-*

## *Approbatio R. adm. P. Magistri F. Mauritij de Leçana, quondam Regentis insignis Collegij D. Gregorij Vallisoletani, & Coronæ Aragoniæ, Ordinis Prædicatorum Provincialis.*

IVSV, & commissione Dñi Doctoris Didaci Alaiça, has posthumas lucubrationes in libros de anima Auctore Sap. P. Magistro Fratre Cosma de Lerma) nõ ineingenti animi voluptate perlegi, in quibus nihil idei, nec bonis operibus disonum, sed eas potios vberrima, veraque doctrina ex Principibus Philosophiæ, & Theologiæ, Aristotile, & Angelico Præceptore deprompta, referras inveni: eas ergo iudicaui vtiles, non solum adolescentibus adiscentibus, claritatis causa, verum Sapientiæ ratione Magistris docentibus, non solum Philosophis, sed etiam Theologis (omnibus enim tantus Magister adhuc in posthumo lucem præbet) dignasque, vt in communem vtilitatem typis mandentur. Datis in Regali Conuentu Sanctæ Mariæ de Atocha, die septima Martij 1666.

*Frater Mauritius*
*de Leçana.*

## *Licencia del Vicario.*

NOS el Doctor Don Diego Laez Alaiça, Canonigo Doctoral de la santa Iglesia de Toledo, y Vicario de esta villa de Madrid, y su partido, por el Eminentissimo señor Don Pasqual de Aragon, Cardenal de la santa Iglesia de Roma, del titulo de santa Balbina, Arcobispo de Toledo, Primado de las Españas, mi señor. Por la presente, y por lo que a nos toca, damos licencia, para que se pueda imprimir, è imprima el libro intitulado *Cursus Philosophici, quinto tomo posthumo de Anima.* Compuesto por el Reuerendissimo Padre Maestro Fray Cosme de Lerma, de el Orden de Predicadores. Atento por la censura desta otra parte consta, y parece no auer en el cosa alguna contra nuestra Santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dada en Madrid a ocho de Março, de mil y seiscientos, y sesenta y seis.

*Doct. Don Diego*
*de Alaiça.*

Por su mandado.

*Iuan Aluarez de Llamas*
*Notario.*

---

## *Suma de la Licencia.*

LOS Señores del Consejo dieron licencia al Conuento de san Pablo, Orden de Predicadores de la ciudad de Burgos, para que por vna vez pueda imprimir el quinto tomo de Artes, que compuso el Padre Cosme de Lerma, que fue de la dicha Orden, como mas largo consta de su original, a que me remito.

*Erra-*

## *Erratas.*

FOl. 48. lib. 2. ad hic, lege adhuc, idem lin. 3. diffictius, lege diffusus, idem lin. 4. non immutatum, lege non est immuratio, idem lin. 11. per, ctiua, lege perfectiua. fol. 73. lin. 18. siue sonsitiua, lege siue sensitiua, fol. 221. lin. 40. organu, lege organum.

Hic liber inscriptus tres libros de Anima, seu de ente nobili animato complectens, tomus 5. &c. demptis his mendis suo exemplari antea excusso fideliter respondet. Dat. Matriti die 10. mens. Martij, anno 1666.

*Lic. D. Carolus Murcia de la Llana.*

---

## *Suma de la tassa.*

EN trece de Março de 1666. años, los señores del Consejo tassaron este libro *Cursus Philosophici*, que compuso el P. F. Cosme de Lerma, de la Ordē de Predicadores, a cinco mrs. cada pliego, y parece tiene setenta pliegos, sin principios, ni tablas, que al dicho respeto monta trecientos y cinquenta marauedis. Y à este precio mandaron se venda, como mas largo consta de su original, &c.

# Lectori.

POrrigitur tandem cursus Philosophici complementum, ò Lector. Ne defessum metam attingere non potuisse authorem putes; inuida mors auferre est innixa brauium, sed dedit, etsi enim anima hæc lucem intuetur corporis vinculo resoluta, intellectus vincula facilius soluet. Absit vero vt partum hunc vipereum arbitreris, dum parentis nece vitam adipiscitur; Aquilæ potius, quæ in solem suum Aquinatem, continuo fingens obtutum, ab illo ad veritatis principium eò securius quo perfectius rapitur contemplandam. Cou mortis igitur laruam non timebis, dum solis comitatu progrediens errorum vmbras expellet, nec te syderi huic fulgentissimo hostem poteris declarare, nisi deficientis Lunæ amicum denuncies. Vale, & quem in te prodigum iuuandi animo cognouisti, eius animæ non eris retributionis auarus.

IN

# INDEX QVAESTIONVM, QVÆ IN HOC Tomo continentur.


## LIBER I.

Quæstiones Proemiales, pag. 1.

Quæstio 1. An anima, an potius ens mobile animatum, sit obiectum attributionis quod in his libris. 2.

Quæstio 2. An anima rationalis sit pars subiectiua bicti philosophiæ naturalis, itaut ad ipsam pertineat de ea vertractare. .:

Quæstio 3. An tractatus iste præstet cæteris, cor itu line, dignitate, & vtilitate in philosophia? 9.

## LIBER II.

Quæsti 1. Quanta fuerit varietas inter primo Philosophos, quantaque absurditas assignanda animæ quidditate, pag. 13.

Quæstio 2. An anima sit in genere substantiæ, an vero in genere accidentis. 20.

Quæstio 3. Vtrum anima sit corpus, & per quid constituatur ratio corpori , pag. 22.

Quæstio 4. An anima sit substantia simplex, an vero compsita, ex materia, & forma, 31.

Quæstio 5. An anima sit in linea actu , & an sit actus primus, vel secundus, & an informans, an tantum mouens, pag. 36.

Quæstio 6. An anima sit actus corpori physici organici, potentia vi hab ntis, 42.

Quæstio 7. In quo consistat ratio vitæ, tam substantialis, quam accidentalis, pag. 47.

Quæstio 8. Quibus competat vita, & quomodo Deo, Angelis, speciebus intentionalibus, & habitibus conueniat, & an vniuoce dicatur de vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, 61.

Quæstio 9. Duplex diffinitio animæ traditur, & an sit vera veraque: essentialis, bona, & adæquata inquiritur: & an de anima intellectiua verificetur. 65.

Quæstio 10. An diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam sit adæquata, & an generis in species. 72.

Quæstio 11. An possit dari vita purè vegetatiua in aliquo animato, sine sensitiua, & an plantæ sentire possint? 76.

Quæstio 12. An gradus viuentium sint tantum quatuor, scilicet, vegetatiuum, sensitiuum, loci motiuum, & intellectiuum? 80.

Quæstio 13. An possint isti gradus identificari in anima, & quomodo gradus superior contineat inferiorem. 84.

Quæstio 14. An omnes animæ sint indiuisibiles, entitatiue, vel quales illæ sint? 90.

Quæstio 15. An anima singulas partes corpori animati informet, quæ sunt de integritate substantiali, & sub qua ratione informentur ab anima. 99.


Quæ-

Quæstio 16. An animæ diuersæ speciei possint esse eiusdem perfectionis essentialis. 110.

Quæstio 17. An anima sit perfectior simpliciter animato, & forma substantialis composito. 115.

Quæstio 18. Vtrum potentiæ vitaliter operatiuæ distinguantur realiter ab anima, ita vt nec de potentia Dei absoluta possit anima immediatè operari. 120.

Quæstio 19. Vtrum animæ potentiæ specificentur per actus, & ipsi actus per obiecta, & qua ratione ex distinctione formali obiectiua, possit colligi realis distinctio potentiarum animæ pagin. 130.

Quæstio 20. Vtrum potentiæ animæ dimanent verè, & propriè ab ipsa tanquam à principio, & quo ordine? 154.

Quæstio 21. In quo sint potentiæ animæ tanquam in subiecto. 160.

Quæstio 22. An potentiæ vitales, sint separabiles ab anima, & à coniuncto, & an ex inseparabilitate colligatur indistinctio realis? 162.

Quæstio 23. quot sint genera potentiarum animæ? 164.

Quæstio 24. quot sint potentiæ animæ vegetatiuæ, & an specificè, & realiter distinguantur inter se. 168.

Quæstio 25. An potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua distinguantur a calore naturali, & à temperamento primarum qualitatum. 173.

Quæstio 26. quomodo sint diffinendæ istæ tres potentiæ, & in quo subiecto resideant. 177.

Quæstio 27. Vtrum potentia generatiua, sit perfectior nutritiua, & augumentatiua, & finis earum, & qua ratione generatio sit naturalissimum opus viuentium. 179.

Quæstio 28. quid sensus sit, & an sit potentia actiua, vel passiua. 184.

Quæstio 29. Vtrum sensus externi sint tantum quinque. 191.

Quæstio 30. An sensus externi sint reflexiui, & possint sentire suas sensationes. 194.

Quæstio 32. An sensus externi formentidolum, an autem terminentur ad obiectum ad extra in se. 196.

Quæstio 32. An sensus externi existant, & denudati a sensibilium natura, pag. 199.

Quæstio 33. An solum singularia materialia, & corporalia sint sensibilia a sensibus externis, ita vt neque de potentia absoluta possit sentire sensus, aliquid spirituale. 201.

Quæstio 34. An obiectum non extensum repugnet attingi a sensu externo, ac proinde repugnet corpus pus Christi sub Eucharistia videri ab oculo corporeo. 206.

Quæstio 35. An etiam implicet sensibile non præsens physice sentiri a sensibus externis. 28.

Quæstio 36. Vtrum sensibile positũ supra sensũ possit mouere, & terminare sensationem, aut sẽsus eam circa sic positũ sẽsibile elicere. 212

Quæ-

Quæstio 37. An vehemens sensibile, & excellens lædat, & corrumpat sensum? pag. 215.

Quæstio 38. quid sit sensibile proprium commune, & peraccidens? & an diuisio sensibilis externi in illa tria sit bona, & adequata? 221.

Quæstio 39. An sensibile commune, aut peraccidens propriam speciem mittant in sensum diuersam ab illa quam mittit sensibile proprium. 224.

Quæstio 40. An diuisio sensibilis communis in quinque illa, motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem sit bona, & adæquata. 228.

Quæstio 41. An sensus possit decipi circa proprium sensibile, vel circa qua? pag. 229.

Quæstio 42. Vtrum dentur species intentionales, & an ad omnem cognitionem sint requisitæ, & quid sint. 237.

Quæstio 43. quid sit causa effectiua specierum tam sensibilium, quam intelligibilium. 244.

Quæstio 44. quid sit causa materialis ex qua educuntur species. 249.

Quæstio 45. An species sint indiuisibiles, vel diuisibiles, tam secundum esse entitatiuum, quam repræsentatiuum, & intentionale. 252.

Quæstio 46. An obiectum perfectiori modo sit in specie quam in se ipso. Et an species impressa sit formalis, an tantum virtualis similitudo obiecti, pag. 254.

Quæstio 47. An species impressa secundum esse intentionale sit eiusdem numero naturæ cum obiecto, vel saltem eiusdem speciei. 265.

Quæstio 48. quomodo potentia cognoscitiua fiat obiectum cognitum media specie repræsentatiua. 268.

Quæstio 49. An species impressa quatenus in se continet obiectum, effectiuè concurrat ad formationem notitiæ, & quomodo. 270.

Quæstio 50. quid sit perspicuum, quid color, quid lumen. 1.

Quæstio 51. Vtrum lumen sit substantia, an qualitas, & an naturale, an intentionalis, & habens vicem speciei respectu colorum, vel an distinguatur ab illis. 6.

Quæstio 52. An lux non solum ex parte medi sed etiam ex parte obiecti colorati requiratur vt sit visibilis. 15.

Quæstio 53. An sensus sit perfectior inter quinque externos sensus, & in qua parte residcat organum, & sensorium visus. 20.

Quæstio 54. An fiat visio per extramissionem oculorum, an per intramissionem tantum specierum, & actus immanentis. 22.

Quæstio 55. quod sit sonus, quid etiam sonorum, & quomodo generetur echo, pag. 23.

Quæstio 56. De essentia, & veritate vocis, & de instrumentis quibus formatur. 34.

Quæstio 57. De subiecto physico sonu, pag. 36.

Quæ-

*Quæstio* 58. *quomodo deferatur sonus vsque ad auditum tam in esse reali, quam intentionali.* 38.

*Quæstio* 59. *De organo auditus, eiusque structura, & compositione,* 658.

*Quæstio* 60 *quid sit odor, & quomodo generetur.* 42.

*Quæstio* 61. *Quid sit proprium medium odoris, & quomodo immutet sensum, pag.* 47.

*Quæstio* 62. *quid sit organum odoratus, & in qua parte, resideat iste sensus, pag.* 49.

*Quæstio* 63. *An homo sit deterioris olfactus inter alia animalia, & an olfactus diuersæ speciei in respirantibus, & non respirantibus.* 50.

*Quæstio* 64. *quid sit sapor, quotq. eius species, & an gustus sit quidam tactus.* 51.

*Quæstio* 65. *quid sit medium, & sensorium gustus, pag.* 54.

*Quæstio* 66. *Per quid constituatur sensibile proprium tactus, & an exuperantia requiratur in aliqua qualitate, pag.* 55.

*Quæstio* 67. *Vtrum sensibile tactus debeat sen um immutare tantum naturaliter, & per species ex se immissas.* 58.

*Quæstio* 68. *An qualitates tangibiles perceptibiles à sensu tactus sint illæ, quæ sunt in obiecto phisice, an quæ in ipso sensu, an quæ in vtroque.* 60.

*Quæstio* 69. *quodnam sit medium, & organum tactus,* 61.

*Quæstio* 70. *Vtrum sensus tactus in animali sit vnus secundum speciem athomam.* 63.

*Quæstio* 71. *An præstantia tactus in homne arguat excessum ingenii in ipso.* 65.

*Quæstio* 72. *An sit, & quid sit sensus internus, vt distinguitur ab externo, & an sit tantum vnus sensus internus, vel quot sint.* 66.

*Quæstio* 73. *Quibus speciebus vtantur sensus interni, & an ad eas causandas sit constituendus sensus internus agens pag,* 79.

*Quæsti* 74. *An sensus interni sint reflexiuè cognoscitiui suarum operationum, an componant, & diuidant, & an solum obiectum præsens attingant,* 84.

*Quæstio* 75. *An detur sensus communis distinctus à sensibus aliis internis, & externis, & quodnam sit eius obiectum, & de somno, pag.* 87.

*Quæstio* 76. *De existentia, & quidditate aliorum sen uum internorum, deque eorum subiectis, actibus, & obiecti, pag.* 91.

*Quæstio* 77. *De existentia, & quidditate appetitus sensitiui, & an sit distinctus à sensibus, & appetitu rationali, pag.* 95.

*Quæstio* 78. *An appetitus sensitiuus immediate diuidatur, in irascibilem, & concupiscibilem tamquam in potentias realiter distinctas.* 97.

*Quæstio* 79. *Vtrum potentia locomotiua sit distincta ab appetitiua, & apprehensiua, & an sit actiua, & vitalis, pag.* 101.

## LIBER III.


*Quæstio* 1. *An detur anima rationalis in rerum natura, a quo producatur, & quomodo.* 100.

*Quæstio* 2. *An anima rationalis sit spiritualis, & incorporea, & per se subsistens, & quomodo homo subsistat subsistentia animæ.* 109.

*Quæstio* 3. *An anima rationalis dum unitur corpori sit forma, non tantum, vt est vegetatiua, & sensitiua, sed etiam vt rationalis est.* 111.

*Quæstio* 4. *Vtrum omnes animæ rationales sint eiusdem perfectionis individualis, & vnde sumatur principium eas individuandi, & anima fœminæ, an substantialiter differat ab anima masculi.* 117.

*Quæstio* 5. *An omnis substantia immaterialis eo ipso sit intellectiua.* 122.

*Quæstio* 6. *Quod sit obiectum formale adæquatum nostri intellectus.* 126.

*Quæstio* 7. *Quæ obiecta non cognoscat intellectus directè pro hoc statu vbi de singulari, de infinito, de ipsa intellectu, eiusque habitibus, & speciebus, & ipsa anima, vt cognoscibili, pag.* 137.

*Quæstio* 8. *An sit, & quid sit intellectio, an autem actio de prædicamento actionis.* 148.

*Quæstio* 9. *Vtrum de potentia absoluta Dei possit intellectus intelligere per intellectionem non elicitam à se, sed solum ab extrinseco causatam, & illi vnitam.* 152.

*Quæstio* 10. *An detur verbum mentale, & an sit necessarium, & quid illud sit, pag.* 155.

*Quæstio* 11. *Vtrum verbum mentis distinguatur ab intellectione, & specie intelligibili* 156.

*Quæstio* 12. *An verbum mentis terminet intellectionem, vt quod intelligitur, vt quo tantum intelligitur vt obiectum pag.* 160.

*Quæstio* 13. *An verbum mentis producatur intellectione, vt dictio est, & an dictio sit actio distincta ab intellectione.* 161.

*Quæstio* 14. *An omne intelligens, eo ipso quod intelligit, in omni intellectione formet verbum.* 163.

*Quæstio* 15. *An sit intellectus, & quid intellectus possibilis: & an sit vnus respectu omnium intelligentium.* 166.

*Quæstio* 16. *An detur memoria intellectiua realiter distincta, ab intellectu, & in qua parte intellectiua sit.* 170.

*Quæstio* 17. *An intellectus, & ratio, speculatiuum, & practicum, ratio superior, & inferior, synderesis, & conscientia sint facultates intellectiuæ omnino, distinctæ.* 174.

*Quæstio* 18. *An sit necesse ponere intellectum agentem distinctum ab intellectu possibili, & an sit perfectior illo pag.* 179.

*Quæstio* 19. *An phantasmata sint causa instrumentalis specierum intelligibilium, & intellectus agens*

agens sit causa principalis, & quo modo illustret phãtasmata, & abstrahat species, 183.

Quæstio 20. An supposito intellectu debeat necessario concedi voluntas in nobis, & an hæc realiter distinguatur ab intellectu. 189.

Quæstio 21. An voluntas sit potentia simpliciter nobilior, & perfectior quam intellectus. 194.

Quæstio 22. An sit in nobis liberum arbitrium, & quid illud sit. 201.

Quæstio 23. An liberum arbitrium sit potentia, vel habitus, vel an in vna potentia, an in pluribus consistat, vag. 204.

Quæstio 24. An sola voluntas sit formaliter libera, & intellectus tantum radicaliter liber, & an possit necessitari voluntas, stante iudicio indifferenti intellectus. 208.

Quæstio 25. Quæ indifferentia requiratur in voluntate ad libertatem, & an libertas sit denominatio extrinseca. 213.

Quæstio 26. An saluetur vera libertas voluntatis, si hæc operetur, vt necessario determinata ad vnum, & solum non coacta. 215.

Quæstio 27. Vtrum voluntas mouendo quoad exercitium potentias inferiores aliquid intrinsecum imprimat, siue sit qualitas, siue sit motio, & quæ potentiæ subdantur tali motioni. 219.

Quæstio 28. An status separationis violentus sit animæ rationali, an vero naturalis, aut præternaturalis. 228.

## APPENDIX.

Quæstio 29. Vtrum anima separata habeat innatam, & positiuam inclinationem ad corpus, & ad vnionem cum ipso. 232.

Quæstio 30. An anima separata secũ ferat species, & habitus huius vitæ, & potentias, & quænam ea sint quæ ex hac vita in illum vsque statum eam committantur. 235.

Quæstio 31. An animæ separatæ ex vi separationis infundantur nouæ species vel solum insint illæ, quas ex hac vita defert. 241.

Quæstio 32. De cognitione, & modo cognoscendi animæ separatæ. 243.

Quæstio 33. Quodnam sit obiectum proportionatum intellectus animæ separatæ, & ad quæ obiecta materialia attingenda possit extendi, & quo modo? & an anima separata sit diuersæ speciei ab Angelo, 249.

Quæstio 34. De motu locali animæ separatæ, 260.

Quæstio 35. An esse animam rationalem immortalem sit de fide, & de mente Arist. & ratione naturali, demonstrari possit, 266.

COM-

## SVMMA TEXTVS ARISTOTELIS.

1 VT breuitati consulatur, & reliquatur locus disputationibus, quæ hoc tempore in scholis agitantur inter Philosophos, libuit textum Aristotelis breuissimis constringere, nam qui ipsum callere desiderat, habet D. Thomam vbi satiari facile poterit.

2 Ergo in primo libro Aristoteles hæret solum proæmiali doctrinæ. Diuidit illum in quinque capita: In primo captat beneuolentiam, vtilitatem doctrinæ commendat, difficultatem exaggerat, dignitatem extollit, & sensim trahit animos addiscentium, vt eius doctrinæ capiendæ auidissimè insistant. In secundo autem sicut in reliquis vsque ad finem (vt viam sternat ad tradendam legitimam diffinitionem animæ, & ad eius quidditatem verius exponendam) remouet prauam dispositionem intellectus detegendo errores, quos circa hoc passi sunt prisci Philosophi, qui potius delirare, quã philosophari videantur. Ibi Democriti, Leucippi, Anaxagoræ, & Pythagoræ errata corrigit, & fundamenta extirpat, & quidquid alij Philosophi, circa principia entis animati, minus bene docuerunt, mira dexteritate, & argumentorum acrimonia relegat.

3 In secundo libro non est concors sententia, in quot capita eum diuiserit Aristoteles: Arabes enim vsque ad quindecim capita protrahunt librum secundum, & initium tertii desumunt ex eo capite quo Aristoteles incipit agere de anima intellectiua. At Græci ad duodecim capita restringunt librum secundum; sed immerito, quia ordo ipse doctrinæ, in quo obseruando semper mirabilis fuit Aristoteles, postulat, vt non interrupto filo doctrinæ prius tractetur de anima vegetatiua, & sensitiua, & postea alius liber incipiat ab anima intellectuali, quam quod secundo libro imponatur finis post quinque sensus externos; & in tertio initium sumatur à sensibus internis, & simul pertractetur de anima intellectiua. Imò, & Aristoteles ipse insinuat satis apertè diuisionem Arabum; nam postquam tradidit doctrinam attinentem ad sensus internos, gradum facit, & proæmiolum, quo de nouo aggreditur tractatum de anima intellectiua. Quod si D. Thomas in commento diuidit libros secundum opinionem Græcorum, obstare non potest, quia tunc temporis ea diuisio erat communiter recepta, quam noluit immutare: sicut nec exponendo immutauit ordinẽ quem obseruauit magister; licet

cet in ſumma Theologiæ mutauerit ſtilum, & partitionem eligendo aptiorem ordinem.

4 In libro igitur ſecundo, duodecim capitibus tractat Ariſtoteles de quidditate, & diffinitione animæ in commun; de gradibus viuentium, de diuiſione animæ: & in particulari de anima vegetatiua, & ſenſitiua, de earumque potentijs, obiectis, & operationibus.

5 In tertio libro agit de anima intellectiua, eiuſque potentijs; de intellectu agente, & poſsibili; de appetitu; de vi motiua, ſeu potentia loco motiua: quod, & præſtat per decem capita.



LIBER

# LIBER PRIMVS.

## Quæstiones Procœmiales.

*NE expositio huius libri strepitu opinionum, quæ cum sunt incredibiles, fiat inaccessibilis, si in eis refutandis immoremur, quæ circa principia entis animati finxere philosophi, qui Aristotelem præcesserunt, nihil ratione fultum afferentes: sed tantum ex cerebro suo effutientes quidquid veniebat in buccam, cum tamen eorum ingenia essent cimmeriis tenebris inuoluta: ideò his relictis consultò statui vnica tantum disputatione, ea prælibare, quæ hac ætate disputationem subeunt, & viam aperiunt ad ea, quæ Aristoteles libro secundo, & tertio, solidè, & neruosè, nec minus ad veritatem accommoda, disertissima methodo nobis ediserit: qui etsi in enarrandis naturæ arcanis semper fuerit solertissimus; prodigium tamen ingeniorum, in his libris sese facilè ostendit, vbi abditissima principia, & proprietates animæ nostræ in patentissimam lucem produxit.*

### QVÆSTIO I.

*An Anima, an potius ens mobile animatum, sit obiectum attributionis, quod in his libris?*

1 SVppositis his, quæ dixi in procœmio ad libros de Physico auditu, & de Generatione, & Corruptione, scilicet, quod ens mobile, & naturale, est obiectum scientiæ Philosophicæ: suppositoetiam, quod Physica, vt agit de ente naturali, in communi, quatenus ambit omnia entia, & singula mobilia naturalia est vnica scientia secundum speciem atho-
mãs, q
mio lib. & latè ostendi in procœ
quæst. 1. qi de Physico auditu,
tionem in p est via ad resolu-
stabiliendam.

2 Dicendum est igitur in his libris. Anima non est obiectum quod, seu subiectũ attributionis, sed ens naturale animatũ, seu ens mobile motu naturali animato. Deducitur hæc conclusio ex doctrina Angelici Magistri primo Phys. lect. 1. quod sicut in octo libris Physicorum, agitur de ente mobili in communi, sic in libris cõsequentibus agitur de mobilibus particularibus: *De animatis verò in libris de Anima, & consequentibus ad ipsum*: quod & insinuat libro primo de Anima, lect. 1. asserens agi *de rebus animatis*: res autem animata non est anima, sed ens animatum. Quod si docet ibi agi in his libris de Anima, qui est communis omnibus animatis; nõ ideô hoc dicit, quia anima

sit subiectum quod; sed quia est commune principiū omniū animatorū per modum formæ: vnde addit D. Thom. quod iste tractatus, *& ordine, & dignitate præstat, inter tractatus de animalibus seu de rebus animatis.* Sed si obiectum non esset ens animatum, sed tantū anima non haberet maiorē dignitatem: siquidem tractatus sumit dignitatem ab obiecto: anima autem cum sit pars non potest adæquare dignitatem compositi animati, quod habet rationē totius: ergo cum D. Thom. asserendum restat, obiectum quod, seu subiectū attributionis, in suis libris esse ens animatum. Præterea D. Thom. docet hic lectione prima, agi in communi, de eo, quod in libris de animalibus agitur in particulari: sed ibi non agitur de animalibus, sed de animatis, seu de animalibus in particulari; ergo hic non agitur de anima in communi, sed de animato tanquam de obiecto quod?

Nec obstat D. T. de sensu, & sensato dixisse, Aristotelem in his libris tractasse de anima in quadam abstractione, in alijs autē de pariis naturalibus, in quadam concretione: Nam ibi nō loquitur de abstractione formali, sed de abstractione Logica: & sensus est: nō quod hic præcisè tractetur de Anima, in alijs autē libris de ente animato: sed quod hic de animato in communi, illic autem de animatis in particulari, & de animalibus, & plantis.

3 Quod & suadetur; nam D. Thom. hic lectione prima ad textum primum ait: tractari prius de re animata in communi, & in alijs libris de animalibus, & plantis, seu de rebus animatis, eorumque affectionibus in particulari, sicut in metaphysica, prius de ente in communi, quam de entibus particularibus tractatur: sed ibi nullibi agitur de entitate, vt de obiecto quod, & semper agitur de ente, quia semper est idē obiectum, siue in cōmuni, siue in particulari cōsideretur; ergo similiter in præsenti, sicut in particulari agitur de ente animato, ita etiam agitur prius de ente animato in cōmuni: sed nō est alius locus vbi cōsideretur ens animatū in cōmuni, nisi in libris de anima, vt saluetur methodus præscripta ab Aristotele primo physicorum, quod à communibus ad particularia progreditur ordo disciplinæ: ergo. Confirmatur quia Aristoteles non agit de anima in abstracto in his libris, sed eam diffinit vt est actus corporis physici, & organici, vt constat ex libro secūdo in principio; ergo cum dixit D. Thom. de sensu, & sensato, in his libris tractari de Anima in quadam abstractione, non loquitur excludendo corpus, quod sit organicum ab ipsa anima, vt concreta est; nec loquitur de abstractione Logica animatis animati, sumendo ibi partem pro toto, scilicet, animam secundum se, pro corpore animato secundū se. Confirmatur secundo. Nam Ari-

Aristoteles, & D. Thomas ibi lectione octaua reprehẽdunt Platonem, quia agit de anima, & quale quid est eius assignat in abstracto, & non in concreto, vt est actus corporis organici: ergo quia sentiunt diffinitiones, quæ sunt principia demõstrãdi in hoc tractatu, in cõcreto esse assignandas, & nõ in abstracto: at obiectũ attinet formaliter ad scientias ratione diffinitionũ, vt ostendit Aristoteles initio huius primi libri, & alibi sæpẽ; ergo obiectũ huius tractatus, secundũ Aristotelẽ, & D. Thom. non est anima secundũ abstractionem formalẽ considerata, sed ens mobile animatum.

4 Hoc ipsum probatur rationibus. Sicut pars, eandem formã habet, quam totũ sortitur, ita idẽ obiectum formale debet specificare totam scientiam, & particulares eius tractatus: sed obiectũ philosophiæ in communi, non est forma naturalis; sed ens naturale constans forma, & materia naturali; ergo obiectum horum librorum, non debet esse forma animans, seu anima, sed ens animatum, seu constans anima, & corpore. Confirmatur primo. Sicut se habet anima respectu corporis animati, & mobilis motu animato; sic se habet forma naturalis, respectu entis naturalis; ergo sicut in tractatu de ente naturali, obiectum quod, seu subiectum attributionis, non est forma naturalis, sed ens naturale; ita in præsenti, obiectũ quod, non debet esse anima, sed ens animatũm. Confirmatur secundo. In obiecto quod, hpilosophiæ naturalis conuertibiliter se habent, ens naturale, ens mobile, & corpus mobile, vt annotaui in proœmio ad octo libros Physicorum, quæst. 2. n. 18. ergo idem debet contingere in qualibet parte huius scientiæ, & in quolibet obiecto partiale: at anima nõ conuertitur cum ente mobili, motu animato, sed solum corpus animatum, conuertitur cum ente naturali, & mobili, motu animato; ergo obiectum quod, non est anima, sed ens animatum.

5 Oppositum tuentur docti recentiores, quos referunt hic Conimbricenses. Et obijciunt primo Aristotelem in principio lib. de sensu, & sensato: asserentem hic tractasse de anima, & eius partibus secundum se; ergo ea est hic subiectum attributionis.

Respondetur hinc ad summum deduci animam esse obiectũ principalitatis, quia de illa, eiusque potentijs agitur tanquam de quodam principio entis animati: sicut agitur lib. primo Physicorũ de forma, quæ est dignus principiũ inter principia entis naturalis; sed non sequitur ibi formã esse subiectum formale attributionis; ergo neque hic animam esse subiectum formale attributionis.

6 Arguitur secũdo. Illud est subiectũ attributionis, de quo agitur, & cuius attributa, & proprietates demonstrantur, in aliquo tractatu, & in libris de Anima: si-

quidem hæc solum diffinitur, non autem ens animatum : & eius etiam potentiæ diffiniuntur, & demonstrantur, non autem aliqui motus entis animati: ergo, &c.

Confirmatur primo. Illud est subiectum attributionis, per cuius diffinitionem cætera demonstrantur : quia diffinitio subiecti attributionis, est medium formale specificatiuum, secundum Aristotelem libro primo posteriorum, capite primo, & nono : sed diffinitio animæ, non autem entis animati est, qua demonstrantur omnia, quæ in hoc tractatu cognoscuntur : ergo, &c.

Confirmatur secundo. Non requiritur, quod specialis tractatus habeat pro obiecto, id quod est partiale subiectum attributionis totius scientiæ: ergo ex eo, quod ens mobile, vt sic sit subiectum attributionis totius scientiæ philosophiæ naturalis: non sequitur quod particulare mobile, ideſt, ens animatum, sit subiectum attributionis, librorũ de Anima. Probatur antecedẽs. Ex eo, quod Deus sub ratione Deitatis sit obiectũ formale Theologiæ, non sequitur quod subiectum attributionis in tractatu de peccatis, sit aliquod attributum particulare Dei; & idẽ est in tractatu de actibus humanis, de Angelis, & in alijs multis; ergo, &c.

7 Respondetur, quod sicut in scientia non disputatur de subiecto attributionis, sed supponitur esse, vt dicitur primo posteriorum: quamuis vt aliquid sit sic subiectum requiratur, quod per illud demonstrentur in scientia, omnia, quæ scientificè attinguntur: sic vt ens animatum sit subiectum attributionis in libris de Anima, non requiritur, quod de illo fusè tractetur, sed solum de principijs eius, scilicet, de anima, & de potentijs, & operationibus consequutis ad ens naturale, per attributionem ad ipsum: & hoc fit in libris de Anima reducendo omnia ad ens animatum, vt ad principium quod, & ad animam, vt est principium quo, non vtcumque, sed vt est actus corporis.

Ad primam confirmationem respondetur, quod diffinitio media qua procedunt omnes demonstrationes in hoc tractatu, non est anima, vt separata, sed vt per illam constituitur corpus organicum viuens : & sic diffinitio animati est vera media : licet Aristoteles, totus sit in exponendo naturam animæ, quia circa eam erant omnes errores philosophorũ; & ideò totus est in tradenda diffinitione animæ.

Ad secundam confirmationem nego, quod in specialibus tractatibus scientiæ subiectũ attributionis, nõ sit pars subiecti attributionis scientiæ, quatenus ad illũ cõsequũtur diuersæ passiones in particulari; aut secundũ quod aliquid illi opponitur. Ad probationem dico, quod Deus est subiectum attri-

attributionis, in materia de peccatis, prout eius summæ bonitati, opponitur peccatum; & in tractatu de actibus humanis, prout lege diuina regulantur; à qua lex humana derivatur; & in tractatu de Angelis, prout est creator perfectissimæ creaturæ intellectualis.

## QVÆSTIO II.

*An Anima rationalis sit pars subiectiua obiecti philosophiæ naturalis, ita vt ad ipsam pertineat de ea pertractare?*

1 CVm anima vegetatiua, & sensitiua, sint materiales, & concernant materiam sensibilem, nulli est dubium, quod attineant ad scientiam naturalem: vt etiam docet Aristoteles lib. primo de partibus animalium, cap. primo, & sexto metaphysices, textu secundo. At anima rationalis spiritualis est, & habet potentias spirituales, quibus abstrahit à sensibilibus, & ab hic, & nũc, & ideô dubium merito de ea instituitur. Sed quia duplicem habet statum, & separationis, & coniunctionis, non procedit dubium de illa in statu separationis, quia sic attinet ad metaphisicum, teste Arist. tertio libro de Anima, & secundo physicorum, vt dicit, & refert D. Thomas, opusculo decimosexto, circa finem: sed de illæ in statu concretionis ad corpus, quod & insinuat Aristoteles libro primo de partibus animalium, capite 3. & Diuus Thomas secundo Physicorum, lect 4.

2 Dicendum est animam rationalem, vt rationalis in concretione ad corpus, attinere ad obiectum partiale philosophiæ naturalis. Sic Alexãder initio metheorum: Auerroes secundo Physicorum, textu vigesimosexto: ibi Albertus, Caietanus libro primo de Anima ad finẽ, §. *Circa secundum corollarium.* Aquarius super Ferrariam, libro 1. de Anima, ad primam quæstionem. Bañez Prima Parte, quæstione septuagesimasexta, artic. primo, dubio primo, circa solutionem ad primũ; & communiter Thomistæ, & Philosophi, estque sententia Aristot. hoc primo libro, textu posito, quod anima rationalis sit forma corporis, & ex ipso, & D. Thoma, secundo Physicorum, lectione 4, & libro secundo de Anima, lectione sexta colligitur.

3 Probatur cum Caietano. Sic se habet aliquid ad considerationem philosophiæ naturalis, quomodo se habet ad cõcernere materiam sensibilẽ, & hoc cognoscitur in formis per operationes, quia operatio facit cognoscere formã, vt ait Auerroes secundo metaphysices, sed anima rationalis in statu contractionis cõcernit sensibilem materiam, cum non possit operari, & intelligere, nisi cõuertendo se ad phantasmata, & speculando illa, vt docet Arist. tertio de Anima, textu trigesimonono; ergo anima rationalis, vt talis

in statu cõtractionis, per se spectat, vt obiectum ad philosophiã naturalem, & per consequens est obiectum particulare illius.

Confirmatur primo. Illud est obiectum saltem partiale huius scientiæ, quod est principium motus naturalis sensibilis, sed anima rationalis, in statu contractionis, est huiusmodi; ergo, &c. Probatur minor: est principium motus locomotiui, per intellectum, & voluntatem, vt docet Aristoteles infra libro tertio, capite decimo, & nos ibi, sed talis motus, est sensibilis, & naturalis; vt per se constat; ergo, &c.

Confirmatur secundo. Anima rationalis sic contracta, est per se scibilis, & plura possunt demonstrari de ipsa, sed nec attinet, vt sic ad mathematicam, nec ad metaphysicam; ergo per se attinet ad philosophiam naturalem: consequentia videtur bona: quia solum sunt tria genera scientiarum realium, quæ iam sunt enumerata, vt videre est secundo posteriorũ lectione quadragesima prima, & tria genera scibilium realiũ, secũdũ triplex genus abstractionis à materia, singulari sensibili, & intelligibili. Maior est certa, & probatur minor, quia solum corpora quanta specificãt mathematicas, at anima non est corpus, vt egregiè probat Aristoteles, hoc primo libro, capite quinto; ergo nõ attinet ad mathematicas: Sed neque ad metaphysicam, siquidẽ in statu contractionis concernit materiam sensibilem, &c.

4. Cum autem in statu separationis habeat modum substantiarum separatarũ, quia quod est supremum infimi attingit infimum supremum, vt ait Dionysius capite septimo de Diuinis nominibus, & anima rationalis, sit quasi horizon, & confinium inter creaturas purè spirituales, & purè corporales: sequitur, quod anima separata, sub vna consideratione, pertineat ad metaphysicã, ad quã attinent substantiæ separatæ: sub alia autẽ attineat ad physicam; quatenus ille status est præternaturalis animæ, vt ait D. Thom. prima parte quæstione septuagesima nona, articulo primo, quia semper retinet rationem, quasi incompletã, cum inclinatione ad informandũ corpus, vt intelligat ex sensibus, & hæc est mens Caietani, imò, & Diui Thomæ secundo physicorũ, lectione quarta, dum ait; considerationem de Anima, partim attinere ad physicũ, partim ad metaphysicum; quia hoc maximè verificatur in statu separationis, vbi reductiuè spectat ad physicũ.

5. Philosophi, qui dixerunt animam nostram consistere in harmonia; necessario debebant dicere, quod eius consideratio attinet ad musicã; qui dicebant esse magnitudinem ad geometriam; qui in numero consistere ad arithmeticam, iuxta cuiusque harũ scientiarum formale obiectum; sed hos errores, exagitat Aristoteles hoc primo libro, cap. quarto, & quinto,

to, & D. Thom. secundo contra gẽtes, capite sexagesimoquarto. Alij autẽ vt Simplicius, & Themistius, à quibus non distat Boetius in prommio ad Porphyrium existimarunt, agere de anima rationali ad mathematicas pertinere; & probãt quia sciẽtiæ diuidũtur secundũ diuisionẽ rerũ, & res in ratione secundũ diuisionẽ sciẽtiarum, vt dicitur infra libro tertio, capite octauo, sed anima rationalis est mediũ quoddam inter res purè spirituales, quæ attinent ad metaphysicam, & purè corporales, & sensibilis, quæ attinẽt ad philosophiam naturalẽ; quia etsi anima nostra sit entitatiuè spiritualis, vt quo tamẽ est corporea; ergo in ratione obiecti scibilis attinet ad mathematicas, quę sũt scientiæ mediæ. Respõdetur non secari scientias secundum diuersitatẽ rerum materialiter, sed secũdum diuisionem formalem, quæ consistit in materialitate, & abstractione, quæ est triplex à materia singulari, sẽsibili, & intelligibili: & hic nego, quod anima rationalis sit medium; nam potius attinet ad extrema: Ad metaphysicam, quatenus est entitas spiritualis: ad philosophiam, quatenus concernit phantasmata sensibilia in suis operationibus, & ex hoc fine vtitur materiæ. Cum autẽ nõ sit corpus quantum; non attinet ad abstractionem mediam, & ideõ non pertinet ad mathematicas. Et sic euanescit opinio Francisci Bragadeni Patritij Veneti, libro primo de partibus animaliũ: asserentis, quod tractare de anima rationali, solũ spectat ad metaphysicã, & ideò Aristoteles duodecimo metaphysices, textu tertiodecimo, pollicetur se de illa dicturũ, licet, quia metaphysica integra, ad hæc tẽpora, nõ peruenit, vt innuit D. Thom. opusculo decimosexto, supra citato, circa finẽ: nos lateat quid ibi docuerit. Euanescit, inquam, ex dictis: nam etsi anima nostra, vt separabilis à corpore, aut in re, vt contingit, aut per imaginationem, & solum considerata cum abstractione formali, in essendo, & in operando, attineat ad metaphysicam in concretione tamen, ad physicam naturalem attinet, vt dictum est abundẽ.

6 *Secundo obijcitur* ex Aristotele, libro primo de partibus animaliũ, capite primo, vbi cũ præsentẽ quæstionẽ proposuisset. *An de omni anima agere ad naturalẽ scientiam spectet: an de aliqua?*

Respondet Aristoteles, quod si de omni anima, scilicet, etiam de intellectiua, agit scientia naturalis: ergo agit de omni scibili, & non datur alia scientia, sed hoc est falsum; nam datur mathematica, & metaphysica; ergo, &c. Probatur maior. Ad scientiam ad quam attinet agere de anima intellectiua, attinet agere de intellectu, sicut ad scientiam, ad quam attinet agere de anima sensitiua, attinet agere de sensu: at ad scientiã, ad quã attinet agere

de intellectu, attinet etiam agere de omni intellectiuo: sicut ad scientiam, ad quam attinet agere de sensu, attinet etiam agere de omni sensibili; quia sicut sensus, & sensibile sunt correlatiua, ita intellectus, & intelligibile, & intellectus ad omnia, & omnia intelligibilia ad intellectum; ergo si agere de anima intellectiua spectat ad physicū, nō relinquitur locus ad aliā scientiam; sed philosophia naturalis erit quæ agit de omni scibili, & intelligibili. Ad hæc. Anima, quæ nō est principiū motus sensibilis, non attinet ad physicā, quia hæc solū agit de ente mobili, motu sensibili, & eius principijs; ideō enim concernit materiā sensibilē: sed anima intellectiua, vt talis, nullius motus sensibilis est principium; ergo, &c. Probatur minor. Motus sensibilis sunt, augeri, sentire, & locomoueri: sed talium motuum non est principium anima, vt intellectiua, quia in alijs animalibus, in quibus non est intellectus, reperiuntur huiusmodi omnes motus: ergo, &c.

Denique. Anima intellectiua est à materia separata; ergo non attinet ad philosophiam: probatur antecedēs, quia est immaterialis, & spiritualis; ergo, &c.

7 Respondetur ibi non dicere Aristotelem, resoluendo, sed dubitando, remittendo resolutionē ad alia loca, vt fæpē ipsum facere, exercitatis in eius doctrina facilè constat. Quod potest deduci, quia conditionaliter procedit dicens: *Si agit Philosophus de anima, nulla scientia relinquetur*; & ideō rationibus topicis procedit Aristoteles, & illis respondeo.

In primis non sequi illud absurdum (vt Augustinus Niphus ibidē obseruat) quia nō agit physica naturalis de anima intellectiua, in vniuersali, sed sub ratione quadam particulari, vt pendet à phātasmatibus sensibilibus, & nō alio modo, & ideō nō agit de omni intelligibili secundū se, sed præcisē, vt in ipso intelligi, pēdet anima à sensibilibus phantasmatibus, & dato quod ageret in vniuersali, non sequeretur tollendas esse de medio, scientias cæteras: nam metaphysica agit de omni ente, & de anima intellectiua vt sic: & tamen relinquit locum, vt dentur aliæ scientiæ, quæ sub rationibus particularibus tractent de particularibus intelligibilibus: quamobrē certum debet esse Aristotelē procedere topicè in illo loco. Ad secundam probationem respondetur, negando quod intellectio non sit motus sensibilis: nam etsi ipsa intellectio sit in se spiritualis: tamen includit motum phātasiæ, quæ ab intellectu agente, recipit virtutē, vt instrumentaliter causet speciem in intellectu possibili, & motus progressiuus animaliū: licet sola imaginatione, perficiatur in alijs animalibus: in homine tamen, fit ab intellectu, & voluntate: vnde etsi intellectus, & voluntas, non sint causa adæqua-

ta

ta talis motus, ideſt, non ſolum detur in habentibus intellectum, tamen eſt cauſa ſufficiens, & anima intellectiua eſt natura, ſeu principium quo, motus naturalis, & ſenſibilis, ſi conſideretur, non vt eſt à materia ſeparata, ſed vt eſt cõcreta, & vnita corpori, & hæc eſt mens legitima Ariſtotelis, quãdo ex propria ſententia reſoluit, & hac ratione in ſecũdo libro de Anima diffinit eam, per eſſe. *Principiũ quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Diffinitio autẽ, quam tatuit ſcientia, indicat, quod diffinitũ, per ſe pertinet ad talẽ ſcientiam, ſentit ergo Ariſtoteles, quod anima, vt locomotiua, & intellectiua ad naturalem philoſophiam, & ad hunc tractatum pertinet.

8 Inſtãt denique, Phyſicus agit de ente ſubſtantiale, vt eſt generabile, & corruptibile: ſed anima intellectiua, non eſt generabilis, & corruptibilis: ergo non agit de illa phyſica naturalis. Maior in qua eſt difficultas, eſt Ariſtotelis primo phyſicorum, textu octuageſimo tertio: minor eſt de fide, & conſequentia bona.

Reſpondetur inſtando. Anima noſtra etiam, vt ſenſitiua eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, & tamen vt ſic attinet ad conſiderationem philoſophicam: ergo, &c.

Reſpondetur ergo, quod vt aliquid attineat ad phyſicam, nõ requiritur quod ſit generabile, generatione ſtrictè ſumpta, & quoad eſſe, ſed ſufficit ſi per generationẽ inſit materiæ, & vniatur illi, & ſit pars eſſentialis compoſiti, generabilis, & corruptibilis: hoc habet anima noſtra, etiamvt eſt principium motus localis, & intellectionis, quæ fit per conuerſionẽ ad phantaſmata, ac perindè attinet ad philoſophiam naturalem. Videri poteſt D. Thom. prima parte, quæſtione ſeptuageſima-ſexta, articulo primo, ad primũ, in ſimili.

## QVAESTIO III.

*An tractatus iſte, præſtet cæteris, certitudine, dignitate, & vtilitate, in philoſophia?*

1 DVbium hoc excitatur, ad exponenda verba Ariſtotel. in hoc primo libro, textu primo, ſcilicet, quod omnis ſciẽtia bona eſt, cum ſit perfectio intellectus, & honorabilis, quia eſt propter ſe ipsã, & quod alia, altera eſt præſtãtior, vel quia perfectiori modo procedit, vel habet nobilius obiectũ, & ſub vtraque ratione docet, tractatũ de anima excedere, & dignitate, & honore. Pergit vlterius ad oſtendendam ſummam difficultatem, neceſſitatem, & vtilitatẽ huius tractatus.

2 Dicendum primo. Tractatus de Anima nobilior eſt omnibus alijs in philoſophia. Probatur. Inter ſciẽtias ea nobilior eſt ſimpliciter, quæ nobiliori modo procedit, & habet nobilius obiectũ, ſed hic tractatus inter omnes alios, no-

bis

bilíori modo procedit, & habet nobilius obiectum; ergo. Probatur minor: scientia, quæ abstractiori modo procedit, nobiliorē modum procedendi habet; sed tractatus de Anima abstractiori modo procedit: siquidem operationes sensitiuæ, imò, & vegetatiuæ multum eleuantur à modo materiali, aliorum entium naturalium inanimatorum: nam visio, & sensatio, verbi gratia, fit per species, seu formas sine materia: & augmentum plantarum dicit per se, à se ipsis moueri: quod dicit actualitatem, & prædominiū, super materiæ potentialitatem; ergo hic tractatus nobiliori modo procedit. Quod verò habeat nobilius obiectum probatur: Illud est nobilius, cuius gratia cætera fiunt: at gratia animatorum, fieri inanimata, docet Aristoteles libro secundo de Anima, textu trigesimosexto, & secūdo Physicorum, textu vigesimoquarto, & octauo Physicorum, textu decimoseptimo, & quod anima est quasi finis corporaliū; ergo, &c. Et probatur etiam, quia nobilitas fundatur in maiori actualitate, hæc autem per operationem dignoscitur: at animata maiorem actualitatem habent, & perfectiorem operationem; ergo nobiliora scibilia sunt. Ex quibus colligitur, quod anima vegetatiua, est nobilior forma purè corporea, & sensitiua præstantior vegetatiua: ita etiam intellectiua, est quacūque alia forma, & anima præstantior, ideôque tractatus de Anima intellectiua, nobilior est inter omnes tractatus, huius scientiæ: vnde, & D. Thomas, secundo Physicorum, ad textum vigesimumsextum docet sic. *Supremū quod attingit philosophia est anima rationalis.*

3 Dicendum secundo. Tractatus iste certior est inter alios. Probat. Certius est, quod habet firmiores causas suæ veritatis, & in nobis firmiora, & notiora principia, sed huiusmodi est anima nostra; ergo, &c. maior certa est: minor probatur, nam quod est magis actuale, maiores habet causas, & firmiores: minus enim variabile est: cum variabilitas ex potētialitate, & materia proueniat: ergo anima, seu ens animatum, quod est obiectum huius tractatus, firmiores causas habet sui esse, & suæ veritatis, & intelligibilitatis. Pro secunda parte probatur, quia quoad nos, principium quo infallibiliter certificamur de aliquo, experientia est, at per operationes experimur nos habere animam; ergo illa est ratio certificandi nos, firmissimē: habemus ergo in nobis notitiam animæ per principia certissima: at operationes aliorum entium, neque à nobis sunt, neque in nobis; ergo non ita certificari possumus de alijs, sicut de anima, quæ in nobis est quoad omnes gradus.

4 Dicendum est tertio. Tractatus iste vtilior est inter cæteros. Sic Aristoteles hic libro primo;

mo, textu secundo. *Videtur autẽ* (inquit) *& ad veritatem omnem ipsius animæ recognitio vehementer referre, & maximè ad ipsius naturæ scientiam: est enim anima quasi principium omnium animalium.* Et probatur ex his cum D. Thoma, quia magna pars naturalium est habens animam; sed ipsa est principium animatorum, & omnium motuum naturaliũ, qui ab animalibus procedunt: ergo. Tum etiam, quia anima est finis formarum naturalium; sed ex fine sumitur notitia, tanquam ex principio eorum, quæ sunt ad finem: ergo. Ex quibus etiam colligitur, quanta sit necessitas huius tractatus: sine illo enim, manca, & mutila maneret philosophia, ignorato fine, & forma nobiliori, & quæ est principium nobiliorũ motuum naturalium, sine cognitione animæ, quæ est finis earum: ignorato enim fine, ignorantur ea, quæ sunt ad finem, vel saltem non ita perfectè percipiuntur.

5 Sed non tantum est vtilis iste tractatus ad philosophiã naturalem, sed etiam ad omnem philosophiam. Audi Diuum Thomam, ad relatum textum Aristotelis, sic pro hoc tractatu perorãtem. *Ad omnes partes philosophiæ insignes dat occasiones, quia si ad philosophiã primam attendamus, non possumus deuenire in cognitionem diuinarum, & altissimarum causarum, nisi per ea, quæ virtute intellectus possibilis esset nobis ignota, non possemus scire ordinem substantiarum separatarũ, sicut dicit Cõmentator super vndecimo metaphisices. Si verò attẽdatur, quantum ad moralem non possumus perfectè ad scientiã moralem peruenire, nisi sciamus potentias animæ: & inde est, quod philosophus in ethicis attribuit quaslibet virtutes, diuersis potẽtijs animæ.* Hæc Diuus Thomas: vide Aristotelem primo Ethicorum, capite vltimo. Hinc est illud decantatissimum proverbiũ, *Nosce teipsum*, quod vel ab Appolline est prolatum, vel foribus Delphici templi appensum, tanquam appendix totius doctrinæ moralis, ab omnibus in summo honore habitum: quod idem esse, ac monitum de anima nostra considerãda, sentiunt nobiles Doctores. Sic illud interpretatur Cicero lib. 1. Tusculanarum quæstionum, & Plotinus lib. 3. Æneadũ capite primo. Vide Laertiũ lib. 1. Plinium lib. 7. capite trigesimoprimo. Nec parum iuuat hæc notitia, ad attrollendum animum, à rebus caducis, & collocandum in æternis, & in ipso Deo; nam *via cognoscendi Deum, in nobis est anima nostra*, inquit Athanasius, orat. contra gent. Vide Authorẽ lib. de Spiritu, & lit. apud Augustinum tom. 3.

6 Ad omnia vtilis est scientia de anima. Ad sacram Theologiã, quia plura ab hoc tractatu aduocat: dum de speciebus impressis agit, de homine, de actibus eius, & plura id genus, quæ ignorato hoc

hoc ētā &atū,qui ibi ſupponitur, vix percipi poterunt. Ad mathematicas,quia ignorato intellectu agente,qui notiſsima naturæ illuminat,& mōſtrat:notiſsima,quæ hæc ſcientia demonſtrat, erunt imperuia, eſt vtilis ad iuris prudentiam:hæc enim eſt veluti animæ medicina,qua ad recta inducitur per proportionata media, & leges: ergo ea ignorata cæco modo procedet legislator,& legum etiam ſtudioſus. Ad medicinam adeō vtilis eſt, vt Galenus exiſtimauit, animam nihil aliud eſſe, quam temperamentum, ad quod conſeruandum,vel corrigēdum,tota medicina inſudat. Sed hoc prætermiſſo tanquam falſo; ſaltem certum eſt ex affectionibus animæ,plures morbos increſcere,quibus pharmaca inepta adhibere,vt necem certiſsimam inferre eſt neceſſe ignorata cauſa, ex qua proceduut. Ad dialecticā etiam,quia hæc dirigit operationes animæ intellectiuæ,media ordinatione obiectorū:quod præſtari nequit ignoratis operationibus animæ,& modo intelligendi ſpeculando phantaſmata. Ad rethoricam, quia hæc etiam ad commouendos affectus animæ, eoſque excitādos in triplici orationis genere,demonſtratiuo,deliberatiuo,& iudiciali,docēdo, delectando, mouendo procedit: ad eam ergo ordinatur,vt ad finem. Ad grammaticam denique, quia hæc agit de congrua,& apta orationis vocalis, & ſcriptæ ſintaxi, & conſtructione,ad exprimendos;debito ordine animi conceptus;ergo multum confert ſcire quo ordine,& modo concipiat intellectus, obiecta, vt ſit congrua loquutio, & expreſsio eorum.

7 Contra primam concluſionem arguitur primo. In tractatu Phyſicorum libro octauo,agitur de primo motore. In libris de Cœlo, de ſimpliciſsimis, & incorruptibilibus corporibus, & de motu illo locali primo alterante omnia ſublunaria:ergo ille tractatus nobilior eſt,cū de cauſis primis, & nobilioribus tractet, quibus in ſuis operationibus ſenſibilibus ſubditur anima.

Reſpondetur ex Caietano lib. 1. de Anima, §. *Ad ſecundum verò*, & ex Ferrar. ibidem quæſt. 2. ad 1. & 2. quod etſi primus motor ſit nobilior in ſe, quam anima, tamen non agitur de illo,niſi vt eſt cauſa extrinſeca affectiua, non autem vt eſt principium naturale, & intrinſecum, motus naturalis, qualiter concurrit anima ad motum naturalem,& ideō cū non conſideretur modo naturali, & vt eſt natura quædam, non fit ad illum comparatio, quia hæc debet fieri inter ea,quæ ſunt in eodē genere ex Ariſt. 7. Metaph. tex. 22. ideōque non ſequitur tractatum de Phyſico auditu præſtantiorem eſſe hoc noſtro tractatu.

Idem poterat reſponderi ad id,quod de Cœlo obijcitur; ſed in-

insuper addo Cœlum secundum quid tantum excellere, quia licet sit incorruptibile, est tamen inanimatum, & solum alterans commouendo primas qualitates; non autem per se causando motum vitalem, cum non viuat: vel si hoc præstat, non facit propria virtute, sed virtute intelligentiæ mouentis, quæ non spectat ad physicam considerationem.

8 Arguitur secundo contra tertiam conclusionem. Dialectica est simpliciter necessaria ad alias omnes scientias adquirendas, vt dictum est in procemialibus Logicæ, quæst. 2. ergo iste tractatus de Anima esse non potest vtilis ad dialecticam, quæ eo ipso ac necessaria est simpliciter, præsupponitur ad scientiam philosophiæ.

Respondetur hunc tractatum non esse necessarium, aut vtilem ad adquirendam scientiam dialecticæ, quæ eo ipso, ac est necessaria simpliciter, ad omnes scientias, est etiam prima adquisitione; sed tamen est vtilis ad eam perficiendam, & stabiliendam, per tectione accidentali.

# LIBER SECVNDVS.

## De Anima vt sic, & de anima vegetatiua, & sensitiua, earumque proprietatibus, potentijs, & operationibus.

## QVAESTIO I.

*Quanta fuerit varietas inter primos Philosophos, quantaque absurditas in assignanda animæ quidditate?*

1 MOnet Arist. 3. Met. text. 1. prius esse soluendum vinculum intellectus, quo versus vnam partem errare potest in controuersijs, quam veritas ipsa proponatur: sic namque purgatur animus à prava dispositione erroris, & habilior redditur ad capiendas veritates, & ad percipienda fundamenta, quibus tales veritates probantur: solutiones namque dubiorum, cognitio errorum proposita aliter opinantium absurditas, viam aperit ipsi veritati, sicut nebulis dissipatis, sol lucet, & apparet obiecta, vt sunt in se ipsis. Sic etiam Aristot. lib. 1. de Cœlo, text. 101. & lib. 2. text. 24. & lib. 2. Metheor. text. 2. & 7. Ethic. c. 14. Vt ergo intellectus noster facilius calleat animæ quidditatē, quę absq; diffinitione legitima cognosci nō potest: nec recta diffinitio sine magna, & ingēti difficultate inueniri valet: libuit prius ostendere quid nimium la-

laborantes primi Philosophi, circa hoc præstiterint, quantum à scopo aberrarint, quibus principijs nixi, animæ quidditatem inuestigarint, quantumque natura nostra debeat Aristoteli, qui inter densas adeò tenebras, amœnam lucis, & veritatis vsuram, placidissime contulit.

2 Igitur omnes antiqui, tanquam per se notum principium statuebant, animam esse principiũ motus, & sensus, & omne quod se mouet, & sentit, animatum esse. Sed quia omne, quod mouet, moueri etiam necesse est; quia animã maximè motricem statuebant; maximè mobilem esse pro certo habebant, & quia elementa sunt maximè mobilia, inter entia naturalia; animam aut elemẽtum esse, aut ex elementis essentialiter cõstitui existimarunt. Leucippus, & alij animam ignem esse putarunt, quatenus igneis athomis constat, sic enim maximè mobilis est (inquiunt) cum sint summè mobiles athomi; & maximè actiua ad mouendum, quia ignis actiuissimus est. Dicebant autem hos athomos, nec quadratos esse, nec piramidales: quia rotundi sunt maximè mobiles, & mouentes: & hoc ex respiratione colligebant, ex eo enim animata respirant, vt anima athomis resumptis, & emissis conseruetur.

Sed hoc fundamentum debile est, nam plantæ, & pisces non respirant, & tamen sunt viuentia animata.

Cum his concordare Pithagoricos, alij existimant: licet Archelaus Magister Socratis (teste Augustino, lib. 8. de Ciuit. cap. 2.) non in athomis, sed in virtute motrice eorum, animam collocauerit.

Anaxagoras autem docet animam esse participationem intellectus diuini, vt sic sit maximè motiua, & actiua.

3 Sed vt saluarent non solum in motu, sed in sensu etiam, animam consistere per modum principij, & ratum esset apud omnes, omnem cognitionem fieri per assimilationem: ideò componi animam ex quatuor elementis, saltem pro materiali, Democritus docuit illis carminibus.

*Terra nam terram, limpha cognoscimus vndam*
*Ætheraque æthere, sanè igne, cognoscimus ignem.*
*Sic, & amore amor.*

Et cum elementa omnia, virtute, contineant omnia mixta: anima per se omnia poterat sentire, & cognoscere (non enim distinguebat sensum ab intellectu, & ideò ea tantum sciri asserebat, quæ nobis apparent per sensum, & per consequens contradictoria sciri posse) sed quia concordia cõglomerabat in eius sententia athomos, erat quasi forma omnium constitutorum, & his, siue discordia segregando athomos, omnia resoluebat, & hic hæc erant principia formalia, in eius philosophia imaginata.

4 Plato autem Philosophus, in abstractione, & ideis eleuatus, dicebat vnitate, identitate, dualitate, ternario, & quaternario numero, constitui: quia vnitate intelligit simplicia: identitate, principia: dualitate, conclusiones demonstratas: ternario, opinari: quaternario, sentire corpora, quę quaterno angulo constituuntur. Et sic nonnulli philosophi nasuti, ac platonica doctrina imbuti, diffiniebant animam per esse numerum se mouentem.

5 Sed Thales vnus ex septem Græciæ Sapientibus, qui primus philosophiæ naturali incubuit, alijs ad moralem addictis: dixit animam esse aquam, quia semina omnium rerum ad eas cognoscendas in se habebat, & omnia semina rerum sunt humida.

Diogenes aëream posuit, quia aër facillimè mouetur, & mouet alia omnia, & sic poterat anima se ipsa omnia facilè cognoscere, cũ haberet in se principium maximè mobile, & quod facilè omnia mouerer.

Sed Eraclitus exhalationẽ, aut vaporem esse animam contendit, quia negabat quietem, & omnia in fluxu esse putabat: cum autem vapor, aut exhalatio sint maximè fluxibilia, & incorporalia: sic saluabat animam esse principium cognoscendi vniuersa.

Nullus Philosophus dixit animam esse solam terram; quia hæc nimium crassa est; quod Hesiodus hoc affirmauit teste Aristotele 4. Physic. text. 6. & 1. Metaph. cap. 4. hic inter Poetas, qui pro libito fingunt, non inter Philosophos, qui serio inquirunt naturas rerum, annumerandus est.

Alij autem sanguinem esse animam affirmarunt.

Similius verò loquutus est Alemæon, qui cælestem dixit, & immortalem.

Anaxagoras verò esse impassibilem, & ideò laudatur ab Aristotele 8. Physic. text. 37. quamuis diminutè explicauerit, vnde haberet esse principium cognoscendi.

6 Modo oportet hos philosophicos errores conuellere, vt demonstratio quid non sit anima, possimus inuestigare, quid sit, nulla obstante æquiuocatione, quia omnia error prouenit, aut ex principijs prauè intellectis, aut ex vitiosa eorum applicatione.

7 In primis ex eo, quod anima sit per se mouens, non benè colligebant esse per se motam; nã primus motor mouet omnia, & non mouetur. Et mouere in actu fundatur, moueri autem in potẽtia; sed ex eo præcisè, quod sit actus, non benè infertur, quod sit potentia passiua; ergo, &c.

Tum etiam. Ex quo fit mouẽs se anima, malè colligebant moueri ab alio; nam si mouet per se, & non per accidens; ergo aliquo motu naturali mouet; motus autem naturalis, quadruplex tantum, est apud Philosophos, scilicet,

cet, augmentatio, & diminutio, alteratio, & latio, seu motus localis (nam generatio, & corruptio non sunt motus, sed mutationes) hi autem motus, aut sunt ad locum, vel cum loco, vt docet Aristoteles lib. 1. de Generat, sed Anima, neque est ad locum, neque in loco; ergo non mouet per se, ergo non penetrabant illi philosophi ipsa principia, ex quibus philosophari putabant.

Tum etiam, quia qui existimabant animam mouere, aut moueri, quia ex elementis erat, necesse erat quod concederent posse mouere, aut moueri violenter, sicut hoc posse habent elementa, sed impossibile est, quod anima moueat violenter, quia ipsa est natura, & motus à natura naturalis est, & non violentus; ergo ad sua principia seruanda malè constituebant eam in elementis.

Tum etiã, quia omnia elemẽta habẽt determinatũ motũ; ergo si eo mouet anima, quia est elementaris, habebit determinatum tantum motum, cuius oppositum cõstat experientia.

Ad hæc. Ideò dicunt animam mouere, quia mouetur, sed mouet localiter, ergo quia mouetur localiter; sed moueri localiter est mutare corpora; ergo anima naturaliter potest mutare corpora, quod est absurdissimum.

Vlterius; eo dicebat Democritus animam mouere se, quia mouebatur ab athomis rotundis, sicut statuæ Dedali mouebant se, quia intus mouebãtur ab argẽto viuo, at anima non est solũ principium motus, sed etiam quietis, cum sit natura quædam; ergo non debet constitui ex athomis, probatur consequentia. Sicut enim argentum viuum non erat principium quietis in statuis, sic nec athomi essent principium quietis in anima; ergo sicut statuæ illæ, vt possint quiescere, non debent confingi solum ex illo argẽto, sic neque anima ex solis athomis.

Adde. Quod mouet se in quantum tale non mouetur per aliud, sed secundum Platonicos anima mouetur in cognoscendo per obiecta; ergo non per se mouet se. Denique. Omne quod mouet distat ab eo, quod mouetur, & distinguitur ab illo; ergo si anima mouet se, distat à se, & diuiditur, & scinditur à se, & corrumpit se in esse, & ex eo, quod mouet se, non est immortalis, vt quidam ex illis philosophis asserebant; ergo malè intelligebant sua principia, & distortè ex illis procedebant, ad statuendas suas conclusiones, quæ conueniebant illis, quia non distinguebant, inter motum imperfecti, & inter motum perfecti, qui est operatio animæ.

8 Nec sententiæ Platonis in Timæo, magis verisimilis est, qui dicebat animam moueri moto corpore, & in harmonia, & proportionibus consistere, cum vnitatibus, & identitatibus, & motu quodam circulari, imitando motum animæ mundi; Aristoteles nam-

namque improbat ipsum; nam vel loquitur verè, vel Methaphoricè, si verè falsissima, & impossibilia inculcat; si methaphoricè pessimo modo docet res naturales, quæ debent verbis etiã simplicibus, & non figuratis explicari. Falsum etiam est, quod motus animæ mũdi habeat motũ circulare strictè, quia hic fit in magnitudine continua, motus autem animæ mundi, vt ponebat Plato, erat intellectivus; ergo nõ erat strictè circularis; nã dato quod à principio ad conclusionẽ discurreret, per operationes discretas hoc faceret, resoluẽdo cõclusiones ad principia, & absque dependentia à spatio, & magnitudine cõtinua. Tum etiã, quia in motu circulari, & reflexiuo nõ inuenitur finis, at in operationibus intellectiuis animæ, est inuenire principium, & finẽ; ergo motus animæ ex se non est circularis. Probatur minor, nã practicus intellectus habet pro fine operatum: Speculatiuus autem resolvendo conclusiones vsque ad principia, & vsque ad diffinitionem subiecti, sistit in aliquo supremo genere vltra quod non est inuenire aliud genus; ergo, &c. Tum etiam, quia intelligere resolutiuè, & demonstratiuè magis quieti, quam motui assimulatur: dũ enim aliquis fluctuat, & tentat, non intelligit rem, vt est in se, sed solum dum demonstrat, & in hoc ipso quiescit intellectus; ergo Plato non exactè explicat motum animæ, per illam similitudinem. Alia obijcit Aristoteles, sed pro nunc ista sufficiant.

9 Alij verò, vt Sinarchas, & Empedocles (quos sequitur Galenus libro primo de locis affectis, cap. 6. & lib. quod animi mores, & lib. de semine, cuius meminit D. Thom. 2. contra gent. cap. 63.) dicunt etiam animam consistere in proportione, & harmonia, non quidem numerorum, sed humorũ, aut elementorum, quæ dicitur complexio. Sed reprobatur, quia anima substantialis est: & substãtia, neque in proportione, neque in humoribus consistit.

Confirmatur primo. Secundum omnes philosophos, animæ est mouere, at harmonia, & proportio non mouet, sed resultat ex motu; ergo, &c. Secundo per diffinitionem cuiusque rei demonstrari possunt eius passiones, at animæ passiones harmonia demonstrari nequeunt, vt per se patet; ergo anima nullo modo est harmonica. Tertio si anima esset harmonia, & proportio, vel esset ordo partium sine contrarietate, vt ordo ossis ad os, vel cũ cõtrarietate, sed nullo modo est ordo partiũ; ergo nullo modo est harmonia. Probatur minor. Si esset ordo partium sine cõtrarietate, esset nobis nota, sed non est nota nobis; ergo non est ordo partiũ sine cõtrarietate. Patet consequentia, nã hac ratione, ordo partium similarium in corpore est nobis nota, quod verò non sit ordo partium habentium contrarietatem probatur:

quia alias omnē mixtum esset animatum, cum in eo sit ordo partiū cum contrarietate.

Vlterius contra Empedoclem vrgemus sic. Si anima est harmonia, & proportio partium corporis, vel esset ipsa proportio, & cōplexio, vel aliquid aliud, si primum; ergo cū in osse, neruo, carne, corde, hepate, & stomacho, sit diuersa cōplexio, & proportio humorū, erit diuersa anima in qualibet illarum partium; quod absurdum reputat Aristoteles. Si secundum; ergo anima non est complexio, & proportio. Præterea Empedocles docet animam esse harmoniam, quatenus miscet, & congregat elemēta, sed omne mixtum inane esset inanimatum; ergo ad contradictoria cogitur eius sententia. Restat ergo animā non esse harmoniam, sed mouere per se corpus, & eo moto moueri per accidens.

10 In fauorem philosophorum (quorum varias sententias retulimus.) Arguitur primo. Anima dum cupit, dolet, gaudet; operatur, ergo mouet: alias patitur, his passionibus; ergo dū mouet mouetur: vel quia patitur, mouetur.

Respōdetur cū Aristotele, quod huiusmodi operationes non sunt verè motus imperfecti existentis in potentia, sed in actu, & ideó illis non patitur anima, sed mouetur corpus; cū enim irascimur ex iudicio animæ fernet sanguis circa cor, & patitur corpus: Cum verò iudicat aliquid horribile, congregatur ad cor sanguis, & fit passio timoris: & per consequens præcisè mouet, nec mouetur dū mouet, nec patitur dū agit: sicut in sententia asserentium animam non esse affixam organo, quoad omnes operationes, corrupto organo, non corrumpitur anima, sed corporeum organum: sic dum agit anima, corpus patitur, & nō anima.

11 Arguitur secundo in fauorem Empedoclis. Omnis cognitio fit per assimilationem, sed omnis anima saltem sensitiua, est cognoscitiua; ergo componitur ex elementis. Probatur consequentia: quia si hoc non est ita, ergo non potest assimilari rebus ad extra, quæ ex elementis redactis ad proportionem constant.

Respondetur eam rationem futilem esse, multum enim probat: sequitur enim animā habere ossa, capillos, & omnia accidentia, quia illa omnia cognoscit, & cognitio fit per assimilationem. Tum etiā, quia rationi discordat: quia sentire est pati, sed nihil patitur à simili, sed tantum à contrario; ergo vt anima cognoscat, non debet esse composita ex similibus ad illa, quæ cognoscit. Tum etiam. Si nihil cognoscit, nisi componatur; ergo Deus qui est simplex, non cognoscit. En quanta absurda deglutit illa sententia. Sequitur etiam omnia mixta cognoscere, quia sunt composita ex elementis cum com-

ple-

plexione: Imò in sententia Empedoclis superuacaneè ponitur, quod anima sit composita ex quatuor contrarijs: cum sufficiant duo, quæ alijs duobus contrariãtur, quia vnum contrarium per aliud cognoscitur.

Dicẽdum est igitur assimilatione fieri cognitionem: non tamen assimilatione physica, sed intentionali: & ideò non requiritur, quod anima componatur ex elementis, vt cognoscat, sed sufficit recipere species obiectorum, & sic mediantibus illis obiectis assimulari: quod est recipere formas eorum sine materia, absque vlla complexione.

12 Denique reijcienda est opinio Xenocratis, asserentis animã esse numerum se mouentem. Hoc est impossibile. Primo, quia numerus constat vnitatibus; ergo si anima est numerus se mouens, est constans vnitatibus se mouentibus: At mouẽs se cõstat partibus per se mouentibus, & motis: vnitas autem non est pars, cũ sit indiuisibilis; ergo impossibilia profert Xenocrates. Secũdo. Pũctus nõ differt ab vnitate, nisi quatenus habet positionẽ incõtinuo, ergo si anima cõstat vnitatibus cõstat pũctis, quia hæ vnitates haberẽt in cõtinuo positionẽ: sed pũctus motus facit lineã; ergo anima constaret lineis: sed tunc moueretur linea, qua mota fit superficies, quaq; mota & multiplicata, fit corp': ergo anima esset corpus: quod est ignorare voces, & res, de quibus disputamus. Tertio. Si anima esset numerus detracta qualibet vnitate variaretur eius species, quia sic cõtingit in numero: sed detracta parte lacertæ, tollitur aliquid animæ, quę in illa est diuisibilis; ergo tunc variaretur specie, & iam non esset lacerta, quæ est diuisibilis. Quarto, quia hæc positio nõ distat à Democrito; quid enim aliud essent illæ vnitates, quã athomi? ergo reduciturt Xenocrates ad sententiam, quam reijcit. Quinto. Si anima est numerus constans vnitatibus, & punctis, (quia habent positionem in continuô) ergo vel illa puncta, essent idẽ cũ punctis quibus constat corpus; & sic omne corpus esset animatum: vel non. Tunc vltra. Si non sunt eadem cum punctis corporis; ergo saltẽ sunt in eodẽ loco duo puncta, scilicet, vnum animæ, & alterũ corporis; ergo infinita sunt in eodem loco, cum nõ sit maior ratio quare duo sint in eodem loco, & non plura, sed infinita nequeunt esse in eodem loco, eo quod afferunt suas partes, quæ nequeunt esse in eodem loco: ergo neque duo. Euanescit ergo opinio Xenocratis. Et rursus arguitur, vt dixi contra Empedoclem, quia per diffinitionem numeri, demonstrari non possunt passiones animæ; ergo anima non est numerus, se ipsum mouens.

## QVÆSTIO II.

*An Anima sit in genere substantiæ, an verò in genere Accidentis?*

1 DIctum est hucusque quid non sit anima, nunc ad indagandam eius legitimam diffinitionem, genus in quo sit, quæremus; deinde differentiâ ab alijs, vt sic possit rectè animæ diffinitio constitui.

2 Dicendum est animam esse in genere substantiæ, & non accidẽtium. Sic Aristoteles lib. 2. de Anima tex. 4. ibi: *Necesse est animã esse substantiam.* Idem habet D. Thom. ibi, & 1. contra gent. cap. 63. & quæst. vnica de Anima, artic. 1. Banncz p. p. q. 75. art. 1. dub. 1. & cõcordãt nunc philosophi in hoc dicto. Probatur rationibus D. Thomæ. In hoc differt forma, quæ est in genere substantiæ, ab ea, quæ est in genere accidẽtis, quod illa dat speciẽ essentialẽ subiecto: sed anima est forma, quę dat speciem essentialem corporibus; ergo est forma substantialis. Probatur minor. Illa forma dat speciem essentialem, quæ significatur per diffinitionem, quidditatiuam per modum differentiæ essentialis: sed in diffinitionibus quidditatiuis corporaliũ rerum, anima significatur per modũ differentiæ essentialis; ergo. Probatur minor, quia hoc ipso quod aliqua diffiniãtur penes diuersas animas, ponitur differentia essentialis ab inanimatis; & quæ est essentialis inter ipsa animata, verbi gratia, inter equum, & bouem.

Confirmatur primo. Corpus est substãtia; ergo etiam anima, quæ illud informat. Probatur consequentia, anima est nobilior corpore: quod patet, quia inanimatum corpus ignobilius est simpliciter animato, quia caret anima: ergo hæc non potest esse de genere accidentium, quæ sunt ignobiliora substantia.

Confirmatur secundo. Anima est nobilior forma inanimi, & dat nobilius esse corpori, at primum esse datum corpori à forma inanimata, est esse substantiale, & ideò tales formæ sunt substantiales: ergo à fortiori dicendum, quod anima est in genere substantiæ. Minor probatur. Operari sequitur ad esse, sed operationes rei animatæ, perfectiores sunt quam inanimati; ergo anima dat esse perfectius corpori, quã alia quælibet forma substantialis inanimis. Denique. Anima est principium quo principaliter efficiendi terminum, & effectum substantialem, generationis, & corruptionis: quia vnumquodque operatur, in quantum est in actu per formam, sed principium effectiuum principale debet esse in eodem genere cum effectu, & non excedi ab illo; ergo anima est in genere substantiæ.

3 Contra hanc notissimam conclusionem. Arguitur primo. Effe-

Effectus primarius animæ est accidentalis; ergo ipsa anima est in genere accidentis. Probatur antecedés. Effectus primarius formalis animę, est esse vitale, sed hoc est effectus accidentalis; ergo. Probatur minor. Vita est effectus formalis cõplexionis complexio est accidens; ergo ille effectus est accidentalis. Probatur minor. Manente debito temperamento, & complexione, manet vita, & esse animatum, & eo præcisè ablato, auferetur vita; ergo.

Respondetur, vitam, & esse animatum non esse effectũ formalem temperamenti, sed animæ: pendere tamen à temperamento, vt à dispositione, sine qua non conseruatur anima in corpore, neque dat vitam. Vide D. Thom. 2. cõtra gent. c. 64.

4 Arguitur secundo. Quod inhæret subiecto, est accidens, nec diffiniri potest, nisi in ordine ad illud: sed anima omnis est huiusmodi, cum sit forma corporis; ergo est in genere accidentis.

Respondetur hoc argumentum multum probare, scilicet, nullam dari formam substantialem: quod est absurdum: ideòque ex Diuo Thoma opus. 31. & lib. 2. de Anima, ad text. 4. dicendũ est, nõ esse animam in materia, sicut in subiecto: nam subiectum propriè dicitur, quod est ens in actu, quod erudite, & latè ostendit Caietanus in principio cõmẽtarij, huius secũdi libri, §. *Circa eandem conclusionem*: sed esse in ea, sicut in comparte, cui inhæret: quia subiectũ (inquit D. Thomas) est prima substãtia dans esse formæ aliacẽti, quod non habet materia, seu corpus respectu animæ. Quod si anima diffinitur in ordine ad corpus non tamẽ per illud sicut accidẽs: cuius essentia per additamentũ extra suum genus diffinitur nẽpẽ per subiectũ. Ex eo ergo quod anima diffiniatur in ordine ad corpus non sequitur esse accidẽs, quia non per illud, sed ad illud diffinitur. Vel aliter. Diffinitur in ordine ad corpus, vt cui dat esse, concedo: vt à quo habet esse, nego: & ideò non est accidens, quia hoc diffinitur in ordine ad subiectum, vt à quo habet esse.

5 Arguitur tertio. Quod supponit subiectum in actu, est accidens, sed anima supponit subiectum in actu, quia est actus corporis, idest, subiecti constituti in esse per actum substantialem corporeitatis; ergo.

Respondetur ex Doctrina D. Thomæ p. p. q. 76 art. 4. ad tertium, & quartum: cum Ferrara q. 2. de Anima ad quartum lib. 2. & 2. contra gent. cap. 81. tunc formam esse accidentalem, cum supponit subiectum in actu per aliam formam, non cum ipsa dat etiam illum actum, secundum primum gradum, & ratione alterius gradus supponit illum: sicut in anima contingit, quæ etiam dat esse corporis, sed non explicat per hoc rationem animæ, nisi quatenus dat vitã, & sic dicitur,

quod est actus corporis.

6 Arguitur quarto. Anima neque ex prima, neque secunda substantia; ergo non est in prædicamento substantiæ. Patet consequentia, quia adæquatè dividitur substantia prædicamentalis in primam, & secundam. Antecedens verò probatur. Anima non est aliquid completum; ergo non est prima substantia: Neque etiam est species; ergo non est secunda substantia. Tum etiam non subsistit per se; ergo non est substantia, quæ sic denominatur, quia per se stat.

Respond. ex doctrina Magistri Bannez, p.p.q.76.ar.1.dub.1.ad primum, quod etsi anima nec sit prima, nec secunda substantia, non sequitur nõ esse substantiam; alioquin nec materia prima esset substantia: cum autem dividitur substantia in primam, & secundam est divisio substantiæ completæ, quæ directè ponitur in prædicamẽto; ideôque ex argumento tantum colligitur animam non esse substantiam completam: non verò quod non sit substantia incompleta. Ad secundam probationem respondetur idem, scilicet, quod per se subsistere etiam competit substantiæ incompletæ.

## QVAESTIO III.

*Vtrùm Anima sit corpus, & per quid cõstituatur ratio corporis?*

1 NON inquiritur in præsenti an anima sit corpus de genere quantitatis; cum iam sit constitutum quæst. antecedenti esse in genere substantiæ: Neque inquiritur, an Anima possit esse corporea, & materialis, quia ad hoc sufficit habere esse in materia, cum dependentia ab illa, in esse, fieri, & conseruari: sicut punctus corporeus est, quia habet esse in corpore, & pendet ab eius partibus, & tamen non est corpus. Sed inquirimus an sit corpus de genere substantiæ, idest, an in se habere possit omnia, quæ rationem corporis constituunt, ita vt sit subiectum (nam non esse illud compositum, quod ex materia, & forma corporeitatis resultat, infra ostendam dum disputabo, an sit simplex, an verò compositum quoddam. Sed quia quæstum principale, in anima ipsa intelligi non potest, nisi explicando in quo consistat ratio constitutiua corporis, hoc prius agendum est.

2 Dicendum est primo. Ratio corporis substantialis constituitur, per esse radicem quantitatis, & trinæ dimensionis, non tamen quæ sed per modum subiecti, & habendo in se aliquas partes. Sic in re Thomistæ ferè omnes, & quoad singulas partes est sententia D. Thomæ, & prima quidem habetur p.p.q.18. vbi docuit D. Thomas, quod hoc nomen, vita, impositum est ad significandam substantiam, cui conuenit se mouere, quamuis à motu ipso, qui proprietas accidentalis est, sit nomẽ impositum, sicut hoc nomen Cor-

pus

pus impositum est ad significandam substantiam, cui conuenit trina dimensio: quamvis id à quo nomen imponitur, sit trina dimensio accidentalis quantitatis; sed substantia viuens non se mouet, nec operatur, nisi radicaliter in sententia D. Thomæ asserentis, quod substantia creata non est immediatè operatiua; ergo etiã hoc nomen, Corpus, impositum est, secundum D. Thomam, ad significandum substantiam radicantem trinam dimensionem; ratione cuius radicationis, ei debetur illa trina dimensio. Tunc vlterius. Sed id, ad quod significãdum, imponitur nomen, est ratio, & quidditas rei: ergo corpus cõstituitur in esse talis, per esse radicem trinæ dimensionis. Quod verò debeat corpus ex ratione sui esse subiectum trinæ dimensionis, seu radicare per modum subiecti, docet D. Thomas p. p. q. 50. art. 2. vbi ex eo probat materiam corporalem, per hoc quod sit subiecta quantitati, quia hic solum intelliguntur in ea partes, & possunt dimensiones in ea designari. Tum etiam ex eo quod docet cap. 3. de ente, & essentia, & in 1. distin. 25. art. 1. ad 2. vbi ait: *Per hoc dici, corpus esse in prædicamento substantiæ, quod in eo designare possunt tres dimensiones.* Sed istæ dimensiones non possunt in illo signari, nisi quatenus subijcitur quantitati, vel est natum subijci; nam etsi habeat partes substantiales, tamen eas habet absque dimensionibus, quia est vna intra aliam, & dimensio exigit, quod sit vna extra aliam; ergo. Hoc ipsum dilucidè docet Soncinas quinto Metaph. q. 19. ad 5.

Quod verò requiratur ad rationem corporis, habere in se aliquas partes, constat ex citato loco D. Thomæ p. p. q. 52. art. 1. & 2. contra gentes cap. 63. rat. 3. vbi probat animam non esse corpus. Hoc deducit, quia *omne corpus diuisibile est*. Sentit ergo rationem corporis esse habere partes, ratione quarum sit diuisibile. Et p. p. q. 3. art. 1. & primo cõtra gent. cap. 20. ratione prima, & secunda, vbi probat eo Deum non esse corpus, quia non est potentia diuisibilis, quod ex partibus integralibus prouenit.

3 Probatur ratione. Per hoc solum quod aliqua substantia, sit radix quantitatis, habeatque in se diuisibilitatem integralem, cui subiecta potentia quantitatis; necessario est corpus, & quolibet ex his sublato, non est corpus; ergo ratio corporis substantialis in illis tribus consistit, quæ in conclusione designata sunt.

Probatur antecedens pro secunda parte (nam pro prima certissimum est) & si anima rationalis sit radix quantitatis formalis, cum sit corporea vt quo, in se tamen non est corpus, quia non habet partes diuisibiles, & animæ animalium imperfectorum, quæ anulosa vocamus, vt sunt Lacer-

tæ, etiam non sunt corpora, siquidem de omni anima docet D. Thomas p. 1. q. 75. art. 1. non esse corpora, etsi sint corporeæ, saltē vt quo; ergo ad rationem corporis illa tria requiruntur.

4 Dicendum secundo. Ratio corporis non consistit formaliter in esse radicem impenetrabilitatis, vt contendunt plures PP. Societatis.

Probatur. Illud primo, & per se constituit corpus, quod primo, & per se distinguit corpus à spiritu, idem enim est in rebus constitutiuum, & distinctiuum; sed per esse radicem impenetrabilitatis, nō primo, & per se distinguitur corpus à spiritu; sed hoc se habet ex consequenti, & prius inuenitur prima ratio distinguendi corpus à spiritu; ergo ratio constitutiua corporis, non consistit in radice impenetrabilitatis. Probatur minor. Trina dimensio formalis, prior est impenetrabilitate, cum hæc probetur per illam, & prius sit; quod est in ordine ad se, quam quod est in ordiene ad aliud extra se; ergo etiam prius intelligitur in substantia radix dimensionis, quam impenetrabilitatis; sed intellecta radice dimensionis intelligitur primum distinctiuum corporis substantialis à spiritu, siquidem radicare in se trinam dimensionem, repugnat spiritui; ergo radicare trinam dimensionem, est ratio primo distinctiua, & constitutiua corporis substantialis, prout à spiritu distincti. Confirmatur. Prior est extēsio in ordine ad se, quam in ordine ad locū; ergo prior est in corpore substantiali, radicatio extensionis in ordine ad se, quam in ordine ad locum: quod constat, quia potest manere prima extensio, sine secūda, vt patet in corpore, & quantitate Christi consecrati. Tunc vltra. Sed impenetrabilitas prouenit ab extensione in ordine ad locum; & ideō duæ quantitates, nō extensē in ordine ad locum, possunt penetrari; ergo non potest corpus constitui in ratione talis, per impenetrabilitatem.

Confirmatur secundo. Dari possunt duo corpora penetrata quanta; ergo impenetrabilitas nō constituit corpus: Probatur consequentia, quia hoc intelligitur, vt distinctum à spiritu, præcisē per radicare quantitatem.

5 Pariter colligitur contra P. Vazquez p. p. dis. 188. c. 7. n. 30. ratione constitutiuam corporis substantialis, non consistere in radicali diuisibilitate; quia hæc etiam sequitur ad trinam dimensionem, prout constituit totum integrale, & prius est esse, quam non esse, & cōstitui, quam diuidi; ergo prius est radix trinæ dimēsionis, quā diuisibilitatis, & illo priori intellecto, intelligitur primum distinctiuum corporis à spiritu.

6 Dicendum tertio. Anima non est corpus, licet sit corporea: saltē eminenter formaliter (quod dico ob animam rationalem.) Sic Diuus Thomas p. p. q. 75.

art.

art. 1. & 1. contra gentes, cap. 20. & Aristoteles 2. de Anima, text. 26. *Rectè admodũ putant ij, quibus anima, neque eſſe ſine corpore,* (vel cum ordine ad illud, quod dico propter animam rationalem ſeparatam) *neque corpus aliquod eſſe videtur.* Sic communiter Interpretes D. Thom. locis citatis, & Philoſophi.

7 Et quidem animã intellectiuam rationalem non eſſe corpus docuit Ariſt. lib. 1. de Anima, tex. 90. negans ei aliquas partes integrales, & docet fides, vt cõſtat ex illo Iob cap. 12. *In cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis.* Vbi cũ tribuat animã omni viuenti, ſpiritum, ſoli homini aſsignat pro anima, & cap. 32. *Vt video, ſpiritus eſt in homine.* Et eadẽ veritas innumeris S. Script. locis ſuadetur. In quibus ſermo eſt de anima rationali: ergo de fide non eſſe corpus, ſed ſpiritum: vnde Sap. 2. in perſona ſtultorum dicitur (vt notat D. Th. 2. cont. gẽt. c. 65. in fine) *fumus, & flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintillæ ad mouendum cor.* Vide D. Th. 2. cont. gent. c. 49. Hoc idẽ ſtatuitur in cap. firmiter de ſumma Trinit. & ideò Auguſt. lib. 2. retract. c. 56. reuocat quod dixerat, dum erat Manicheus, ſcilicet, *animam noſtram eſſe corpus.* Quod etiã præſtat lib. 4. confeſſ. cap. 15. Nec obſtat, quod dicitur Iob. cap. 12. Quamobrem procedit præcipuè quæſtio de anima plãtarũ, & pecudũ, & ſic eſt communis ſententia.

8 Prob. rationibus D. Th. p. p. q. 75. art. 1. & 2. cont. gent. c. 65. & 80. & q. vnica de Anima, art. 19. Anima eſt primũ principiũ vitæ, quæ manifeſtatur in motu, & cognitione; ſed corpus in ratione talis, non eſt primum principium, quo viuimus; ergo anima non eſt corpus. Min. prob. Si corpus eſſet primum principium vitæ motus, & cognitionis; omne quod habet corpus, viueret, moueretur; & poſſet cognoſcere; ſed hoc eſt apertè falſum; ergo, &c. (notat autem Caietanus, quod cũ D. Th. p. p. q. 75. art. 1. ait animã eſſe primum principium vitæ, non intelligitur de primo principio abſolutè, ſed de primo principio intrinſeco, & in ordine cauſæ ſecundæ formalis.) Secundo prob. Anima & corpus ſunt in eodem loco, ſed duo corpora naturaliter non poſſunt eſſe in eodem loco; ergo anima non eſt corpus. Confirmatur primo. Omne animatum eſt viuum mouens ſe ipſum, omne mouens ſe ipſum habet partẽ mouentẽ, & motam, ita vt vna ſit mouens autem immota, altera ſit mouens mota, ne detur proceſſus in infinitum: ſed nullum corpus mouet, niſi vt motũ, vt in D. Th. oſtendit Ferrar. 2. cont. gẽt. cap. 20. ratione prima; ergo nulla anima eſt corpus.

9 Cont. 1. concluſ. Arg. 1. ſtat aliquid ſpirituale, radicaliter, & formaliter continere partes integrantes; ergo per habere, aut cõ-

tinere pārtēs integrantes, non constituitur corpus, neque distinguitur à spiritu. Prob. antecedēs in vbi angelico, quod in sententia probabili cōtinet partes integrā tes, vt adæquetur cum loco diuisibili, vt cōtendit P. Suar. disp. 50. Met. sect. 3. quod vbi radicaliter continetur in essentia, & potentia loco motiua Angeli, & in augmē to qualitatum, etiam spiritualiū, quod fit per additionē gradus ad gradum, & in vnione animæ rationali cum partibus materiæ; ergo, &c. ℣. Confir. Si habere partes integrales, vel eas radicare, cōstitueret corpus, vt condistinguitur à spiritu; ergo quod tā radicaliter, quā formaliter, caret his partibus erit spiritus: nam benè arguitur, si diuisio est adæquata, à negatione vnius, ad positionem alterius; ens autem adæquatè diuiditur in corpus, & spiritum. Tunc vltra Animæ perfectè brutorum sunt indiuisibiles, & carēt integritate partium, & radice earū, cum trina dimēsio radicetur in materia, & tamen tales animæ non sunt spirituales: ergo sicut carere integritate partium, & trina dimensione, tam formaliter, quàm radicaliter, non constituit spiritum, ita eas habere, non constituit corpus.

10 Respondetur repetendo id quod pluries dixi, argumentū nō procedere ex negatis, sed ex concessis, cum autem Thomistæ negent, vbi illud angelicū integrari ex partibus integrantibus, augmentū fieri per additionē gradus, ad gradum, aut vnionis modum dari inter materiam, & formam, aut si datur constare partibus integralibus (maximè, qui vnit animam rationalem, cum corpore:) quia vnit eam ad materiam, nō vt continet partes plures; sed vt est vltimo dispositā, & organizata; quæ est ratio indiuisibilis, qua ratione infra probabitur animas animalium perfectorum esse indiuisibiles fit consequens argumentum nil concludere contra nostrā assertionem. Quod vero modus vnionis non sit requisitus ad vnionem materiæ, cum forma, præter dicta 1. Phys. videtur aperte cōfirmari ex Arist. hic lib. 2. de Anima, tex. 7. vbi ait: quod sicut cera, & signum illi impressum, per sigillum, non egent medio, vt fiat ex illis vnum; sic neque vt fiat vnum, ex materia, & forma, seu ex corpore, & anima, est opus medio, vt ibi interpretatur D. Th. Sed illis datis, Respondetur, non quamcumque integritatem cōstituere corpus, sed eam tantū, quæ radicat quantitatem, aut quæ in ipsa quantitate reperitur: cū autē neque vbi angelicum, neque additio graduum in qualitate spirituali, neque vnio, habeant, aut radicent integritatem partium quātitatiuam, quæ habeat trinam dimensionem, sequitur non vrgere argumentum, ℣. Ad confirmationem. Respondetur animas perfectorum animalium, nō esse corpora entitatiuè, sed denominatiuè, idest, esse corporeas: ad quod sufficit

ficit esse, & fieri, & conseruari, dependenter à corpore, sicut hac ratione puncta, lineæ, & superficies, non sunt corpora, sed sunt res corporeæ: vnde inter corpus, & spiritum datur medium, scilicet, esse corporeum. Nos autem non negamus aliquam formâ posse dici corpoream, sed dicimus non esse corpus, quia licet non desit ei, vnde sic denominetur, deficit tamen vnde sit corpus, §. Nec obstat, quod actio creatiua corporis, pendet ab illo, & ea qua intellectus abstrahit speciem à phantasmatibus, & tamen non sunt actiones corporeæ; ergo saltem doctrina responsionis falsa est, (licet non militet hoc contra intentum principale) §. Respondetur enim, hanc replicam procedere, etiam ex negatis, cum enim illæ actiones sint immanentes in sententia Thomistica, non pendent in esse, & fieri à corpore: sed solum illud inferunt, & reddunt à se dependens.

11 Arg. 2. ad idem. Etiam non intellecta radice quantitatis, solum intellecta constitutione partium integralium, intelligitur distinctiuum corporis à spiritu, quia repugnat esse spirituale, & componi ex partibus integralibus, sed prius est in substantia integritas partium, quibus in se constituitur, quam radicatio, vel ordo radicalis ad quantitatem; ergo ratio corporis antecedit omninò radicationem trinæ dimensionis. Confirmatur alia via. Per hoc precisè quod intelligatur in substantia, ordo ad lineam, vel superficiem, intelligitur distinctiuum à spiritu, qui non potest radicare superficiem, aut lineam: sed prior est linea, aut superficies, quam trina dimensio quantitatis; quia simpliciores sunt, & ex illis componitur ratio corporis quantitatiui, quod consistit in illa trina dimensione; ergo saltem non constituitur corpus de genere substantiæ per trinam dimensionem. Respondetur, quod duo possunt intelligi in materia; primo, ordo ad formã; secundo, ad quantitatem, quam radicat: ipsa constituitur in ordine ad se, quatenus est ad formam, & sic prius est, quod habet in linea sua, quam habere partes integrales, quæ intelligi non possunt, sine ordine ad quantitatem, quæ est prima ratio distinguendi partes, vt ait D. Th. p. p. qu. 50. art. 3. Vnde & si posset intelligi materia in angelis, non tamen corporea, & quæ esset principium individuandi sine partibus, neq; partes, sine ordine ad quãtitates, quia proprias non constituitur essentialiter, sed solum, vt radix quantitatis; nam essentialiter per ordinem ad formam constituitur. Ad confir. Res. quod corpus substantiale non est tale, nisi respectiuè ex ordine radicali, ad corpus quantitatiuum, sicut individuatio substantialis non est talis, neque intelligitur eius principium, nisi in ordine ad quanti-

tatem, quæ per se ipsam est indiuidua, & ideò donec intelligatur in corpore substantiali radicatio corporis, quod est tale in genere quantitatis, non intelligitur corpus substantiale, aut eius constitutiuum. Punctus autem, linea, superficies, non sunt corpora de genere quantitatis, sed sunt corporeæ. Ad rem ergo. Cum omne denominatiuum, tale dicatur, ab eo quod est tale per se, non intelligitur punctum, & lineam, & superficiem, esse quid corporeum, nisi ratione dependentiæ, quam habent à corpore quãtitatiuo; & cum substantia corporea, quæ est corpus in genere substantiæ, non radicet hæc, nisi vt corporea sunt, nõ radicat illa, nisi quatenus radicat corpus de genere quantitatis; & sic prius secundum nostram intelligentiã, radicat corpus, quam eius partes, in genere causæ quasi formalis; licet in genere quasi causæ materialis, prius sint quam corpus, & per consequens intelligi non potest, substantiam esse corpus, & distingui à spiritus simpliciter, nisi per ordinem ad corpus, ex quo linea, & superficies denominantur corporeæ.

12 Arg. 3. Spiritus constituitur per oppositum ad corpus; sed *spiritus constituitur per elongationem à materia*, teste D. Th. p. p. q. 14. ar. 1. ergo corpus constituitur per materiam. Ergo independenter à radice trinæ dimensionis inuenitur constitutiuum corporis. Tum etiam. In qualibet re, prius inuenitur conceptus essentiæ cum suis constitutiuis essentialibus, quam conceptus naturæ, vt latè probat ibidem Cornecho; sed conceptus naturæ constituitur in radicatione passionum, vel motus naturalis; ergo in corpore substantiali, prius inuenitur ratio essentialis, quæ directè attinet ad constitutiuum essentiæ, & ad prædicata essentialia, quæ directè pertinent ad prædicamentum substantiæ, quam intelligatur radix trinæ dimensionis. Respondetur, quod spiritus constituitur per elongationem à materia, nõ vtcumque, sed quatenus radicat dimensionem, nam hac præcisa, materia non erit corporea, sed spiritualis, nec esset principium individuandi, sed principium genericum, vt docet D. Thom. p. p. q. 50. art. 1. Ad confirmationem respondetur, quod etsi conceptus essentiæ, sit inadæquatè distinctus, à conceptu naturæ, adæquatè tamen est indistinctus, & ideò æque benè explicatur essentia per radicare proprias passiones, ac per sua prædicata, quia ipsum radicare proprias passiones, oritur ex prædicatis essentialibus: & licet procedendo modo mathematico per prædicata essentialia corporis, deberemus explicare, quas passiones radicet, quia mathematicus procedit, ex magis notis quoad se, & quoad nos tamen naturali, ac physico mo-

modo procedendo, demõstramus magis nota secundum se, per minus nota secundum se, quia ea quę sunt minus nota secundum se, sunt magis nota quoad nos, & sic per hæc demonstrantur, etiam ipsæ diffinitiones philosophicæ; estque singularis textus Arist. lib. 2. de Anima, text. 12. omnino videndus ex quo sequitur nos optimo iure diffinire corpus per radicare trinam dimensionem: quia modo naturali procedimus, & naturalis per notiora quoad nos diffinit, & explicat rerum essentias, & in ordine ad sensibilia eas attingit, nõ autem modo mathematico.

13 Arg. 4 in fauorem pugnãtium contra secundam conclusionem. Essentiæ rerum substantialiũ in consideratione physica considerantur per ordinem, & radicationem accidentium sensibilium; ergo essentia corporis physici substantialis, debet constitui, & explicari in physica, per ordinẽ ad impenetrabilitatem. Prob. cons. nam quantitas identificatur cum re quanta, ideſt, cum substantia, in extensione partium, in ordine ad se, seu in trina dimensione, & solum est accidens substantiæ, secundum extensionem in ordine ad locum; at hæc extensio dicit impenetrabilitatem, ergo si essentia corporis debet explicari, per radicationem quantitatis sensibilis accidentalis; debet explicari per radicationem impenetrabilitatis, quæ nihil aliud est, quam moles sensibilis repletiua loci, & obstans alijs corporibus, ne sint in eodem loco, ſ. Respondetur negando illam identificationem quantitatis, secundum extensionem partium in ordine ad se, & trinam dimensionem in substantia: quia substantia, etsi habeat partes distinctas, non tamen ordinatas, & terminatas per trinam dimensionem, ita vt vna sit extra aliam; quod patet, quia substantia non est sensibilis per se, sed tantum per accidens, at illa trina dimẽsio, est nobis per se sensibilis, & percipitur nostris sensibus: ergo non est substantia, sed accidens; ergo illa trina dimensio competit quantitati accidentali, & ex ea oritur secundario extensio localis, & impenetrabilitas: quod patet, quia in Cœlo Empireo, sunt corpora cũ trina dimensione, & tamen ea corpora non sunt ibi in loco; esse ergo in loco, & extensio in ordine ad illum, non est essentialis ratio quantitatis, sed extensio trinæ dimensionis in ordine ad se, ex qua oritur extensio in ordine ad locum, tanquã effectus secundarius. Quod apparet in corporibus penetratis, quæ conseruant suas dimẽsiones, & tamen carent extẽsione locali, seu impenetrabilitate. Dato autem quod quantitas consisteret solum in extensione partiũ locali, adhuc ratio corporis substantialis, nõ benè posset explicari per impenetrabilitatem: nam quantitas Corporis Christi cõsecrati, manet penetrata cum accidentibus; & tamen manet ibi

vera

vera quãntitas accidentalis; ergo essentia corporis quantitatiui nõ cõsistit, in impenetrabilitate, sed in aliquo priori ad illam: sed corpus substantiale dicitur tale, per radicare corpus accidentale quãtitatiuum; ergo non constituitur formaliter per radicare impenetrabilitatem.

14 Con. 3. conclusionẽ, quoad animam rationalem militant hæretici Antripomorphitæ, Tertulianus, & alij, existimantes animam, aut corpus subtile esse, aut corpoream. Alij autem existimãt animam rationalem esse incorpoream: cæteras autem animas plantarum, & brutorum esse corpora. Sic Põponatius in libello de augment. cap. 11. & lib. de substantia orbis, cap. 1. cum Cleante, & Crisippo videndis, apud Arist. lib. 1. de Anima, text. 72.

15 Arg. 5. in Synodo generali, & 2. Nicæna admittitur sententia cuiusdam Episcopi, asserentis *animam, & angelos, præditos esse corpore, licet subtilissimo*, quæ tamen non fuit reprobata; ergo saltem est probabile, animam rationalẽ esse corpus. Quoad alias vero animas plantarum, & animalium, prob. Illud est corpus, in quo potest designari trina dimẽsio, vt ait D. Tho. cap. 3. de ente, & ess. & in 1. dist. 25. art. 1. ad 2. sed in anima plantarum, & imperfectorum animalium, quæ sunt anulosa, potest designari trina dimensio, quia sunt diuisibiles, & extensæ, ergo sunt corpora. Confirmatur 1. Anima mouet corpus, sed omnis motus fit per contactum mouentis ad mobile; ergo anima contingit corpus, sed contactus corporis, fieri non potest, nisi inter duo corpora, vt docet Arist. lib. 1. de Generatione, ergo anima est corpus. Confirmatur 2. omne mouens motum est corpus ex 6. Phys. text. 32. sed anima mouet corpus, vt mota, cum non sit prima causa; ergo. Confirmatur 3. Nemo dat quod non habet, sed anima dat corpori, esse corporis (sic interpretabimur cum Arist. & D. Thom. diffinitionem animæ, *Est actus corporis*) ergo anima est corpus. §. Respondetur ibi non reprobari dictũ illius Episcopi, quia non agebatur de hoc in eo Concilio; sed non approbari, & ideò inde sumi non potest argumentum. Dato tamen quod ille Episcopus dixerit esse corpoream (quod numquam est approbatum ab Ecclesia) non sequitur inde esse corpus, quia animæ plantarum, & animalium, sunt corporeæ, & tamen non sunt corpora. Ad argumentum probans de alijs animabus. Respondetur, quod in alijs animabus potest assignari trina dimensio nõ ratione animarum, sed ratione materiæ in qua sunt, sicut in qualitatibus coloris, ac proinde non sequitur esse corpora, sed tantum esse corporeas; quia vt sit aliquid corpus, vlterius exigitur, designari dimensionem, tanquam in propria radice; quantitas autem, vt pluries dixi, sequitur ad

materiam, qualitas autem ad formam. Ad 1. confirmationem respondetur, animam mouere corpus, contactu virtutis, non autem contactu locali, & ideò non sequitur esse corpus. Vide D. Tho. 1. cont. gent. cap. 56. & lib. 2. cap. 65. in fine. Ad 2. respondetur, quod anima est primum mouens in ordine causarum formaliū naturalium, quamuis absolutè non sit primum mouens; hoc enim soli Deo competit, & in genere causæ effectiuæ, & ideò non sequitur, quod moueat mota; nam potius, vt q. 1. ostendi ex Arist. in lib. 1. de Anima, sic est mouens immobile; quod autem moueat, vt mota à Deo, tanquam à primo efficiente diuersi ordinis, non obstat, nec inde sequitur esse corpus, quia hoc est, quod mouet motum in ordine causæ secundæ. Ad 3. respōdetur, quod nemo dat, quod non habet virtualiter, aut formaliter vt quo, vel vt quod: Anima autem dat esse corpori, quia ipsa est vt quo corporea. Vide pro tota responsione Bannes p. p. q. 78. art. 1. dub. 1. ad 2. & Aquarium super Ferrar. lib. 2. de Anima, q. 3. & D. Tho. 2. cont. gen. cap. 49. & Caiet. 3. de Anima, cap. de intellectu agente. Vide Ferrar. 2. cont. gent. cap. 65. vbi plura alia, lectu dignissima reperies.

## QVAESTIO IV.

*An Anima sit substantia simplex, an vero composita, ex materia, & forma?*

1 IDeò hanc quæstionem in præsenti excitamus, quia est vna ex illis, quas esse ventilandas ad inueniendam legitimam animæ diffinitionem, docet Aristot. lib. 1. de Anima, cap. 1. ideòque de illa specialem articulum instituit D. Thom. p. p. q. 75. art. 1. & in alijs pluribus locis relatis in contextu marginali, & in 2. cōt. gent. cap. 50.

2 Dicendum est. Nulla anima est composita ex materia, & forma, & per consequens omnis anima est simplex. Sic communiter Philosophi. Et quantum ad animam rationalē probat D. Th. Anima intellectiua cognoscit lapidem, modo immateriali, & sine materia indiuiduali; ergo ipsa est sine materia, & immaterialis. Prob. conseq. Omne quod cognoscitur est receptum in cognoscente, & omne quod recipitur in aliquo, ad modum eius est in quo recipitur; ergo si lapis cognoscitur immaterialiter, anima est immaterialis quoad intellectū, qui est proprietas animæ; sed proprietas non excedit essentiam in qua radicatur, in perfectione, & immaterialitate; ergo à fortiori anima intellectiua, & rationalis est immaterialis, & simplex. ℣. Si dicas,

cas, quod etsi anima cognoscat lapidem, abstrahendo à materia indiuiduali, non tamen à materia specifica, quia cognoscit illud compositum, vt constat materia, & forma, quæ sunt partes eius essentiales; ergo licet hinc probari possit animam, non componi ex materia signata, quæ est principium indiuiduationis, non tamen probatur non componi ex materia spirituali, quæ non est signata, nec principium multiplicationis indiuidualis, sed tantum fundamentum gradus generici, vt volebat Auicembron. in lib. fontis vitæ. Contra est 1. quod possumus cognoscere substãtias omnino immateriales, vt est Deus; ergo abstrahendo etiam à materia spirituali, ergo & si hæc esset dabilis, non sequeretur ex illa componi animam; nam si benè sequitur, abstrahit in cognoscendo à materia singulari, & signata, & à materia corporea; ergo ex illa non componitur, etiam benè sequitur. Abstrahit in cognoscendo ab omni materia, vt in omnibus actibus metaphysicæ patet; ergo ex nulla materia componitur, ergo est omnino immaterialis. Tum etiam, quia falsum est, quod detur materia omnino spiritualis, vt ostendit D. Thom. p.p.q.50.art.1. ergo si non componitur anima ex materia corporea (alioquin non posset intelligere res, in communi, quia materia corporea est signata.) necessario sequitur nulla materia posse constare animam. Vide D. Thom. 2. cont. gent. cap. 50. n. 2. 3. 6. & 7. & in 2. dist. 17. q. 1. art. 2. vbi egregiam rationem assignat hoc modo. Si anima rationalis componitur ex materia spirituali; ergo cum sit actus etiã materiæ corporalis, vnus actus erit talis, respectu duplicis materiæ, genere differentis.

3 Quod verò nulla forma corporea, possit componi ex materia corporea (nam componi non posse ex materia spirituali per se est certum) prob. Anima corporea est forma corporis, ergo vel se tota est forma, vel secundum partem: si primum; ergo se tota est actus primus, & non potentia, & materia pura. Prob. conseq. nam ens tanquam in extrema immediatè opposita, distinguitur in actũ, & potentiam; ergo qua ratione anima esset se tota actus primus: non poterat esse materia, & potentia pura. Si secundum partem: ergo quo est actus est anima; & qua parte materia, esset animatum, & sic illud compositum non esset anima, sed constans ex anima, & animato. Confirmatur. Nulla anima corporea est corpus, vt probatum est q. anteced. ergo nulla anima est materia, aut ex illa componitur. Prob. cõseq. omnis materia corporea est corpus, cum sit radix trinæ dimensionis. Confirmatur 2. Omne cõpositum ex materia, & forma, habet formam; ergo si anima est composita, habet formam; sed ob eandem rationem illa forma esset com-

compoſita; ergo etiam haberet formam, & ſic eſſet proceſſus in infinitum. Confirmatur 3. Si anima eſſet compoſita ex materia, & forma: ergo cum forma det ſpeciem, anima haberet ſpeciem completam; ergo cum corpore etiam compoſito, fieret vnum ens per accidens ex vnione animæ ad corpus, nec poſſet fieri vna eſſentia, & ſpecies completa ex illis, quia vna ſpecies completa, nõ componit aliam, niſi per accidens. Denique ſi anima conſtat ex materia, & forma, & ſimiliter corpus, vt admittit Auicembrot: ergo corpus habet ſuam vnitatem per formam, & ſimiliter anima: ergo habent in ſe duas vnitates, ſed duæ vnitates, vniri non poſſunt, niſi per aliquod medium, cũ tamen Ariſt. 7. Met. dicat, corpus, & animam, materiam, & formam immediatè vniri; ergo ficta eſt illa poſitio. Dicere vero quod anima, & corpus vniuntur per lucem: anima quidẽ vegetatiua luce cœli ſiderei, ſenſitiua luce cœli chryſtallini, & rationalis luce empirei: chimericum eſt. Vide has rationes in D. Th. q. de Anima, art. 6.

4 Con. concluſionem abſolutè arg. Auicembrot. Ibi eſt materia, vbi ſunt proprietates materiæ, ſcilicet, ſubijci, recipere, & eſſe in potentia, ſed hæ proprietates ſunt in anima, etiam intellectiua, vbi ſunt potentiæ; & habitus: & in intellectu qui ſequitur ad animam ſunt ſpecies; ergo anima habet materiam, & ex illa componitur, & hoc idem, & à fortiori verificatur in anima plantarum, & animalium. Confirmatur 1. ex Boet. lib. de Trinit. aſſerẽte, quod *forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt*: Anima eſt ſubiectum plurimum accidentium; ergo non eſt forma ſimplex, ſed cõpoſita. Confirmatur 2. ſi anima eſt forma tantum, eius accidentia debent conſequi totam ſpeciem, hoc eſt falſum, vt patet in albo, & muſico; ergo non eſt forma ſimplex. Maior prob. quia forma, eſt principium ſpeciei, ſicut materia eſt principium individui. Confirmatur 3. Quidquid eſt, vel eſt actus purus, vel pura potentia, vel compoſitũ ex actu, & potentia, ſed anima non eſt actus purus, nec pura potentia; ergo eſt cõpoſita ex actu, & potentia, ergo ex materia, & forma. Prob. conſeq. Quidquid eſt in actu, participat ſuam actualitatem ab actu puro, qui eſt primus actus; ergo quod eſt in potentia, eam participat à pura potentia, quæ eſt materia prima. Sicut ergo qua ratione eſt actus, habet participationem Dei, etiã qua eſt potentia, erit participatiua materiæ primæ, & ſic erit cõpoſita ex materia ex forma.

5 Reſpondetur ex doctrina D. Tho. q. vnica de Anima, art. 6. in corp. & ad arg. negãdo min. Licet enim anima recipiat, & ſubijciatur; nõ tamẽ hoc habet per motũ phyſicũ, ſicut materia, & ideõ quoad hoc nõ habet eius proprie-

tates; quia cum omnis motus reducatur ad localem, tanquam ad communiorẽ, vt dicitur 8. Phys. ibi solum sunt proprietates materiæ, vbi est potentia ad vbi, & loco circumscribi possunt; cum autem anima rationalis, non intelligat, neque recipiat per transmutationem, sed quiescendo; nam motus potius impedit intellectionẽ, vt dicitur 7. Phys. fit consequẽs, quod ex æquiuoco procedit argumentum, & idem contingit in alijs animabus. Si instes: etsi hæc respõsio probet quod anima rationalis, & sensitiua, in recipiẽdo species, mediantibus potentijs cognoscitiuis, non habeant proprietates materiæ, non tamen probat, quod anima saltem vegetatiua, non habeat proprietas materiæ; nam vegetatiua, non viuit quiescendo, sed motu physico augmẽti, ad quod etiam per motum recipit alimentum; ergo. Respondetur tamen, nec animam vegetatiuã habere proprietates materiæ, quia quidquid motus physici est in vita vegetatiua, & quidquid receptionis per motum, se habet per modũ dispositionis, & prouenit à materia: Vita autem formaliter consistit in ea immutatione, qua alimentum conuertitur in substantiam alti, quæ est quædã mutatio, & terminus, & forma totius motus antecedentis, & quatenus ab intrinseco habet vim transmutandi in se materiam alimenti, quasi in facto esse. Aliam responsionem ad principale argumentum, habet D. Tho. p. p. q. 50. art. 2. ad 2. quod & si anima recipiat, & subijciatur, & non tamen eo modo quo materia, quia non recipit, vt constituatur in specie, per illud quod recipit: & per consequens non habet proprietates materiæ primæ, neque debet ex illa componi.

6 Ad 1. confirmationem respondetur cum D. Th. Boet. loqui de forma, quæ est omnino simplex, per modum actus puri, non vero de forma, quæ habet admixtam potentiam, hæc enim licet non possit esse subiectũ transmutationis, potest tamen esse subiectum formæ accidentalis, sine transmutatione: & ideò non exigit componi ex materia vt sit subiectum. Ad 2. confirmationẽ respondetur, quod accidentia, quæ consequuntur formam secundum se, ad totam speciẽ consequuntur, at quæ solum consequuntur ad formam, vt individuatur per ordinem ad corpus, non est necesse quod ad totam speciem consequãtur, & huiusmodi sunt, albedo, & musica. Ad 3. Respondetur, quod & si anima, nec sit actus purus, nec potentia, inde tamen non sequitur componi ex materia, & forma, sed sufficit constare ex actu medio, seu esse actum primum, cum potentia ad actum secundum, nec probatio vrget, tum quia potentia, quam habet anima, non est ad recipiendum cũ transmutatione, ac perinde, nec potest prouenire à materia prima,

ma, neque participari ab illa: Tū quia (vt subtilissime docet D. Th. 3. p. q. 75. art. 6. ad 7.) quod & aduertit Caietanus) in ordine actuum, qui est ordo causæ efficientis, fit reductio omniū actuū, ad vnum actum primum, & purum, qui est infinitus, & diuinus, & ita continet quascūque actualitates, ita vt nulla dari possit, quæ nō sit eius participatio, in ordine vero potentiæ, & causæ materialis, non potest fieri reductio singularum potentiarum, in vnā numero potentiam, quæ sit pura potentia, sed in vnā analogicè analogica proportionalitatis, quia potentia dicitur talis, per ordinem ad actum proportionatum, & ideo eum ad actus ad quos est anima in potentia, non sit proportio in materia, non debet in illam reduci potentialitas animę; quod maximè patet in actu intelligendi, & principijs proximis intelligendi, qui sunt actus improportionati materiæ primæ: vnde & si vnus actus reducatur ad alium, vna potentia non reducitur ad aliam. Quorum ratio est, quia potentia materiæ intrinseca est, & ideò debet esse diuersorū diuersa, at actus efficiēs extrinsecus est, & ideò potest esse vnus respectu diuersorum, & participari omnes actus ab illo actu, non tamen participatur omnis potentialitas ab illa potentia quæ sit vna, Præterquam quod, & si ex argumēto inferatur, quod, anima non posset habere potentiam, recipiendi, ui-si in ordine ad māteriam primam, sicut hic ordine ad illam non individuatur, non tamen sequitur quod componatur ex illa, nam etiam in quantum forma, est participatio actus puri, & habet esse per ordinem, & dependentiam ab illo in suo genere, & tamen non componitur ex actu puro. Vide aliam responsionem, quodl. 3. q. 8. art. 20. ad 1.

9 Arg. 2. quæ non habent materiam, non habent causam sui, ex 8. Metap. text. 8. sed omnis anima habet causam sui; ergo habet materiam. Prob. conseq. ab oppoſito consequentis ad oppotum antecedentis arguendo. Respondentur mentem Aristotelis esse, quod quæ non habent materiam, non habent causam sui formalē: non verò quod non habeant causam efficientem, & ideò ex eo quod anima non habeat materiam, non sequitur, non habere causam effectiuam, sed solum non habere causam formalem. Vel Arist. sumit nomen materiæ pro potentia, vt sumi posse docet D. Tho. quodl. 3. q. 8. art. 20. & hic sensus est; quod non habet potentiam, sed est actus purus, non habet causam; & anima hoc modo habet materiam, id est, potentiam, vt ibi ait D. Th. & ideò habet causam.

## QVÆSTIO V.

*An anima sit in linea actus, & an sit actus primus, vel secundus, & an informans, an tantum, movens?*

1 SEquimur etiam præscriptum Aristoteles lib. 1. de Anima, cap. 1. vbi hoc etiam monet esse inquirendum, vt inueniatur animæ quidditas, & eius diffinitio. Supposito ergo quod anima est in genere substantiæ, & quod non est substantia composita, meritò, inquiritur, an sit in linea actus, & qui actus sit.

2 Dicendum primo. Anima est in linea actus substantialis, sic Arist. lib. 2. de Anima, text. 2. & 5. & probatur. Anima est substantia quædá, cum sit primù principium formale, quo movemur, & sentimus, vt esse in confesso apud omnes, docuit Arist. lib. 1. sed non est substantia composita, nec est pura potentia, illa enim non est, qua mouemur & sentimus, qua vnumquodque operatur, in quantum est in actu: ergo est actus simplex.

3 Dicendum secundo. Anima non est in linea actus secundi, sed in linea actus primi. Hoc idem docet Aristoteles illo textu 5. dum ait, *non esse actum sicut contemplatio, sed esse actum, sicut scientia*, at scientia, dicit actum primum, & contemplatio actum secundum; ergo anima est actus primus, & non actus secundus. Videatur D. Thomas ibidem, & facile probatur, quia anima est in linea formæ substantialis, cum sit in linea substantiæ, & non sit materia, neque compositum; ergo est actus primus, omnis enim forma substantialis est actus primus, ita vt illi repugnet identificare suam existentiam, & esse suã operationem, quod est certissimũ in schola, & doctrina D. Tho. quod non solum est proprium animæ, sed etiam transcendit secundum D. Tho. omnem substantiam creatam, & creabilem, nulla enim potest esse actus purus, ideòque nulla potest identificare vltimam actualitatem, aut in essendo, aut in operando, ac per consequens, nec potest identificare actum secundum.

4 Sed non parua controuersia est inter Thomistas, an cum docuit Arist. animam esse in linea actus primi, ratio talis actus primi sumenda sit in ordine ad existentiam, an verò in ordine ad operationem?

5 Dicendum tertio. Anima est in linea actus primi, respectiuè ad materiam, & ad esse, seu existentiam, & etiam in ordine ad operationem, sed diuersimodè (& sic discordia Thomistarum conciliatur) nam est actus primus in ordine ad materiam, quam perficit, quamque facit animatam, & viuentem, dando illi primam actualitatem: est actus primus in ordine ad existentiam, quia eam

sic

respicit immediatè, vt propriam perfectionem, qua habet vltimã actualitatem, in sua linea, & ordine. Est actus primus in ordine ad operationem ex consequenti, & mediatè, & per modum radicis, quia non immediatè respicit operationem, sed mediante potentia proxima, superaddita, nec actus secundus operationis, est sui ordinis, sed in linea accidentali.

6 Et quod hæc sit mens Arist. & D. Th. probat. Nã Arist. text. 2. inquirit rationem generica m animæ, ex eo quod est in linea substantiæ, & in illa non est pura potentia, nec compositum, & sic arguendo per locum à diuisione, colligit esse actũ primum, à text. 2. huius lib. 2. vsque ad text. 5. sed actus primus substantialis ex eo est actus primus, quia primo recedit per actualitatem, à pura potentia materiæ primæ, & quia illam actuat, & cum ea sic informata, constituit compositum animatum; ergo secundum mentem Arist. & bonæ philosophiæ, sumitur hic actus primus, quatenus respicit materiam primam, & eam informat, tãquam subiectum perfectibile. §. Confirmatur ex D. Thom. expositione ad text. 2. vbi ait, quod forma diffiniri non potest, nisi in ordine ab subiectum, quia est ens incompletum, & quod vocatur hic ab Arist. *entelechia*, idest, quo materia *fit actus ens*: ergo cum Arist. probat animam esse actũ primum, quia est forma, qua fit hoc aliquid, & qua materia fit actu, assumit hic actum primum in ordine ad materiam. Vide D. Tho. ad text. 4. huius lib. 2. §. Quod vero etiam sumat hic actũ primũ, vt dicit per se ordinẽ, ad existentiam, vt ad actum, quo perficitur, patet ex exemplo quo vtitur, quod est, actus primus, sicut scientia, & non sicut cõtemplatio; sed loquitur assumpta proportione ab ordine accidẽtali ad substantialem, in quo anima est actus primus, & existentia actus secũdus; ergo sumit actum primũ, in ordine ad actum vltimũ existentiæ, §. Tũ etiam, quia esse animã actum primum, nihil aliud est, quam esse id quo viuimus substantialiter, sed viuere, nihil aliud est, quam esse viuentium, seu habere esse viuẽtium, per formam existentem, & extra causas, vt aiẽt Arist. hoc 2. lib. text. 37. ergo ordo, actus primi vitalis, est ordo immediatus ad esse, seu existere, §. Quod vero ex consequenti dicat ordinẽ ad operationẽ, quæ est vita, non substantialis, sed accidentalis; probatur, quia forma substãtialis, non nisi secundario respicit perfectiones accidẽtales, & prius respicit esse substantiale, & secundario accidentale esse, quia prius sunt, quæ sunt in suo ordine, quã quæ in inferiori: ergo ex consequenti anima ratione actus primi, dicit respectum ad operationem vitalem.

7 Sed quia magna lis est, an cum Arist. dicit animam esse actũ primum, etiam in ordine ad

operationem; intendat solum ostẽdere, quod est prior ordine generationis, quam operatio, & distinguatur ab illa, an vero intendat docere, quod anima ex quo anima est, est actus primus separabilis ab operatione, & hac ratione, eam scientiæ assimilauerit.

8 Dicendum quarto. Mentẽ Arist. non solum esse distinguere animam, ab operatione, sed distinguere etiam à formis elementorum à quibus est inseparabilis operatio. Sic plures Thomistæ. Et constat ex verbis Arist. text. 4. citato vbi ait: *Cum perfectio, atque actus, bifariam dicatur, vt diximus: quidam enim est, vt scientia, quidam vt contemplatio, patet animam actum esse, perinde atque scientiam. Nam ex eo, quia anima est, & somnus est, & vigilia* (nota caulatem) *& vigilia quidem contemplationi, somnus autem scientiæ, operationi vacanti, similis est. Altera autem alteram, in eodem* (subiecto) *scientia, inquam, contemplationẽ; generatione præcedit. Quapropter anima primus est actus, perfectioque corporis naturalis, potentia vitam habentis.* Sentit ergo esse actum primũ operatione vacantem, sicut est scientia; nam probat, quod eo ipso, ac anima est, & somnus est, & vigilia. Quod explicãs ibi D. Th. hæc addit. *Manifestum est, quod anima est actus, sicut scientia, quia in hoc quod anima existit, inest animali, somnus, & vigilia, & vigilia quidem assimilatur consideratione, quia sicut consideratio, est vsus scientiæ; ita vigilia est vsus sensuum; sed somnus assimilatur habitui scientiæ, quando aliquis secundum ipsum, non operatur, in somno enim quiescunt virtutes animales,* & infra: *Sciendum autem, quod philosophus dicit animam esse actum primum, nõ solum vt distinguat animam ab actu, qui est operatio; sed etiam vt distinguat eam à formis elementorum, quæ semper habet suam actionem, nisi impediantur.* Ex quibus omnibus manifestè constat, nostrã conclusionem esse de mente Arist. & D. Thom. idemque habet Caietanus in principio commẽti huius lib. 2. §. Circa 3. dub.

9 Et suadet ratio. Ex quo anima est, & viuens est habet virtutem in actu primo, vt se moueat à se, in hoc enim consistit vita, & non tantum in moueri à generante: ergo habet eo ipso quod appetat quietem, & possit quiescere. Prob. conseq. nam dum mouetur à se, lassatur, & instrumenta, & potentiæ, quibus vtitur, cum debeant esse corpora, defatigantur; ergo debet habere facultatem ad quietem, & somnum, vt possit reparari lassitudo. Quod etiam verificatur in anima intellectiua, quatenus animat: nam etsi intelligentia non sit opus organi, tamen est, cum illo ex parte sensuum, & phantasmatum, quorum vsu, & ministerio indiget ad intelligendum.

10 Dicendum quinto. Anima non

non vnitur corpori, vt motor, sed vt vera forma intrinseca, non sicut nauta in naui, vt putauit Plato, quê sequitur Greg Nissenus, seu Nemesius, lib. 2. philosoph. cap. 4. & 6. & à c. 10. Sed in Conc. Lateranensi, sess. 8. sub Leone X. contra Lutetum diffinitur, animas hominum, non esse assistêtes, sed informare; & idem habetur in Clement. 1. de Sum. Trin. Sic innuit Arist. hoc 2. lib. text. 11. & D. Th. ad illum text. & ratio est; quia anima est actus corporis, dãs illi speciem, & quo aliquid est, vt *entelechia*; ergo est actus intrinsecê informans, & non tantum, sicut nauta est in naui mouens illam, vt agens extrinsecum, ℘. Conf. Si anima esset in corpore, sicut nauta in naui; ergo vnio animæ ad corpus, esset accidẽtalis; ergo separatio eius à corpore, non esset substantialis, quod est falsissimũ. Vide D. Tho. q. 1. de Anima, art. 1. post medium, & p. p. q. 76. art. 2. & 2. cõt. gent. cap. 59. vbi præcipuê agitur de anima rationali: nam de alijs non est dubium, non vniri præcisê vt motores.

11 Contra 1. concl. arg. 1. Hic quærit Arist. rationem generi-cam animæ; ergo non debet inquiri, an sit actus substantialis, prob. conseq. Ratio actus substãtialis est transcendens, & per cõsequens analoga, sed ratio generica est vniuoca; ergo. Prob. ant. ens immediatê diuiditur in actũ, & potentiam, sed quod immediatè afficit ens, & diuidit illud, est ratio trãscẽdẽs; ergo. ℘. Resp. quod ratio actus est transcendens, quatenus immediatê diuidit ens, per substantiale, & accidentale, & quatenus abstrahit à substantia completa, & incompleta; sed tamen sicut completa substantia, & actualitas, vniuocê dicitur de quibusvis substantijs completis, ita actualitas incompleta dicitur vniuocê, & genericê, de substantijs incompletis, vt est anima.

12 Arg. 2. contra 2. concl. Anima est actus perfectissimus, quia respectu animati est quoddam diuinum, & optimum ex 1. Phys. text. 81. & D. Thom. ibi lect. 15. ergo non est actus primus, sed actus secundus, quacumque comparatione facta. Prob. antec. est actus dans speciem rei, & constituens hoc aliquid vt *entelechia*, vt ait Arist. hoc lib. 2. text. 2. sed species dicit supremam rei perfectionẽ, non autem existentia, quæ communis est omnibus, & addit perfectionem quandam accidentalem; ergo anima est actus secũdus, ℘. Conf. respectiuê ad actum secundum operationum, anima est perfectissimum ens; ergo non est actus primus, sed secundus: prob. conseq. nam actus secundus minus habet de potentialitate; & finis est, actus primi; & beatitudo in actu secundo consistit: ergo non benê componitur, formã esse aliquid quasi diuinum, & optimum, quod est inanimato, & esse actũ primum respectiuê ad operationem.

Resp. Quod & si anima det speciem animato, & det illi distinctionem specificam ab inanimato, non sequitur tamen esse perfectiorem existentia substantiali, quia hæc diuinior est, & ea ratione, conuenit accidentaliter (prædicabiliter, non autem prædicamentaliter) quia nulli creato potest esse essentialis, eo quod soli Deo cõpetit, & ex se est actus vniuersalissimus, & propria participatio causæ vniuersalis, & ideò excedit omnino actualitatem animæ, §. Ad confir. Resp. quod anima perfectior est simpliciter omni operatione accidẽtali, quia est in supremo ordine, & genere, scilicet, substantiali; & ideò concesso antecedenti, negatur conseq. Ad 1. probationem, distinguo antecedens. Habet minus de potentialitate, in inferiori ordine accidentis, cõcedo; in superiori ordine, nego; & minor potentialitas, non arguit, maiorem perfectionem simpliciter, nisi respectu eorum, quæ sunt magis potentialia, in suo ordine, §. Vel aliter respondetur. Habet minus de potẽtialitate, secundum quid, concedo: minus simpliciter, nego: & ratio est, quia ideò habet minus, quia iam supponit omnem perfectionem substantialem, & est actus vltimus, licet actualitas, quam addit, sit secundum quid. Vel aliter respõdetur. Habet minus de potẽtialitate, essentialiter tamen dependente ab actualitate substantiæ, concedo: independente, nego: & melius est habere magis de potentialitate, cum independentia, quam minus, si hæc non est absoluta, sed entis ens, & actualitas essentialiter pẽdens ab alia actualitate, §. Ad 2. prob. Resp. quod actus secundus operationis, accidentalis, est quidem finis potentiæ operatiuæ accidentalis, vt dixi cum D. Th. p. 2. q. 71. artic. 3. Sed non est finis, cuius gratia respectu principij substantialis, quale est anima, sic enim anima, & agens, est finis, cuius gratia ponitur operatio, & ipsa operatio, est finis effectus, §. Ad 3. Resp. quod beatitudo cõsistit in perfectissimo, in linea quidem accidentali, non in linea substantiali, & ideò consistit in operatione: & in sententia asserente, quod gratia est simpliciter perfectior, quã visio beatifica (quæ sententia mihi multum placet) dicẽdum est esse perfectissimum quid respectiuè ad operationes, & ad principia proxima, non autem ad principia radicalia, de quibus latè in materia de Beatitudine.

13 Contra 4. conclus. arg. 3. Arist. in illis verbis, quibus dicit animam esse actum primum. Sicut scientia, explicat rationem genericam animæ, non autem differentialem, hoc enim explicatur per *potentia vitam habentis*, quæ particula multis interiectis distat ab illa. *Actus primus corporis*: ergo per particulam *actus primus*, non explicat separabilitatem animæ ab operatione, in quo consistit vltima differentia animæ à formis

inanimatis, §. Resp. quod Aristot. vna, & eadem particula, & genus, & differentiam animæ expressit; in quo consistit eius magisterium, & summa formalitas in loquendo: hoc enim ipso quod anima sit actus primus, vt scientia, est actus primus separabilis ab operatione, quantum est ex se, & quoad rationem actus primi, conuenit generice cum inanimatis; sed in ratione separabilitatis ab actu, & operatione, contrahitur, & differt ab illis: nec aliæ particulæ superfluunt, quia illæ explicãt dispositionem requisitam, ex parte materiæ, scilicet, quod vt conferat anima suum proprium effectum formalem, actus primi separabilis ab operatione, requiritur subiectum: quod sit physicum organicum, & potentia, vitam habeat, sitque vltimo dispositum ad illam, & quasi in potentia proxima, & vltima, ad recipiendum effectum formalem vitæ substantialis, ex qua sequitur vita accidentalis consistens in operatione à qua esse separabilem animam, nõ explicatur ibi, sed in particula illa, quam exponimus, scilicet, *Actus primus vt scientia*.

14 Arg. 4. ad idem. Vel anima eo quod anima est talem habet naturam, vt possit omnibus requisitis ad operandum, nõ operari, aut non: si primum; ergo omnis anima libera est, ex quo est anima; liberum enim est quod, positis omnibus requisitis ad operãdum, potest non operari. Si secundum, ergo non distinguitur ab elementis, in quibus, forma, si desint requisita, vel impediantur, non operabitur, §. Confir. Omnis anima irrationalis, est necessario operatiua, & constituit agens necessarium; ergo non potest non operari, quantum est ex se; ergo non distinguitur ab alijs formis, per separabilitatem ab operatione, §. Respon. libertatem non consistere in posse cessare ab operatione, positis omnibus requisitis; sed in eo quod hoc fiat à se, ex cognitione indifferenti, & non ex instinctu auctoris, vel ex necessitate naturæ: anima autem irrationalis, non ex se cessat ab operando, sed ex instinctu auctoris, & in hoc differt à formis inanimatis, quæ petunt non cessare, etiam ex instinctu, §. Ad confir. Resp. necessitatem earum formarum, non consistere in non seiungi ab operatione, sed in eo quod non à se cessent, & per deliberationem.

15 Arg. 5. ad idem. Multo perfectius est, coniungi cum operatione, quam priuari illa; ergo perfectius est, non posse separari ab illa, quam posse separari: & hoc maximè, quando suspensio, non est per deliberationem, vbi æquiualet suspensio libera, ad ipsum agere; & ideò Angeli, quia perfectissima entia sunt, numquam dormiunt, nec cessare ab intellectione saltẽ sui possunt, quãuis exercitia liberè mutare possint: sed anima est perfectior,

quam formā elementaris; ergo ex se nō constituitur per posse separati ab operatione, §. Resp. quod nō seiungi aliquid ab operatione, nec esse ab illa separabile, perfectius est, quam posse separari, si cætera sint paria: at in nostro casu, cætera non sunt paria, quia separabilitas in anima prouenit ex eo, quod ab intrinseco mouetur, quantum ad elicientia, & per cōsequens lassatur, & ideō expedit ei separatio à labore actus, & ideō anima perfectior est forma elementari, etiamsi sit separabilis ab operatione, quia ea inseparabilitas pascitur ex imperfectione, talis formæ in operando non à se, & ex se.

16 Argumenta quæ possent obstare contra vltimā conclusionē, probādo quod saltē anima rationalis, non potest vniri corpori vt forma, sed solū vt motor, & quod non potest vnum per se constituere cum illo, vide apud D. Tho. q. vnica de Anima, artic. 1. & ibi responsiones.

## QVAESTIO VI.

*An anima sit actus corporis physici organici, potentia vitam habentis?*

1 CVM anima sit ens incōpletum diffiniri non potest absolutē, sed in ordine ad subiectum susceptiuum, sicut accidētia, non quia habeat esse à subiecto, cum potius det illi esse specificum: sed quia incompleta formā, ex se dicit ordinem, ad id cum quo constituit ens cōpletū. Quæ doctrina est D. Th. hoc lib. 2. ad text. 2. & cū anima excedat alias formas substantiales elementorum, & inanimatorum, non respicit pro subiecto proprio materiam vtcumque, sed quatenus supponit gradum corporeitatis, non vtcumque, sed ita vt sit corpus physicum, & organicum, quod potentia vitam habeat: & ideō dicitur quod anima est, *Actus primus corporis physici organici, potentia vitam habentis.* Sed quia istæ particulæ diuersimodē intelliguntur, ideō non nihil immorabimur in earum expositione, vt mens Arist. & veritas ipsa clarius appareat.

2 Dicendum est primo. Vt materia recipiat animam, & informetur ea, necessario debet esse corpus physicum. §. Probatur. Illud est proprium susceptiuum animæ, quod proximè informatur anima vt tali, sed nisi materia prima, participet gradum corporis, physici, & naturalis, non potest intelligi quomodo sit quid animatum; ergo proprium susceptiuū animæ est corpus physicum, & anima verè, & propriè est actus corporis physici, & naturalis. Probatur minor, sicut materia procedit de imperfecto ad perfectū, ita forma perficit ipsam procedendo de imperfecto, ad perfectum, quia iste progressus, in agēdo, & patiendo, est proprius natu-

turæ; sed inter gradus entis naturalis, communicabiles à forma, gradus corporis naturalis imperfectior est, & magis genericus; ergo debet supponi in materia, vt recipiat gradum animati, qui perfectior est, & propinquior animæ. ℣. Conf. Gradus, quo perfectior est, supponit imperfectum, & quo magis determinatus, supponit minus determinatum, sed gradus vitæ, & animati, perfectior est, & magis determinatus, cum paucioribus competat; ergo per se supponit gradum corporis physici. ℣. Denique materia prima, nõ est proprium susceptiuum formæ, nisi habeat proportionem cum illa, sed pura potentialitas materiæ, non proportionatur immediatè cum gradu perfectiori vitæ, sed mediante gradu corporis physici, qui cum sit imperfectior, magis accedit, ad indeterminationem, imperfectionem, & materialitatem ipsius materiæ; ergo proprium susceptiuum animæ, est corpus physicum; sed anima est actualitas proprij susceptiui, ergo est actus corporis physici: quod adeò certum est, vt potius hoc supponat, quam probet Arist. hoc lib. 2. text. 4. & 7. Vide D. Thom. q. de spiritualibus creaturis, art. 3. ad 2. & nota, quod corpus physicum hic ponitur, secundum quod naturale, & physicum ab artificiali distinguitur, vt notat hic D. Thom. text. 3. & 8. quod fuit, ad tollendam æquiuocationem; ne quis existimaret animã esse actũ, corporis artificialis, quod sæpe vocat hic Arist. in exemplum, vt ex notioribus rem explicet.

3ª Dicendum 2. Anima necessario supponit organizationẽ corporis physici, tanquam proprium susceptiuum. Sic Arist. text. 7. & D. Thom. ad ipsum in hoc lib. 2. Prob. nam proprium susceptiuum animæ, est forma vitalis; sed ad vitam plures requiruntur operationes, & pars per se mouens, & pars per se mota simile autem non agit in simile, neque immutat (vt lib. 1. de Gen. latè dictum est) ergo ad hoc quod corpus recipiat animã, seu formam vitalem, requiritur quod sit corpus organicũ, ℣. Explicatur. Anima informat corpus, vt faciat corpus viuum, & animatum; sed vita exerceri non potest sine organis, ob rationem dictam; ergo requiritur corpus organicum, tanquam proprium susceptiuum.

4 Si dicas, Anima ipsa facit corpus organicum, ergo non supponit corpus organicum, alias supponeret se ipsam, & supponeret suum effectum formalem, cum effectus formalis, nihil aliud sit, quam ipsa forma communicata. Vel sequitur corpus non indigere anima ad viuendum, si ante illam, quatenus intelligitur, vt susceptiuum eius, iam habet organa. Probatur consequentia, quia corpus organicum, viuum est.

5 Contra est: in primis quod corpus organicum viuum est in potentia, & dispositiuè, non autẽ

vinum in actu: imò vt vitam substantialem recipiat, quæ est effectus formalis animæ, eget organizatione. Aliter etiam arguo cum D. Thom. quæst. vnica de pot. artic. 9. & ad 5. & 17. & cum Caietan. hic lib. 2. cap. 1. q. 4. not. 3. adhuc dato, quod organizatio substantialis, sit effectus formalis animæ vt anima est, verificaretur, animam non esse actum corporis nisi organici, quia non est actus corporis, nisi vt dispositi ab agente per dispositiones accidentales, quæ disponant materiam, per quantitatem, & qualitates aptas formæ, & eius operationibus; quæ esto fiant à forma effectiuè, vel formaliter, tamen eam præcedunt in genere causæ materialis; ergo saltem requirit anima corpus organicum accidentaliter, informet ipsum. §. Vel dici potest cum Arist. hic text. 10. & cum D. Thom. ibi, & p. p. q. 76. art. 4. ad 1. quod anima, dicitur actus corporis physici, & organici, *non abijciendo animam*, sed includendo effectum formalem, sicut calor dicitur actus calidi, & lumen luminosi, quia per effectū, diffinitur forma; & sic potentia vitam habere intelligitur de vita accidentali; si autem intelligatur ibi corpus organicum, quatenus dicit ipsam materiam, vt dispositam accidentaliter, estque proprium susceptiuum animæ, sic habet vitam substantialem in potentia, quia materia sic disposita, est potentia proximè receptiua animæ, quæ dat illi vitam substantialem.

6 Vterque modus dicendi, & exponendi, quomodo anima dicatur actus corporis organici, potentia vitam habentis, probabilis est, & insinuatur à D. Thom. & consonat Arist. quia vt docet S. Doctor, quæst. vnica de Anima, art. 1. ad 15. formæ incompleræ quandoque difficiuntur, per subiectum informe, vt est proximè dispositum ad recipiendam formam, & eius effectum, vt cum dicimus: *Motus est actus entis in potentia, secundum quod in potentia*, quãdoque vero per subiectum formatum, vt cum dicimus motus est actus mobilis, calor, actus calidi, & lumen, actus luminosi. Concordari autem potest vterque dicendi modus; nam de ratione animæ, & formæ adæquatè sumptæ, in ratione causæ formalis, duo effectus sunt: & actuare materiam, & constituere compositum, primum habet respiciẽdo subiectum informe, secundum habet quatenus respicit subiectũ iam formatum. Vt ergo diffiniatur anima, secundum adæquatam rationem, debuit explicari quoad vtrumque munus, & quatenus est actus corporis in potentia organici, & in potentia habentis vitam, sed tamen dispositi ad illam, & quatenus supponit subiectum formatum, & constituit compositum, & sic subiectum formatum, & organizatum, organizatione partium, tam substantia-

li-

si, quàm accidentali, habet vitam accidentalem in potentia, & vitam substantialem in actu. Vide hic D. Tho. text. 10. & verba Arist.

7 Aduertunt hic recentiores Thomistæ, illam particulam, *Potentia vitam habentis*, nihil noui addere, supra esse corpus organicum, & ideò omissa est ab Arist. text. 7. illa particula *organici*, quia posuit illam: *Vitam habentis*, licet text. sequenti, resumat organizationem: sed quia quidditas animæ, adeò tũc occulta erat, necesse fuit plures addere particulas, vt patefieret. Quare autem anima petat corpus organicũ, habes apud D. Tho. pulchrè explicatũ, quæst. vnica de Anima, art. 8. in corp. & art. 11. ad 18. Vide ibi, ne plus iusto immoremur.

8 Contra 1. concl. Arg. 1. à pluribus recentioribus societatis, qui contendunt animam, formaliter esse actum materiæ primæ positis dispositionibus, non autẽ vt supponit gradum corporeitatis, substantialis, & naturalis. Nomine corporis hic solũ intelligit Arist. materiam primam; ergo nõ intelligit eam, vt informatam gradu corporeitatis, prob. antec. ex text. 4. huius 2. lib. vbi ait. *Corpus profecto non erit anima, sed vt subiectum potius est, & materies.* §. Et si quis dicat subiectum esse materiam respectu gradus vitæ quatenus habet gradum substantialẽ corporis. §. Cõtra est, quod idem Arist. text. 1. ait: *Anima, & corpus est animal*; ergo si anima informat materiam vt corpus est, formatum anima informat animal: vnde 7. Metaph. tex. 39. ait: *Perspicuum est animam, substantiam esse primam, corpus materiam, hominem verò, aut animal esse id quod ex vtriusque constat.* Confir. ex D. Th. eodem lib. 2. de Anima ad tex. 4. aiente, quod accipitur hic subiectum largè, *secundum quod materia prima, quæ est in potentia, dicitur subiectum, corpus verò quod recipit vitã magis est, sicut subiectũ, & materia, quam in subiecto existens.* At si corpus esset ibi materia formata, iã esset aliquid in subiecto existẽs, & esset verè subiectũ vitæ, quia ibi dẽ docet D. Tho. subiectum dici quod recipit, quatenus supponitur ens in actu; ergo cũ anima dicitur actus corporis, de materia nuda ab omni gradu substantiali, intelligendũ est. §. Resp. solutione data. Ad primã replicã dicitur verum esse, quod anima, & corpus est animal, quia resultat ex gradu animati, informati gradu viuentis, & ex materia sic informata, cæterum hoc non tollit, quod vt resultet animal materia, non sit propriùm susceptiuum illius vltimi gradus, nisi vt informata prioribus. Ad 2. dicitur materiã, non esse verè subiectum, quia nũquam habet vllum actum à se, sed ab anima: quamuis vnus gradus supponatur in materia, ad recipiẽdum alterum, nam subiectum dicitur propriè, quod habet à se esse

esse simplificiret, & non à forma quam recipit, vt ibi, & opus. 31. latè explicat D. Thom.

9 Arg. 2. ad idem. Nomine corporis debet intelligi id, ex quo, & anima fit vnum per se, & non vnum per accidens, sed ideò fit vnum per se, & non per accidens ex vnione materiæ, & formæ, animæ, & corporis, quia vnio est immediata inter potentiam, & actum, & non mediante aliquo actu; vt docet D. Thom. 1. p. q. 76. art. 4. & 5. & alibi passim; ergo anima non vnitur materiæ, quatenus est informata gradu corporeitatis. Conf. forma aduenies enti in actu, non est forma substantialis, sed accidentalis, sed anima est actus primus substantialis materiæ, vt docet Arist. hic, text. 3. & 4. ergo. Resp. cum Ferrar. hic q. 2. quod vt fiat vnum per se ex anima, & corpore, & vt substãtialiter informet, sufficit quod anima immediatè informet materiã per suam entitatem, & non mediãte actualitate alterius formæ, quamuis nostro modo intelligendi, vnus gradus, mediante alio, informet. §. Si instes forma debet realiter à subiecto, in quo recipitur, distingui, quia inter subiectũ, & formam, est realis causalitas, & non tantum per rationem; sed gradus corporeitatis, non distinguitur ab anima realiter; ergo materia ratione gradus corporeitatis, non est propriũ eius susceptiuum. §. Tum etiam philosophus nõ agit de anima secundum consideratione; & gradus Metaphisicos, sed quatenus est actus modo physico informãs, at sic immediatè informat materiam; ergo ruit solutio data. §. Denique illud est proprium susceptiuum animæ, ex quo educitur, vel in se, vel quoad vnionem, (vt sic non excludamus animam rationalem) sed anima immediatè educitur de materia, & eius pura potentia, quia hæc solum est subiectum eductionis, non autem quatenus informatur gradu corporeitatis; ergo. §. Resp. solutione tradita, quod proprium susceptiuum formæ secundum entitatem, debet esse immediatè materia, & realiter distingui à forma, non autẽ propriũ susceptiuum, secundũ specialem gradum. §. Ad 1. conf. dicitur, quod vt anima sit physica forma materiæ, & eam physico modo informet, sufficit quod secundum suam entitatẽ, immediatè eã informet, at quod gradus habeant ordinẽ, admittit physica, quæ docet naturam de imperfecto, ad perfectum procedere, quoties est ordo in gradibus formalibus. §. Ad 2. Resp. quod eductio respicit totam entitatẽ formæ, & hæc est immediata, quo etiã modo cõsiderata entitate animæ immediatè recipitur: At si ordo naturæ cõsideretur, etiam potest dici quod vnus gradus, mediante alio educitur, aut vnitur, sicut mediante alio informat. Vide Ferrar. loco citato.

10 Arg. 3. contra 2. concl. Anima, nec potest, dici actus primus

mus corporis, in potentia vitam habentis, nec potest dici actus primus compositi, potētia vitam habentis, nisi hoc tantum verificetur respectu materiæ, undè sumptæ: ergo falsa est secunda conclusio. Prob. ant. si corpus organicū sumitur pro materia, vt dispositā per quantitatem, non est actus eius anima, quia non informat materiam, vt quantificatam, neque sic informat illam: si sumitur pro materia organizata substantialiter; sic non habet in potentia vitā animæ substantialem, quia iam est illi communicata, dum eam reddit organizatam substantialiter. Dicere autem quod sic est in potentia ad vitam accidentalem, falsum est, quia forma substantialis non diffinitur in ordine, ad accidens; ergo nullo ex his modis verificari potest, quod anima sit actus corporis, nisi nomine materiæ, sumatur materia nudè & in se. Respectu antē compositi multo minus verificari potest, quia forma non informat compositum, sed subiectum; ergo nullo modo est admittenda nostra conclusio. Resp. verificari, quod anima est actus primus, & respectu materiæ, vt dispositæ accidentaliter, & respectu compositi, vt est in potentia ad vitam accidentalem: nā etsi anima non informet materiā, vt quantificatam, quantitate se habente, vt ratione recipiendi, potest tamen se habere, vt ratio disponendi ad receptionem: Nec est absurdum substantiam diffiniri in ordine ad accidens, si ordo ille non dicat dependentiam ab illo; sed solum respectum principij, & radicis. Anima autem est forma cōpositi, & actus primus eius, non quidem vt informans, vel inhærens, tanquam in subiecto, sed tāquam constituens per modū actus primi; nam ex materia, & forma, ex potentia, & actu primo, constituitur compositum, & habet speciem à forma, tanquam à principio quo. §. Vel dici potest, quod cum dicitur, corpus potentia vitam habens, intelligitur de materia informata anima, quatenus est radix vitæ accidentalis, quia non est potentia viuens, quod abijcit animam, eaque vacat, sed id quod ipsam habet, vt docet Arist. lib. 2. de Anima, text. 10. & ibi D. Thom.

## QVAESTIO VII.

*In quo consistat ratio vitæ, tam substantialis, quàm accidentalis?*

1 ANimatum ab inanimato, vita seiungi docet Arist. hic text. 13. Cum autē vita secundum quatuor gradus viuentium, quadruplici modo contingat, aut intelligendo, vel sentiendo, aut mouendo se, aut standō localiter, augmento, aut decremento, vt ibi docet Arist. vita substantialis consistit in eo, quod aliquid habet esse, ita vt sit principium primum, & radicale harū ope-

operationum, vel habeat in se tale principium; vita vero accidentalis, in ipsis operationibus, & motibus consistit, aic enim Aristot. in Ethicis, *vita quædam est operatio*: & quamuis appetere sit etiam vita, non numeratur hic distinctè, sed comprehenditur in intelligere, aut sentire, quia sequitur appetitus ad has cognitiones, & non constituit specialem gradum viuentium: Hæc ibi D. Thom. cum Arist. quod sufficere poterat ad quierandum intellectum: sed quia Neotherici philosophi, omnia in litem vocant, & in disputationem, cogimur hæc eadem latius percurrere.

2 Supponendo igitur, quod vita substantialis in viuentibus, est esse, quatenus habent in se animam, quæ est principium ad se mouendum, & operandum à se, & ab intrinseco, vt ait D. Tho. p.p. q.18. art.1. vita accidentalis, alia consistit in potentia accidentali, seu principio proximo operationis vitalis, qualiter est ea, quæ cõpetit intellectui, & voluntati, & habitibus in illis existentibus: Alia est vita accidentalis in actu secundo, consistens in ipsa operatione vitali. Nunc autem quibus prædicatis cõstituatur huiusmodi vita explicandum est.

3 Dicendum est primo: Vitam in actu secundo essentialiter cõsistere in se mouere à se, seu operari à se, & ab intrinseco. Sic cõmuniter Thomistæ, & Philosophi; Ferrara 1. cont. gent. c. 97. Soncinas 9. Met. q. 5. ad 2. Banez 1.p.q.78. art.1. dub.1. concluſ.2. Complut. hic disput.2. q. 4. num.14. Thomas Hurtado in præcurſ. philoſoph. contr. 4. de Anima, §. 1. & 2. & alij apud ipſos. Vide Bergom. in tabula aurea, verbo *Vita*, num.11.

4 Prob. ex Scriptura ſacra, vbi ex motu vita ſignificatur. Genes.1. *Creauit Deus omnem animam viuentem, & motabilem*, Leuit.11. *Quæ in aquis mouentur, & viuunt.* Quaſi hæc duo ſint ſinonima verba, & infra. *Omnis anima viuentis, quæ mouetur in aquis.* Rurſus in Geneſ. *Ex vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Et tandem. *Ex omni quod mouetur ſuper terrã, duo ingreſſa ſunt ad Noë.* Vbi vita per motum explicatur, at non per moueri ab extrinſeco, alias omnia corpora viuerent; ergo per moueri à ſe, & ab intrinſeco debet explicari vita accidentalis in actu ſecundo, & in hoc conſiſtere dici debet.

5 Idem docuere Sancti Patres. Sanctus Iſidorus lib. 11. ethimolog. Auguſtinus lib.3. de Trinitate, Bernardus libro de gratia, & libero arbi. Athanaſ. orat. contra Idola. Gregorius Niſſenus tract.4. In Bibliotheca tom.8. Necnõ philoſophiæ Principes. Plato lib.1. de legib. & in phædone. Ariſt. lib.3. Phyſ. tex. 7. & lib.8. tex.29. lib.1. de Anima, tex.18. & lib.2. in principio.

6 Etiam eſt pro noſtra con-

clu-

clusione D. Thomas, & relictis alijs testimonijs, celebre illud est, quod ex lib. 1. de Anima, ad text. vltimum desumitur: *Viuere propriè est eorum, quæ habent motum, & operationem ex se ipsis, sine hoc quod moueantur ab alijs: vnde & viuere dupliciter accipitur vno modo, sicut dicit philosophus, quod viuere est esse viuentibus, alio modo viuere ad operatio.* Cum autem esse pertineat ad actum primum, in linea causæ formalis, & operatio ad actum secundum, sequitur quod viuere in actu secundo consistat in motu, qui est operatio à se, & ab intrinseco, secundum D. Tho. Vide lib. 2. ad tex. 2. in fine, & p. p. q. 18. art. 1. ad 3. & in tabula Bergom. verbo *vita*, num. 1. & 3. & specialiter num. 7. vbi plura testimonia inuenies, sicut, & verbo *viuere*.

7 Prob. ratione efficaci desumpta ex Arist. & D. T. 1. Phys. text. 29. Sicut agere in actu secundo constituitur per exercitium eius, quo constituitur ipsum agens in actu primo; ita vita in actu secundo cõstituitur per exercitium eius, quo constituitur aliquid viuens in actu primo essentialiter, sed viuens in actu primo, constituitur, per esse potens se mouere, & sentire: ergo etiam vita in actu secundo constituitur, per se mouere in actu secundo, & per se ab intrinseco operari: maior est certa, & minor etiam est certa, & est Aristotelis, qui ex consensu omnium philosophorum, vt vidimus; in hoc constituit discrimen animatorum, ab inanimatis; quod in his sit principium intrinsecum, se mouendi, in alijs verò non, & consequẽria videtur bona, quia concessis præmissis, non habet defectũ. ℣. Confir. Illud se mouet à se, quod non est in potẽtia tantũ, sicut quæ ab alio mouẽtur, sed habet in se principium in actu, vnde se moueat, sed vita, in actu secundo, hoc habet, & petit; ergo consistit in motu à se. Prob. min. hac enim ratione anima petit corpus organicum, quia debet esse pars in actu mouens, & pars in potentia, quæ se moueat vt D. Thom. loco citato ostendit cum Aristotele, & in hoc lib. 2. ad text. 7. ℣. Confir. 2. quo actu viuens distinguitur à nõ viuẽti, & constituitur tale quolibet alio ablato, id est, constitutiuũ vitæ in actu secundo; sed præcisè per se mouere ab intrinseco, & à se, constituitur viuens, & distinguitur à mortuo, & à non viuenti in actu secundo, vt etiam ostendit Diu. Thom. p. p. q. 18. art. 1. & 2. per hoc enim, quod cessat huiusmodi motus à se, mors contingit; ergo. Denique hoc probat D. Th. latè 1. cont. gent. cap. 97. & 98. quod dicitur viuens metaphoricè, per proportionem dicitur ad id, quo cõstituitur vera vita; sed aquæ dicũtur metaphoricè viuẽtes, per hoc quod mouentur à se, id est, quia fluũt, sine hoc quod appareat visibilis motor, & idẽ est de argẽto viuo; ergo cõstitutiuũ

vitæ in actu secundo, est per à se, & ab intrinseco moueri.

8 Dicendum secundo. Non solum actiones immanentes, ex quo tales sunt, vitales sunt, neque de ratione actus vitalis est esse actionem immanentem: sed etiam hoc potest competere actioni transeũti, qualis dicitur generatio, & motus progressiuus sic Thómistæ. Et quidẽ asserendo etiã actionem transeuntem subiectari in agente, minus continet difficultatis hæc conclusio, sed tamen standa in sententia, quam in lib. Physic. prætuli, quod scilicet actio transiens subiectatur in passo, sustinenda est nostra conclusio.

9 Prob. Tum quia non inuenimus in Arist. quod exigat ad vitã, nec quod ad eam requiratur, quod operatio recipiatur in eodem principio à quo elicitur: sed solum quod moueatur à se, seu moueat: imó ideô requiruntur plures partes in vita corporis, vt sit pars mouens, distincta à parte per se mota, in qua recipiatur motus illius partis, quæ est actiuè mouens, quatenus à parte quæ agit, transit motio in partẽ, quę passiuè mouetur; ergo non est ratio cogens ex Aristotele, ad restringendum vitam ad actiones purè immanentes. 9. Tum etiam D. Tho. p. p. q. 18. art. 2. & per totam quæstionem, solum requirit ad vitam, quod viuẽs *moueatur à se, quocumque modo, vel agere se in operationem*, sed mouere actione transeunte, est mouere à se aliquo modo; ergo per actionem transeuntem potest esse vita; ea enim dum est ab intrinseco, agit se in operationem viuens, vt patet in generatione: mouet enim animal instrumẽta, & sic elicit actum generandi. 9. Præterea per hoc quod agens habeat in se principiũ, quo possit agere, distinguitur à non viuẽtibus, in quibus dum mouentur, tantum est passiuè motus, à generante, vel ab alia causa: sed non repugnat in actione transeunte, ex principio proprio, & actiuo agere; ergo non repugnat, quod actio transiens sit vitalis. 9. Conf. Motus progressiuus transiens est, & tamen inter vitalis ponitur ab Arist. lib. 3. de Anima, circa finem, & à D. Tho. p. p. q. 76. art. 1. & 1. cont. gent. cap. 59. ergo. Confir. De hoc motu dicit D. Tho. p. p. q. 78. art. 1. quod *motus iste est quo anima cõparatur ad rem exteriorem, sicut ad terminum motus*; idest ad vbi, sed hoc est proprium transeuntis actionis, & tamen quia est ab anima se mouẽte ad locũ, & vbi est vitalis; ergo vitalitas solũ requirit quod operatio, sit à principio intrinseco se mouente, seu agẽte, & non praecisè prout mouetur ab alio. Conf. 2. Generatio est actus vitalis, & tamẽ est actio transiẽs, habens terminum ad extra, & non ad intra solum, sicut in Deo, & immutans materiam exteriorem; ergo. Ant. prob. ex verbis Arist. lib. 2. de Anima, text. 49. vbi tres actus animæ vegetatiuæ assig-

assignat; nutrire, augere, & generare; ergo est vitalis actus ipsa generatio. §. Quod si dicas, quod secundum quod vitalis, est immanens, quia non immutat externā materiam, nisi mediante actione seminis. §. Contra est, quod semē est instrumentum tantum generantis; ergo actio principaliter immutans externam materiā, est ipsa generatio, & per consequens generatio principaliter sumpta, transiens est. §. Præterquā quod ipsa transmutatio, qua immutatur materia alimenti, vt recipiat formā seminis, sicut, & actio, qua iecur formā sanguinis introducit; vitales actiones sunt cum sint à speciali organo, habente partes organicas, quod est de ratione principij vitalis; & tamē ea actio transiens est, quia non transmutat materiam ipsius viuentis, sed materiam alimenti transmutant in sanguinem, vel in semen prolificū, & postea ex sanguine nutritur viuens; ergo dantur actiones transeuntes, quæ sunt vitales. Scio aliter me dixisse alibi de generatione: sed hic ex professo agens, meam sententiam exprimo, nam Arist. extra proprium locum, plures sententias admittit, & illis vtitur; quas refutat, dum ex professo in proprio loco disputat de illis, absque detrimento cō tradictionis in dictis.

10 Dicendum tertio. Actio nō cōstituitur in ratione vitalis, per hoc quod recipiatur in agēte, nec per recipere, & passiuē se habere, potest vita saluari. Sic communiter Thomistæ in materia de visione Dei, & in materia de beatitudine; & etiam philosophi, quos abundē referunt, & sequuntur Thomas Hurtado in præcurs. philosoph. controu. 4. de Anima, membr. 9. §. Prob. Actio vitalis debet distingui à non vitali, per id quod constituitur, sed per recipere motum, & actionem, nō potest distingui, quia non viuentia habent motū, & actionē receptam; ergo. §. Dicens quod distinguitur hæc actio à non vitali, non per esse receptum vtcumque, sed per esse receptum in principio à quo elicitur, vt quod vel vt quo; cum tamen non viuentia solum recipiant actionem, & motū, ab alio progredientem. §. Contra tamen est, quod viuere in actu sequitur ad formam substantialem, & ad potentiam proximam, quæ est proprietas animæ, & non ad materiam; ergo solum consistit in agere, & non in recipere; prob. conseq. nam recipere, ad materiā physicam, vel metaphisicam, secūdum quod dicit potentiam sequitur, non autem ad formam; ergo sine actus sit elicitus ab eodem agenti siue non: ipsa vitalitas non consistit in recipere actum, neq; in eo quod recipiatur actus; nam recipi habet actus, quatenus respicit principium passiuum. §. Confir. Conceptus vitæ est conceptus perfectionis simplicis, & hac ratione reperitur in Deo, vt docet D. Thom. p. p. quæst. 18.

art. 3. sed ibi nulla est potētia receptiua, nec ibi recipitur actus; ergo quia recipi non est de ratione formali vitæ, sed de materiali, hoc habet.

11 Dicendum quarto. Implicat actionem vitalem, esse instrumentalem, vel denominare instrumentum viuens, quando mouetur ab agente separato, & præcisè vt motum agit. Sic communiter Thomistæ p.p.q. 12. disputantes, an lumen gloriæ sit tota ratio agēdi. Prob. Viuens, viuendo mouet se ab intrinseco, & per propriam formam ad agendum, sed instrumentum separatum non se mouet ab intrinseco, propria virtute, & forma, sed tantum mouetur ab extrinseco, & mouet vt motum; ergo instrumentum non potest viuere actione instrumentaliter. ℣. Præterea, vt vidimus q. 1. huius libri, anima quæ est principium vitæ, tam substantialis, quàm accidentalis, debet esse mouens immobile (in quo ferè omnes prisci cōueniebant, vt lib. 1. docet Arist.) quia ratio naturalis, hoc dictat de anima, sed omnis operatio vitalis, est operatio animæ; ergo debet prouenire à forma quæ sit mouens immobile, in suo ordine, sed instrumentum vt tale non habet formam, quæ moueat immota, quin potius principium agēdi, virtutemque operandi, non habet à se, sed per motionem agentis eam recipit: ergo nullum instrumentum separatum (de hoc enim loquimur) potest habere operationem vitalem: ergo repugnat est que contra principia essentialia actionis instrumentalis, quod sit vitalis.

12 Militant contra primam conclusionem plures recentiores ex societate, qui in diuersa placita scinduntur, vt eam aggrediantur, & vix in vno concordant (sed virtus vnita fortior esset) & quia fastidiosum esset singulos modos asserendi, in medium proferre, & nouas diffinitiones vitæ, quas quisque vt statuat suum intentum, expendit: vrgentiora proponam, vt his dissipatis obstaculis, antiquorum philosophorū, & Thomistarum sententia inoffenso pede procedat.

13 Arg. ergo. Grauia, & leuia mouentur ab intrinseco, & per propriam formam grauitatis, & leuitatis, & ex inclinatione naturali suæ formæ, & tamen non sunt viuentia; ergo vita non consistit in operatione, & motu qui sit à se, & ab intrinseco.

Respondetur negando maiorem cum D. Thoma pluribus in locis, relatis à Bergomensi in tabula, verbo *Graue*, num. 1. qui, & 8. Physic. text. 29. cū Arist. quatuor rationibus probat, non viuere, nec à se moueri, sed ab eo qui eis communicat naturā, alioquin non essent determinata ad vnum motum, sed possent moueri versus omnem partem, sicut cætera viuentia, & inde colligitur solum non moueri à se, quia non sunt viuentia; nam motu, & sen-

sensu distinguuntur viuētia, à non viuentibus, (vt supra ostendi ex Arist.) sequitur ergo nostram sententiam, & Arist. esse, & D. Thomæ, & cōtra eos apertè pugnare, qui contradicunt nostræ conclusioni. Sed tamen D. Thom. p. p. q. 18. art. 1. ad 2. Respondet, quod grauia, & leuia mouentur, sed nō à se, sed à generante, quod patet (vt alibi notat Caietanus egregia subtilitate) quia solum mouentur, dum sunt extra dispositionem suæ naturæ, & extra centrū; ergo motus ille per se spectat ad complementum generationis ipsorum, vt scilicet, consequantur dispositionē suæ naturæ; ergo sicut nihil generat se, ita etiam nō habet à se consequi illud complementum; non ergo mouentur grauia à se ipsis, sed à generante; viuentia autem mouentur, vt sunt in sua dispositione naturali, ita quod recedendo à tali motu, recedunt à dispositione naturali; ergo motus viuentium non est complementum suę generationis; ergo non est à generāte, sed ab intrinseco eorum, & per se ab ipsis viuentibus, vt naturæ viuentes sunt, ac proinde vita in motu à se consistit.

14 Contra hanc responsionē D. Th. quæ adeō longæua est, nō afferunt aduersarij recentem impugnationem, quæ efficax sit, (vt par erat) & tamen nouas sententias afferunt ad scholas. Nihilominus tamen instant contra solutionē. Caiet. Motus augmēt. etiam datur ad debitam augmētationem, seu debitam dispositionem congruam naturæ acquirendam, vt operetur viuēs perfectē, quod patet, quia aduenientе statu, cessat; ergo iste motus nō erit ab intrinseco, sed à generante, & tamen est vitalis, ergo non requiritur ad vitam in actu secundo, quod sit ab agente, ab intrinseco se mouente. ℣. Confir. 1. D. Tho. p. p. q. 19. ar. 1. ex probat dari voluntatē, quia omnis res naturalis ad suam formam naturalem, hanc habet habitudinem, vt tendat in ipsam si nō habet, vel si habet quiescat in ea, & idem est de qualibet perfectione, quæ est bonum naturæ, vnde & natura intellectualis eandem habet habitudinem ad bonum intellectuale; & ideō appetit illud, & debet poni potentia appetitiua, & vitalis: ergo non est contra rationē potentiæ vitalis, quod tendat in perfectionem sibi connaturalem, extra dispositionem connaturalē, & quod ea habita quiescat, ergo illa responsio enervatur, & non consequitur intentum. ℣. Confir. 2. D. Thom. inconstans videtur; nam & si loco citato videatur dicere, grauia non esse viuentia, quia non mouetur à se; pluribus alijs locis asserit, moueri à se, cum tamen nullibi dicat esse viuentia, ergo D. Thomas, topice tantum, & non resolutoriè tenet, quod eo ipso quod aliquid moueatur à se, viuat per talem motum, si quidem modo ait, modo negat.

§. Confir. 3. Omne viuens habet formam, qua mouetur à generante, sicut grauia, & leuia, & operari est de eius perfectione; ergo vel non mouetur à se, & per consequens hoc non requiritur ad vitã, vel si mouetur à se, etiam hoc habent grauia, quæ nihilominus non viuunt: non ergo per moueri à se constituitur vita.

15 Resp. cum Caietano, quod motus, qui debet esse à generante, est illi, qui consequitur dispositionem naturalem, & connaturalem, debitam in primo instanti generationis, sicut debetur graui centrum: at status, qui acquiritur per augmentum, non est debitus in illo instanti, ideòque augmentatio, tribuitur viuenti, & non generanti, & ideò est vitalis; vnde motus cordis in primo instanti est à generante, quantum ad applicationem, sed non quantum ad elicientiã; quia hæc non potest esse, nisi in tempore cum motus non fiat in instanti. Ad 1. Confir. Resp. D. Thomam non adducere exemplum, quantum ad omnia, sed solum quantum ad appetitum; nam in alijs est disparatio: voluntas enim quiescendo in bono, non cessat ab operatione, sed complacet: grauia vero quiescunt priuatiuè in centro, vbi habent dispositionem connaturalem, & ideò licet sit similitudo in eo quod vtrobique est appetitus, non tamen in modo, quo est motus, & operatio: in graui enim est à generante intendente ponere genitum in dispositione ipsi debita in primo instanti generationis, & ideó consequuto effectu cessat actio, & hinc colligit D. Thomas, & ex eo Caietanus, non esse motum à grauibus, & ab intrinseco: At appetitu elicito, nec tendit in perfectionem debitam ex vi generationis, & tanquam complementum eius, nec quiescit in termino quiete priuatiua, & ideô motus in illud bonum, non est à generante, sed ab ipso appetente, & ideô etiam viuit per illum motum. §. Ad 2. Resp. Bergomensis in concord. dub. 690. & 691. quod D. Thomas semper est constans, nam cum ait grauia moueri à se, sensus est, motũ esse ab illis tanquã à principio formali, quatenus forma determinat generantem, & non sistit in ea actio, sed completur, dando dispositionem connaturalem. Cum vero ait non moueri à se, loquitur de principio effectiuo, & sic ille motus est à generante, cuius actio manet virtualiter in genito, vt quoties impeditur graue à motu, resultet motus sublato impedimento, ad consequendam dispositionem debitam naturæ grauis. De quo vide Ferrariam 1. contra gen. cap. 97. §. *Ad euidentiam*, & alias obiectiones euades, notando, quomodo mortuo generante, manet generatio, vt det complementum naturæ genitæ per illum motum. §. Ad 3. Resp. Non ex eo grauia moueri à generante, quia dat formam,

mani, sed quia id ad quod tendit motus, est debitum naturæ rei genitæ, & ideò ille motus est cõplementum generationis formæ, & non potest esse à genito, sicut neque ipsa generatio, at perfectio quam medio motu vitali viuentia consequuntur, non est debita ex vi generationis, & ideò ille motus est ab ipsis viuentibus, & solum applicatio ad actum, vnde incipit moueri est à generante, vt patet in motu cordis.

16 Arg. 2. ad idem (& est replica) si ille motus tribueretur generanti, eadem actio, quæ primario producit compositum secundario, & quasi ex consequenti produceret illum motum, sed hoc esse non potest, per eandem actionem; ergo est ille motus ab intrinseco grauis. Prob. min. Ponamus Deum creare lapidem extra centrum, & quod per lõgum tempus moueatur acquirendo diuersas vbicationes, vsque ad centrum, ille motus non est eadẽ actio creatiua, qua fuit productum graue, quia vbi illud repugnat, quod tũc creetur, aut concreetur, cum acquiratur motu successiuo, qui pugnat cum creatione; quæ est instãtanea; ergo non est eadem actio: sed nõ est maior ratio quãdo producitur, actione generatiua; ergo talis motus non est à generãte. §. Resp. esse eandem actionem diuersimodè terminatam respectu termini primarij, & secundarij; nam etsi non denominetur, tunc creatio, ille motus formaliter, est tamen creatio per resultantiam, quia resultantiam, quia resultat ex vi actionis creatiuæ: nam etsi illi termini respecti primario terminet diuersas actiones, nõ tamẽ si cum ordine primarij, & secundarij respiciantur: & sic actio generatiua lapidis, quæ ex se est instantanea, & substantialis terminatiuè, licet non possit primario terminari ad vbi, tamen dimanatiuè potest esse à generatione, motus ad vbi, qui tunc est generatio non formaliter, sed consequenter, dimanatiuè, & per modum resultantiæ.

17 Arg. 3. contra eandem concl. Per actiones supernaturales viuit homo, & tamen in illis non se mouet à se, & ab intrinseco, cum in sententia Thomistica habitus supernaturalis sit supra intrinsecum naturæ, & sit tota ratio agendi, & potentia naturalis solum concurrat ratione potentiæ obedientialis; ergo vitalitas in actu non constituitur per operari à se, & ab intrinseco. §. Dices eum actũ esse à se, & ab intrinseco hominis, vt intrinsecè elenati per gratiam, à qua dimanat principiũ supernaturale proximũ, quod est tota ratio agẽdi. §. Cõtra est, quod etiã gratia est ab extrinseco. §. Resp. quod & ipsa gratia sit ab extrinseco, quoad influxionẽ, est tamẽ intrinsecè in operante, quatenus est principiũ influẽs, ita quod sit appropriatum agenti, quia est habitus cuius habemus dominiũ, quia habitibus vtimur

cum volumus. §. Si instes: ergo vt actio sit vitalis, sufficiet esse intrinsecè in viuẽte, licet ab extrinseco proueniat, quod est contra secundam conclusionem. §. Resp. negando consequẽtiam; nã de ratione principij vitalis, non est esse ab agente vitali, sed esse in illo, vt actio sit à principio intrinseco, ideôque habitus infusus potest esse principium vitale: at de ratione essentiali actionis, est esse ab illo, qui agit, & esse ab intrinseco eius, ideôque non sufficit esse in illo, vt viuat, si nõ sit ab illo elicita.

18 Contra 3. concl. Gotfredus, & plures alij, asserunt, quod potest saluari vitalitas, per recipere actionem ab alio vitaliter elicitam; & in primis potest probari sic. Vita in actu secũdo, quæ est accidentalis, non est in linea operandi formaliter, sed in linea essendi, at accidentis esse, est inesse; ergo per hoc quod insit, & recipiatur in aliqua potentia, actus vitalis, quia ab illa elicitur potest tale principium viuere. Prob. antec. vita in actu secundo debet in eadẽ linea esse in qua est vita substantialis in actu primo: sed hæc est in linea essendi, & non in linea operandi, etiã radicaliter; ergo vita in actu secũdo, nõ est in linea operandi, sed in linea essendi in actu secundo. Prob. min. ex Aristot. lib. 2. de Anima, text. 37. vbi ait: *Viuere in viuentibus est esse*, & loquitur de vita substantiali, & in actu primo, vt ibi, & 9. p. q. 18. art. 1. exponit D. Tho. ergo est in linea essendi formaliter, & non in linea operãdi. §. Resp. cum D. Th. quodlib. 9. art. 3 ad primum, quod cum forma, quæ est anima det esse viuẽtis, vt principium se mouendi, non potest illud esse abstrahere à radice motus, & operationis, & sic distinguitur illa propositio: Vita substantialis est in linea essendi, vt esse est præcisè, nego; vt esse est radix operandi, concedo: Neque hoc opponitur cum tali linea essendi, quæ habet eminentiã, & virtutem prædominantem, & superegredientem materiam, & ideò non tantum respicit esse in illa, sed esse per modum virturis radicaliter operatiuæ: Vnde D. Tho. q. vnica de Anima, art. 9. in corp. & ad 13. & 14. docet quod anima non solum vnitur vt forma, sed vt motor, nec solum vt compositũ habeat esse, sed vt sit radix operandi: sic enim gradus animationis excedit gradũ, & corporeitatis: vnde sequitur, quod vita in actu secundo, non potest præscindere ab eo quod sit operatio viuentis, licet includat esse, sed de materiali, & quia per receptionẽ, & per inesse quasi completur accidens, quod est operatio, in linea essendi tantum sequitur in hoc nõ saluari formalem conceptum vitalitatis accidentalis, quæ est vita in actu 2. Vide Ferrar. 1. cõt. gẽt. cap. 98. §. *Aduerte quod* in fine.

19. Arg. 5. contra eandem concluſ. quidquid Deus potest facere mediante causa secunda, potest fa-

cere se solo, sed mediãte causa secunda potest facere actionẽ vitalem; ergo, & se solo: sed facta actione vitali, non elicita à causa secũda vitali; si vniretur illi, denominaretur tale subiectum viuens, quia posita forma in subiecto capaci, denominat illud formaliter: ergo saluatur vita in actu secundo, per receptionẽ; nam illa actio vitalis, esset in actu secundo, vita. §. Resp. cum D. Th. p. p. q. 3. art. 4. Quidquid Deus potest facere, cum causa secunda efficiente, vt efficiens est, potest facere se solo, concedo: quidquid facit cum causa secunda, influente non solum effectiuè, sed formaliter, nego: ideôque sine obiecto colorato non potest facere, quod oculus videat; quia à colorato pendet formaliter; at actio vitalis pendet à principio intrinseco, tanquam à principio vitali, & formali; & ideo nõ potest Deus facere, quod fit actus vitalis creatus, si nõ procedat à principio vitali creato: quãuis pôssit facere totã entitatẽ actus, quantũ ad id quod entitatis est, se solo, quia hoc ad lineam termini causæ effectiuæ attinet, sed non potest facere eam formalitatẽ vitalitatis: & dato quod eam posset facere, nego: quod si poneretur in potentia vitali, eam denominaret viuentẽ in actu secundo, quia non est capax huius denominationis, per recipere, sed per elicere, sicut actio vitalis trãsiens recepta in passo, etiã vitali, sicut alapa, aut verbera, nõ denominãt viuens subiectum per recipi in illo. Itaque instantia manifesta. Nõ potest Deus facere, quod hic denominetur agens hanc actionem, nisi eliciat, nec actio recepta in passo, denominat ipsum passum agẽs, sed actum actione, quia etsi ea entitas sit actu, nõ tamẽ ratio recipiẽdi est agere, sed patiatur actio vitalis ratione generica, actio est, viuens agens; ergo sicut actione tantum recepta, & non elicita, denominari non potest agens hãc actionem, sic nec denominari potest viuens hanc vitam.

2o Sed contra est. Verbum mentis non minus respicit principium intelligens, & intellectionẽ formaliter, seu per modum principij formalis, quam operatio vitalis ipsum viuens; si quidẽ verbum mentis, est terminus vitalis intrinsecus intellectionis: sed in visione beatifica Deus in sententia magis recepta Thomistarũ, se solo præstat rationẽ verbi, & terminat intellectionẽ, supplẽdo vicẽ obiecti creati dicti, & producti, ab intellectu beati; ergo se ipso poterit vniri per modũ actionis vitalis, absque eo quod eliciatur operatio; & si primum præstat, quia est infinitus in genere intelligibilis; etiam posterius præstabit, quia est infinitus in actualitate vitali. §. Tum etiã. Actio vitalis immanens non est de prædicamento actionis, sed qualitatis; ergo eius denominatio, nõ est per *ab agente esse*, sed per esse in agente, seu viuente: nam qualitas est, qua

qua quales dicimur, per eius receptionem: ergo dato implicare denominari posse agens actione prædicamentali, nisi sit ab illo actio, poterit tamen denominari viuens in actu secundo, per recipere actionem immanentem vitalem: sicut denominatur viuens in actu primo vitæ supernaturalis, per hoc quod recipiat intellectus lumen gloriæ, aut habitum charitatis, quia sunt qualitates, & non actiones prædicamẽtales. §. Tum etiam. Visio beata, vt vita æterna præmium est operum; ergo debet dari à Deo præmiante, iuxta illud: *& ego vitam æternam do eis*, & non debet esse ab ipso beato, quia præmium non est tale, si illud habet à se, qui præmiandus est, ergo datur aliqua vita in actu secundo, quæ non possit esse elicita à viuente, & quæ solum reddat viuens in actu secũdo, per hoc quod à Deo recipiatur. §. Denique. Actus vitales possunt esse supernaturales; ergo debent esse infusi, & non eliciti. Prob. conseq. eo habitus charitatis, non potest acquiri nostris actibus, quia est supernaturalis, vt latè probant Salmant. tom. 1. num. 12. tract. 12. disp. 3. dub. 3. §. 3. & plures Thomistæ in materia de Charitate, & de Virtutibus infusis; ergo si est vita supernaturalis in illis actibus, non debent esse eliciti, sed infusi. §. Cõfirmantur hæc omnia. Vita secundum formalissimum, & perfectissimum conceptum vitæ, reperitur in Deo secundum D. Thom. p. p. q. 18. art. 3. sed in Deo non est vita in actu secundo per esse ab illo, sed per esse in illo actum; quia nullum prædicatum absolutũ exit à Deo: ergo conceptus formalis vitæ creatæ in actu secundo, optimẽ saluatur per esse in viuente, etsi actus non sit ab illo, nec ab intrinseco eius procedat.

21 Resp. Et si in his obiectionibus, plura quæ ad Theologiam spectant, inuoluantur, satisfaciendum esse; quia agimus philosophũ Christianum, & scientia de anima ferè in limine est fac. Theologiæ, & his temporibus continuatur cũ illa, & mirum non est, quod supremum infimi attingat infimum supremi. Ad 1. ergo replicam resp. quod actio immanẽs, etsi sit qualitas, est tamen vera operatio, & ideò essentialiter dicit esse ab, nõ minus, quam actio prædicamentalis, licet differat ab illa, quia nõ est cum motu physico existentis in potentia; & si dicit, *in*, hoc essentialiter connotat *ab* denominationem, quæ fit in principio à quo dimanat, & nõ alias; & ideò Deus non potest vniri per modum operationis vitalis, denominãdo creaturam operantem, & viuentem, quamuis possit vniri, vt verbum; quia ratio verbi, non habet terminare intrinsecè sui intellectionem, vt terminus dictionis, nisi in casu, quod obiectum se ipso non sit vltimo intelligibile, & species impressa in intelligente per se ipsum: tunc enim necessario debet formari, ex vi dictionis, secus cum

se

se ipso hoc habet, at actus vitalis, non habet esse à principio intrinseco, in supplementum alterius, sed solum per conceptum essentialem sui ipsius. Et sic patet ad 1. & 2. replicam. §. Ad 3. Resp. quod etsi vita æterna sit præmium, potest elici à beatis, quia præmient se à se ipsis: Tum, quia omnia principia supernaturalia, talis operationis sunt à Deo infusa: Tū, quia obiectum quod est summum bonum possessum, est ipse Deus; vnde sicut in humanis dare nūmos, vt possideantur, & principia possidendi, faciunt quod possessio dicatur præmium, etiamsi sit ab eo, cui retribuuntur merita; sic in cœlo. Ad 4. Resp. quod etsi operatio sit supernaturalis potest esse elicita, cum tamen gratia, & charitas, nequeant acquiri nostris actibus, etiam de potentia Dei absoluta (vt mihi magis placet in materia de Gratia, & Charitate) quia supernaturalitas non ex eo, non potest esse à nobis, quia est supernaturalitas; sed quia est per modum principij, quod à nobis habere non possumus. Vide insinuationem D. Thom. p. p. q. 18. art. 2. ad 1. & 3. §. Ad confirm. resp. quod vita Dei est actus purus, & per se subsistens, & ideò non consistit in egressione formali, sed eminenti, & manente identicè in ipso Deo; & nostra vita non est per se subsistens, sed inhærens, & ideò non potest intelligi consistere in inhærentia, quæ est ratio communis ad omne accidens, sed in egressione formali, quæ est propria ratio operationis creatæ.

22 Contra 4. concl. Arg. 6. Deus etsi non moueatur propriè, viuit tamen propriè; ergo etsi instrumentum, non à se propriè moueatur, poterit viuere propriè: nō enim videtur magis proprium moueri, quam à se moueri. §. Cōf. non ostenditur repugnantia in hoc, quod instrumētum viuat, ergo debet admitti. §. 2. Potentiæ vitales sunt instrumenta animæ, & actus vitalis, vt ab illis, vitalis est; ergo non est contra rationem instrumenti, moueri vitaliter. §. Si dicas potentias dimanare ab anima vitaliter, & ideò non obstare, quod sint instrumenta, sicut obstat in instrumentis separatis. §. Contra in surgit. Illæ potentiæ non dimanant vitaliter ab anima actione propria eorum; sed actione generantis: ergo ea dimanatio parum conducit ad vitalitatem, & sic instrumentū non dimanans, poterit esse vitale. §. Si dicas esse instrumenta connexa, & virtutes animæ intrinsicè, & ideó posse actus earum potentiarum esse vitales. §. Contra est, quod gratia est instrumentum non dimanans, neque virtus animæ, & tamen est principium viuendi supernaturaliter; ergo, &c. §. Si dicas iterum gratiam, non esse principium proximum operandi, sed elevare animam, vt charitas dimanans in voluntate, sit principium proximum actus vitalis. §. Contra est, non minus vitaliter pro-

cederet actum charitatis, etsi de potentia absoluta, non esset infusa gratia. §. Denique character est potentia vitalis, & tamen neque dimanat à gratia, nec est virtus animæ, & alias est instrumentalis potentia; ergo non est contra rationem instrumenti, etiam separati, esse principium vitæ, nã esse separatum nihil conducit, si alias datur instrumentum vitæ, nec dimanans, nec virtus animæ intrinsicè.

23 Resp. Quod esse motum in proprietate, non est de ratione vitæ, sed imperfectio eius, at esse ab intrinseco formaliter, aut eminẽter, est ratio formalis vitæ, & ideò potest esse in Deo propriè vita, sine motu, & non potest esse in instrumento. §. Ad 1. conf. Resp. esse manifestam repugnantiam in eo quod instrumentum separatum sit principium vitæ, quia hoc exigit operari à se, & per se, & hoc non habet instrumẽtum separatum; sicut accidens non esse substantiam, est euidens, quia illa est per se, & hoc nõ. §. Ad 2. quod potentiæ sunt virtutes permanentes animæ, datæ vt agant per ea supposita, & ideò vitaliter agunt per propriam virtutem, cum ex natura sua, sint virtutes animæ ad viuendum; at instrumenta separata, nec habent virtutem permanentem, nec sunt per se virtutes agentis: ideôque neque agens vivit per illa, tanquam per propriã virtutem, neque instrumenta viuunt, quia non ex propria virtute mouentur. Gratia autem, & charitas cum sint virtutes permanentes, & habituales animæ, & voluntatis; non sunt virtutes extraneæ, sed appropriatæ, & ideò rationes viuendi supernaturaliter, quia dũ voluntas sic operatur, non mouet præcisè vt mota, vt contingit in instrumento separato, sed mouet se à se, elevata per virtutem propriam, non quidem ex viribus naturæ habitam, sed appropriatam, & elevatiuam. Quod si charitas esset sine gratia formaliter existẽte, tamen virtualiter esset gratia, quia ex se dimanat ab illa, seu petit dimanare. §. Ad 2. Cõf. Resp. quod character non est potentia vitalis, quia non est actiua, sed passiua, nec actus ad quem datur est vitalis formaliter dato quod sit actiua, sed materialiter, & secundum actionem præuiam, quã damus in instrumentis; de qua latius egi in 2. lib. Phys. tract. de instrumentis.

24 Quia in secunda conclusione supponebam, omnem actum immanentem, esse vitalem eo ipso, & nonnulli hoc negarunt; eorum fundamentum afferre libuit, vt nihil intactum in hac difficultate relinquatur. Arg. ergo 7. cõtra hanc suppositionem. Potentiæ dimanãt ab essentia, per actionem immanentem, & tamen ea dimanatio non est vitalis: ergo non omnis dimanatio immanens, est vitalis. Confir. Actio qua ignis conuertit in se ligna, non minus videtur immanens, quã nutritio,

&

& tamen non est vitalis; ergo vitalitas non sequitur ad esse actionem immanentem.

25 Resp. quod dimanatio passionũ, non est vera actio transiẽs, aut immanens respectu naturæ, sed est consequutiuum generationis, tanquam virtus qua vitaliter proximè operatur natura, nam licet sit actio generantis, tamen vt virtutes animæ producuntur illæ passiones, seu potentiæ proximæ ab illo, non tunc vtcunque, quia generans non potest communicare virtutem vitalem illis potentijs; sed vt determinatur illa actio, à natura, & anima producta. §. Ad confir. Resp. quod nutritio non est actio immanens, cum immutet externam materiam alimenti; sed est transiens, sicut generatio, & hac ratione dicitur aggeneratio quædam: at ignis non augetur ab intrinseco, & ideò cum comburit lignum non nutritur, sed nouus ignis generatur.

## QVÆSTIO VIII.

*Quibus competat vita, & quomodo Deo, Angelis, speciebus intentionalibus, & habitibus conueniat, & an vniuocè dicatur de vegetatiua, sensitiua, & intellectiua?*

1 ELementis, mixtisque, vitam non inesse, communiter dicitur, & verè, solentque dubitari de plantis, quia nonnulli solam vitam vegetatiuam siue sensitiua, nõ admittunt dari, quia vita, sensu, & motu constat, & cum plantæ non sentiant, nec vegetari contendunt, sed per iuxtapositionem augeri, sicut mineralia. Sed hi re vera aperto Marte, pugnant cũ Arist. qui in hoc pugnat contra Empedoclem lib. 2. de Anima, text. 38. & probat elemẽta, non viuere, plantas vero sic; & text. 13. & 14. dixerat, quod si vnus tantum viuẽdi modus, scilicet, vegetatiuus insit, est vita, & quod iste potest separari à sensitiuo, & de facto inest plantis, quod & latè prosequitur per consequẽtes textus. Certum etiam est omnia animalia viuere, & hominem etiam, vt constat ex fide Geneſis 1. & 3. cap.

2 De Angelis etiam docet fides, quod viuunt, siquidem opera vitæ exercere, etiam sacra Scriptura docet: Idé de Deo, vt ostendit D. Thomas p. p. q. 18. per totã, & sæpè Deus in sacro textu repetit, *Viuo ego dicit Dominus.*

3 Sed quomodo Deus viuat, an vita vniuocè dicta cum nostra: an æquiuoca, in dubium ab aliquibus reuocatur. Nullum prædicatum vniuocum dari, quod sit cõmune Deo, & creaturis: docet D. Thom. p. p. q. 13. art. 5. & quod vita analogicè dicatur de Deo, & creaturis, analogia dependentiæ, testatur sensus illorum verborum Apostoli Pauli: *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* Id est, per dependentiam ab illo. Quod vero vita non di-

dicatur æquiuocè de Deo, & creaturis docet D. Thom. loco nunc relato, art. 3. ad 2. & prob. nam teste Arist. 12. Metaph. text. 51. Deo propriè conuenit vita, quia dicit prædicatum immune ab omni imperfectione: & propriè etiam competit creaturis (& loquimur de vita intellectuali) ergo etsi sit in creaturis cum dependentia, tamen non æquiuocè dicitur de Deo, & creaturis. Vide Ferrar. 2. cont. gent. cap. 58. Banez p. p. q. 78. artic. 1. dub. 1. conclus. 2. Nec obstat, quod aliqui obijciunt ad probandum in Deo, non esse vitam, quia non est distinctio, vt possit intelligi, principium motus à se, & ipse motus: quia solum requiritur ad vitam, motus perfecti; & per consequēs actio per se subsistens, & identificans suum principium in summa puritate, & eminētia: ideôque sicut propriè est generatio in Deo, ita etiam vita. De quibus etiam videndus est D. Thom. citato artic. 3. q. 18. ad 2. & 3. vbi præuenerat obiectiones, quæ possent opponi. Videndus etiam in simili, de relatione, quoad distinctionē à fundamento D. Thom. q. 8. de Potentia, art. 1. ad 7. & art. 2. ad 3. & 4. & 7.

4 Satis probabile est, quod species intentionales, sunt vitales, vt quo: vt innuunt PP. Salmant. tom. 1. in p. p. in tract. de Visione Dei, disput. 4. num. 112. quia actus vitalis pendet ab ipsis, tanquam à principio, & licet proueniant ab extrinseco, tamen intrinsecè permanenter, sunt in potentia: quod sufficere ad vitalitatem vt quo, cernitur in habitibus infusis, quibus tribuit huiusmodi vitalitatem D. Thom. p. p. q. 18. art. 2. ad 2. & sunt ab obiecto materiali species sensibiles, vt moto virtute intelligentiæ vitalis, quæ mouet cælum; vt agendo de his speciebus infra dicetur: & quæ abstrahuntur à phantasmatibus, virtute vitali intellectus agentis abstrahuntur, & tertiæ species, quæ formantur à phantasia, & intellectu possibili similiter, & hoc ex intentione eliciendi actum vitalem, & dandi complementum potentiæ vitali, & vt exercitium vitæ, quæ est in actibus cognoscitiuis ab ipsis pendeat: ergo sunt vitales vt quo, quia sic esse aliquid vitale nihil aliud est, quam esse principium intrinsecum à quo pendet, & est actus vitalis, vt vitalis est, cum actus vitalis nihil aliud sit, quam operatio ab intrinseco, sed actus cognitionis pendet à specie, quia ab illa habet, quod sit tendentia cognoscitiua, & assimilatiua ad tale obiectum, & sic esse tendentiam, actui vitali, vt vitalis est, conuenit; ergo, &c. ℣. Ex hac doctrina satisfit obiectionibus, aduersus nos opinantium, ideôque non oportet eorum fundamenta referre.

5 Quod potentiæ animæ quibus operatiuæ exercet, vitales sint vt quo, dictum est quæst. antecedenti, & ratio suadet: quia actus

actus vt vitales ab illis procedũt, tanquã à causa proxima, sed principium præhabet saltem vt quo, perfectionem sui effectus, ergo illæ potentiæ sunt vitales vt quo. §. Nec obstat, quod sint instrumẽta animæ, & quod vitalitas videatur opponi virtuti instrumentali; aut quod non appareat quomodo vitalitas deriuatur ad animã, in eius potentias, cum non causet eas per propriam actionem, eo quod substantia non est immediatè operatiua, sed potius causentur ab extrinseco, per actionem generantis, quæ vt producit naturam, seu compositum, seu animam, si sit vegetatiua, aut sensitiua, ex consequenti producat eas potentias; & Deus creando animam, cõcreet eius potentias. §. Non inquam, obstat, quia ex his quæ dicta sunt quæst. antecedenti, responderi potest, quod sunt instrumenta coniuncta, habentia virtutem permanentem intransitiuè ipsius animæ, quod non obstat vitalitati accidentali: & quod non produci ab anima, non obstat, quia resultant ex virtute producentis eam, tanquam virtutes ipsius animæ in eodem ordine, vitali, in quo est anima.

6. Dicendum etiam habitus operatiuos residentes in his potentijs, etiam esse vitales vt quo: ita enim tuentur cõmuniter Thomistæ, & prob. supponendo, quod habitus concurrunt effectiuè ad actus; dicimus enim, quod si sic concurrunt, ille concursus in actũ vitalem, vitalis debet esse, & per consequens habitus, vt quo, & per modũ comprincipij, & actus primi, vitalis est: & hic procedit probatio. Modus ille facilitatis, quem præstat habitus in actum, vitalis est, ergo habitus vitalis est vt quo. Prob. cõseq. nam effectus vitæ, non nisi à principio vitali, communicare potest. antecedens autem prob. Tum, quia modus sequitur naturam rei modificatæ, & intra lineam eius est, ita vt si sit modus substantiæ, substantialis sit modus, si sit qualitatis, sit qualificatiuus; ergo si modus facilitatis est proprius actus vitalis, erit vitalis ipse modus. Tum etiam facilitas illa solum actu vitali, & ab agente vitali percipitur, sed si non esset vitalis, etiam alijs non viuentibus competeret; ergo. §. Conf. Habitus naturalis, vel est naturalis, vel acquisitus: si naturalis, & congenitus, sequitur ad principium vitale, vt lumen principiorum, ad lumen intellectus agentis, & habitus sanitatis ad principia vitæ vegetatiuæ, secundum quod sunt rectè disposita: si est acquisitus, ex repetitione actuum vitalium consequitur, & ad similes actus inducit; ergo ex parte causæ, & effectus, vitalis est, ergo est vitalis vt quo.

7. Oppositum tenent Thomas Hurtado, vide indicem, præcurs. Philosoph. verbo *Habitus*, num. 1. (nam numerum citatum non inueni) & obijcit. Si habitus esset principium vitale, sine illo re-

repugnaret eliciencia actus vitalis; nam hac ratione sine oculo, repugnat visio corporalis, sed sine habitu scientiæ, v.g. potest intellectus intelligere vitaliter; ergo habitus scientiæ, & idem est de alijs habitibus, non est principiū vitale, ac perinde, nec vitale vt quo. ℣. Secundo. Illud est principium vitale, medio quo suppositum mouetur vitaliter, sed mediante habitu suppositum nō mouetur vitaliter; ergo. Prob. minor. suppositum solum mouetur vitaliter, mediante illo, quod est, forma, aut pars suppositi, sed habitus non est pars suppositi, nec forma; ergo. ℣. Respon. quod etiā actus vitalis, quantum ad substantiam possit elici sine habitu, quātum admodum tamen sine illo nō elicitur, & ideō habitus est vitalis, non vt per se principiū actus, sed vt principium modi vitalis: distinguenda est, ergo maior, & minor, iuxta hos terminos, & neganda consequentia. Ad 2. resp. negando suppositum, non se mouere mediante habitu, quantum ad modum faciliter operandi, & negandum est, habitum non esse partem potentialem suppositi, vt possit se mouere faciliter.

8 Solet inquiri, an vita vniuocè dicatur, de vegetatiua, sensitiua, & intellectiua: sumpta vita, tam substantialiter, quàm accidentaliter. Resp, vniuocè dici, quia anima vniuocè dicitur de anima vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, & anima per esse principium vitæ substantialis diffinitur; ergo vita substantialis vniuocè de his tribus dicitur, & cum secundum D. Thom. vita accidētalis dicatur per ordinē ad substantialem, & ab ea specificetur, tanquam à principio formali, vt videre est p.p. q. 18. art. 2. etiam vita accidentalis vniuocè dicetur, de vegetatiua, sensitiua, & intellectiua.

9 Nec obstat, quod motus, analogicè dicitur; de motu qui est actus perfecti, & de eo qui est actus imperfecti; at vita vegetatiua, cum includat generationē, & nutritionem, est motus, qui est actus imperfecti, quia illæ actiones sunt transeuntes; & vita sensitiua, & intellectiua sunt motus, qui sunt actus perfecti, cum sint actus immanentes; ergo vita accidentalis analogicè dicitur, de vita vegetatiua ex vna parte, & sensitiua, atque intellectiua ex alia. ℣. Nec obstat, etiam quod vita, fundatur in esse, at vita vegetatiua, & sensitiua fundantur in esse physico, & vita intellectiua in esse intentionali, & esse dicitur analogicè de intentionali, & physico; ergo etiam vita. ℣. Non inquam, obstat, nam plures ex aduersarijs admittunt, quod actio transiens, & immanens, attinent ad idem prædicamētum actionis, & per consequens, quod motus, qui est actus perfecti, & imperfecti, vniuocè dicuntur, & sic potest negari maior, sed ea data distinguendum est, nam etsi illi motus

rùs in esse entis analogetur, in esse tamen vitæ quatenus dicunt esse ab intrinseco principio, vniuocantur, vnde sicut ens reale, & rationis, analogantur in se, & in esse scibilis vniuocantur, quia sunt diuersæ considerationes, sic motus illi in esse entis analogatur, & in esse vitæ vniuocantur. §. Ad 2. nego, quod vita intellectiua habeat esse intentionale, nam re vera, vita physica est, etsi species impressa, & expressa, contineant obiectū intentionaliter; sed ille modus continendi, conditio quædam est, quasi per accidens requisita, nam si obiectum se ipso possit vnire, vt contingit in cognitione angelica respectu sui, non minus erit vera intellectio: & supposito quod species est vitalis, vt quo influxus in intellectionem, physicus est, licet modus intentionalis, cōditio sit; sicut vniuersalitas conditio est, vt proposito sit necessaria, cæterum ratio necessitans, cōnexio intrinseca, extremorum est.

## QVÆSTIO IX.

*Duplex diffinitio animæ traditur, & an sit vera vtraque: essentialis, bona, & adæquata, inquiritur: & an de anima intellectiua verificetur?*

1 PRima diffinitio, quā tradit Arist. hoc 2. lib. text. 4. & 7. hæc est. *Anima est actus primus corporis physici, organici, potētia vitā habētis.* Secundam tradit tex. 24. sic: *Anima est actus quo viuimus, sentimus, monemur, & intelligimus primo.*

2 In prima diffinitione, *actus*, ponitur loco generis, sic enim cōuenit cum alijs formis substantialibus, & accidentalibus. *Primus* etiā ponitur loco generis, magis restricti, sic enim conuenit cum actu primo quolibet, tam substātiali, quàm accidentali, sed differt ab actu secundo, tam substantiali, quàm accidentali. *Corporis* etiā ponitur loco generis. quia formæ mixtorum, etiam supponunt in materia, gradum communem corporis, competentem elementis; *Physici* eodem modo ponitur loco generis magis restricti, vt conuenit cum formis mixtorum, sed denotat, quod corpus cuius anima est actus, debet esse naturale, & non tantum Mathematicum, aut artificiale. *Organici* ponitur loco differentiæ, quia requiritur quod habeat partes dispositas ethereogeneè, vt alia sit mouens, alia mota, & ideò additur: *Potentia vitam habentis*, ad maiorem explicationem: quia organizatio reddit corpus aptū ad vitā. Cur autem anima in ordine ad subiectū diffiniatur, sicut accidētia, docet D. Tho. hoc lib. 2. ad text. 8. quia anima est forma incōpleta, & ineſt subiecto, sicut accidēs, licet diuerso modo; nā accidens habet actualitatem à subiecto, quod est ens in actu, anima autem dat esse subiecto, quod est ens in potentia.

3 In illa particula *quo* denota-

tur animam esse principium incompletum vitæ, non autem principium cõpletum *quod*, sicut suppositum (circa hoc vide D. Th. p. p. q. 75. art. 4.) & per consequens, quod anima non est cõposita, sed simplex entitas. *Viuimus* sumitur non in abstracto, vt dicitur de sentiuo, & intellectiuo, sed præcisè pro vita vegetatiua, quæ imperfectior, & communior est, & supponitur ad alias, *sentimus, mouemur* (scilicet progressiuè) *& intelligimus*, non egent expositione. *Primo* : denotat animam esse primum principium, quo radicale, & quia verba in diffinitione, non dicunt actum, sed aptitudinem, (vt olim in dialectica notauerat M. Soto) sensus non est, quod actu moueamur anima, sed esse principium radicale, quo moueri possumus.

4 Primam diffinitionem, esse bonam, & adæquatam, constat ex dictis quæst. præcedentibus : quia nec verificatur de aliquo, quod non sit anima, nec est anima de qua nõ verificetur talis diffinitio. Essentialis etiam est, quia per proprium genus, & differentiam procedit, & ordine ad propriam subiectũ, quod exigit diffinitio physica, formæ incompleta. §. Secũda diffinitio. Si omes particulæ intelligantur secundum potentiam radicalem, viuendi, sentiendi, &c. quidditatiua est; si sumantur formaliter, descriptiua, quia præ actus accidentales exponitur quidditas, & sic prima diffinitio demõstratur per secũndam, quasi à posteriori, & per magis nota quoad nos, vt ait Arist. & D. Th. hoc 2. lib. text. 12. quia per accidentia sensibilia, innotescunt nobis quidditates rerum : & hoc debet esse certũ : Tum quia quidditas, medio vacat, & ideò eius diffinitio, à priori demonstrari nequit, & aliàs demonstrari non potest per effectum formalem substantialem animæ : Tum quia forma non distinguitur ab effectu formali : Tum quia ille effectus æquè ignotus est quoad nos, cum tamen omnis diffinitio, per notiora quoad nos demonstret, vt ibi docet Arist. ergo per vitam tantum accidentalem, procedit secũda diffinitio, vt primam demonstret : quamobrem, hæc secunda, expositio, & probabilior est, seu sui Arist. accõmodatior, quamuis prima, sua probabilitate fraudanda non sit, & defendi possit; sed non adaptatur facile Arist. & D. Them.

5 Contra 1. diffinitionem arg. 1. Non conuenit omni animæ; ergo non est bona. Prob. antec. non conuenit animæ rationali; ergo non omni animæ. Prob. ant. Anima rationalis non vnitur corpori vt forma; neque hoc potest habere, sed præcisè vniter vt motor. Vt ex Platone in phædone, tenẽt Simplicius, Alexander, & Themistius apud Cõplut. hic disp. 2. q. 2. num. 45. & probatur. Anima rationalis est per se subsistens, & spiritualis; ergo nõ vnitur corpo-

poti, vt formā, & actus primus eius. Prob. conseq. Tum quia accidens spirituale, non subiectatur connaturaliter in subiecto corporeo, neque habet proportionem cum illo; ergo multo minus anima rationalis habet proportionē formæ, & actus primi, cum corpore physico organico: prob. cōseq. multo minus pendet actus per se subsistens à subiecto, quam accidens; ergo si accidens non est forma corporis, multo minus substātia spiritualis, qualis est anima. §. Prob. 2. ex illo Euang. *spiritus carnem, & ossa non habet*. Sed si anima nostra esset corporis forma, ratione eius, & compositi, haberet carnes, & ossa; ergo non esset spiritualis, vel si est spiritualis non habet carnes, & ossa, & per consequens, non est forma corporis, §. 3. si esset corporis forma, maximè vt posset aptius operari, suam propriam operationem, scilicet, intellectionem, sed corpus potius impedit intellectionem; hac enim ratione Arist. reprobat dictum antiquorū: *quod terrā, terra cognoscimus, & ignem igne*, vt patet ex q. 1. huius lib. §. Quarto si anima esset forma, & actus primus corporis separata ab illo, naturaliter appeteret illud, & haberet inclinationem: ergo esset violenta in statu separationis: ergo moueretur ad illud, sicut graue ad centrum; quia esset violenta sine illo: sed nihil violentum est perpetuū, & naturalis inclinatio frustari non potest, nec potest esse ad finem, quin sint possibilia media, ad eius consequutionem: ergo vel esset naturalis resurrectio mortuorum, & cognosci posset lumine naturali, vel anima esset corruptibilis, & haberet finem, sicut graue, si ponatur extra centrum, necessario corrumpitur, §. Denique. Saltem anima vt intellectiua, non est forma corporis, quia eius operatio, & potentia operatiua intellectualiter, nō est affixa organo, neque in corpore, tanquam in subiecto, ac per consequens, neque radix eius: non enim potest habere maiorem perfectionem, & independentiam, passio, quam essentia; ergo illa diffinitio non competit omni animæ; cum non verificetur de anima intellectiua.

6 Respond. de hoc latius differendum l. 3. quæst. 2. Nunc autem breuiter quantum ad rem attinet, dico ad argumentum diffinitionem illam animæ, etiam verificari de anima rationali; nam etsi sit subsistens, & spiritualis, potest esse forma corporis; non quidem vt respiciat corpus, tanquam subiectum eductionis, sed solum inhæsionis: Nec est idem de accidenti, nam hoc habet esse à subiecto, eductiuè, vel si non educatur, tamen esse eius pendet à subiecti esse, & ideò non potest accidens esse spirituale (si sit accidens permanens) & subiectum esse corporeum; nam in eo casu, esset tale accidens corporeū, & nō corporeum: & sic anima nostra

potest habere proportionem in corpore, non vt educatur ab illo, sed vt det illi esse. §. Ad 2. probationem resp. quod spiritus nō habet carnes, & ossa, tanquam partes cōponentes, sed nihil vetat esse formam corporis, vel esse partem compositi habentis carnem, & ossa, sic enim carnes, & ossa non habētur ab anima, sed potius carnes, & ossa, quæ ad materiam, & eius quantitatem, & organa consequuntur, habent. §. Ad 3. nego, quod anima non informet corpus, vt melius intelligat, nam, & si corpus obstet cognitioni, si sumatur vt mediū tamē si sit id à quo sumitur notitia, & species immaterialis, sic iuuat animam, quæ in genere intelligentium est infima, vt docet D. Tho. p. p. q. 76. art. 1. & ideō accipere debet species à rebus per sensus, & phantasiā. Arist. autem reprehendit eos philosophos, quia ponebant animam cōponi ex elementis, & medijs illis, elementa cognoscere, & probat cōtra eos, quia corpus potius impedit cognitionem. §. Ad 4. quod anima etiam vt intellectiua, vnitur corpori vt forma, quia sic etiam pendet à corpore in intelligendo, dependendo à phantasia: quod constat tum ex 2. diffinitione; ait enim Arist. Animam esse quo viuimus, & intelligimus, sed si non esset forma, non esset quo intelligimus: neque vt sic, esset anima vt quo intelligimus, quia de ratione animæ est esse actum primum corporis. Tum quia vt intellectiua habet passionem visibilitatis, quam habere nequit nisi vt corporis forma. Tum quia eo vnitur vt forma, vt melius intelligat; ergo medium est informare; ergo vt intellectiua informat. §. Nec obstat, quod intellectus non informat organum, nā pendet ab illo, & à phantasmatibus, & hoc sufficit vt anima informet, etiam vt intellectiua, quia ea informatio non est ad subiectum eductionis, sed vnionis, etsi nō vniretur vt intellectiua, non penderet à corpore in intelligendo: Nec sequitur inde, quod resurrectio sit possibilis naturaliter, aut cognoscibilis lumine naturæ, quia inclinatio, quam habet ad corpus est remota, nec est violenta in statu separationis, sed in statu præternaturali: certum autem est, quod à priuatione ad habitum non est regressus, per naturam, nec potest cognosci lumine natura. §. Nec sequitur quod sit corruptibilis attendendo ad principia naturæ, nā cum adhuc in statu separationis, non habeat contraria, sicut grauia habent extra cētrum; ea præternaturalitas status, non inducit corruptionem in re, quæ alias ab intrinseco est incorruptibilis, sed est in statu indisposito negatiuè non contrariè, dum anima est in statu separationis, & sic pendula manet ratio naturalis; dum ex vna parte cognoscit animam esse incorruptibilem ab intrinseco; & ex alia, quod in statu separationis, est in statu præternaturali,

ex

ex vna videt, quod nullum violentum est perpetuum, & quod forma incompleta, appetit complementum, ex alia quod a priuatione ad habitum, non datur regressus per naturam, & ideô non cognoscit resurrectionem: ex vna parte videt, quod anima separata subsistit per se, & ideò poterit manere, in æternum quantũ ad principia intrinseca, quia non habet contraria, ex alia, si multum non sit solers, & subtilis contemplatio, non discernit quomodo non sit in statu violento, in ea separatione: & quomodo inde non sequatur, non fore perpetuam animam, si perpetuus futurus sit ille status, & hac ratione nullus philosophorum gentilium potuit demonstrare, immortalitatem animæ esto eam fassus sit Arist. quãuis Catholici hoc demonstrent, quia ex coniunctione ad fidẽ roboratur ratio naturalis, & purgatur, sicut cogitatiua ex subordinatione ad mentem, & ideô merito dixit Regius Psaltes: *Mirabilis facta est scientia tua ex me cõfortata est, & non potero ad eam.* Sed de his latius lib. 3. in vltim. quæst. dum disputabitur de animæ nostræ immortalitate.

7 Arg. 2. Ad probandum 1. diffinitionem, non esse quidditatiuam, sed tantum descriptiuam. Tum, quia Arist. hic tex. 11. postquam eam tradidit, dixit: *Hoc igitur pacto vniuersaliter de anima, determinatum, descriptum ve sit.* Ergo quia determinauerat descriptiuè, quid anima sit. Tũ, quia traditur per esse actum corporis organici; sed fit corpus organicum per quantitatem; ergo per accidentia explicatur natura animæ, ac per consequens, descriptiuè. §. Si dicas diffiniri per esse corpus organicum radicaliter. §. Contra; nam si hoc esset verum, posset etiam dici diffiniri posse animam quidditatiuè, per esse bipedem, addendo radicaliter. §. Confirmatur ex Auic. & Scot. Vt esset quidditatiua diffinitio, debebat anima diffiniri per genus, & differentiam, quæ sunt quasi causæ, & priora respectu diffiniri, nõ per effectum constituendi corpus physicum, organicum, & potentia vitam habens, quod est posterius, ergo illa diffinitio non est quidditatiua, sed descriptiua. §. Resp. in alia translatione aperiri sensum, Arist. sic enim habet: *Figuraliter autem sic determinetur, & describatur anima.* Quasi dicat suam intentionem esse in sequentibus, describere animã per 2. diffinitionem, non autem quod in 1. eam descripserit: vel si de tradita prius diffinitione loquitur, modestiæ causa dicit, eo quod inter tot antiquos sapientes, impingentes in tradenda animæ quidditate, non vult iactare se, quod ipse adamussim diffinierit quidditatiuè. §. Ad 2. probationem dico, quod cum anima sit quid incompletũ diffinitur quidditatiua diffinitione physica, per additamentum subiecti diffi-

positi in ratione organici, per qualitates complexionales, & quãtitatẽ, & sic intrat accidens, non vt proprietas, sed vt dispositio quasi in obliquo, & ideô non obstat quin hæc diffinitio sit quidditatiua. Imô Arist. lib. 1. de Anima, text. 11. docet, quod diffinire quidditatẽ sine accidentibus, aut non notificãdo per accidentia, nõ est philosophyca diffinitio, & naturalis, sed dialectica. Si autẽ perstatur in responsione tradita, nõ ideô ridiculum dices; nam proprium est formæ substantialis, dare composito radicem operandi: instantia vero illa verè est ridicula, quia esse bipedem radicaliter non explicat peculiarem effectum animæ, neque adæquatũ, & ideô nõ potest per radicem bipeditatis diffiniri. Ad confir. Resp. quod cum ratio formæ cõsistat in eo quod sit pars compositi, vnita materiæ, & actuando eam; cõsistit in præstando suum effectũ formalem materiæ, neque est posterius quid; sed si sumatur aptitudinaliter, ipsamet quidditas formæ.

8. Arg. 3. ad idem. Vt sit demõstratio à priori sufficit procedere per causam finalem, quæ est excellentissima, sed operatio est finis viuentium, vt patet ex 2. de cœlo, text. 27. ibi: *Vnumquodque est propter suam operationem, tanquàm propter finem*; ergo. ℣. Si dicas cum Caietano, non sumi ibi operationem in termino, sed in principio completo, ideſt, vnumquodque est, propter compositũ completum operatione, & ea perfectum. Adhuc persistit argumentum: nam sic demonstraretur, ideô animam esse actum primum, corporis physici organici, vt compositum perfici possit operatione, & ideô informat anima, vt sit radix operandi, & esset negatio. ℣. Resp. in primis, quod vt docet Arist. hoc lib. 2. text. 37. & 38. Anima non solũ est formalis, & efficiens causa operationũ, verũ etiam causa finalis, vnde cum in lib. de cœlo, text. citato, dixit: vnumquodque esse propter suam operationẽ: intelligitur de potentijs accidẽtalibus, & rationes earum, non autem de principio substantiali, & per consequens diffinitio tradita per operationes, nõ procedit per causam finalem à priori. Persistendo autem in doctrina Caiet. & responsione tradita, dicendum quod etsi forma habeat pro fine compositum perfectum operatione tamen Arist. non attendit ad hoc in hac demõstratione, sed solum ad ea quæ sunt notiora quo ad nos, scilicet, quod operationes sunt effectus formæ: ergo si in nobis dantur operationes speciales, & animatorum propriæ, debet dari principium quo hoc fiat, quod sit actus corporis physici organici, potentia vitam habentis, alioquin non darentur tales operationes: in qua ratione præscinditur ab illa quæstione, an operatio sit finis, an compositum perfectum operatione.

2 Arg.

9 Arg.4. Ad probandum secũdam diffinitionem non esse bonã: quia cœli non sunt animati, & tamen in illis est aliquid quo moueantur localiter; ergo est redundans diffinitio. Tum etiam est diminuta, quia de sola anima rationali verificatur, quod sit quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. ℣. Si dicas, quod ly & in qualibet particula, disiunctiuè pro ly, *vel* debet sumi, & non copulatiuè. Contra est, quod hoc modo non erit diffinitio, sed diuisio, & sic etiã erit redundans, quia tantum sunt tres animæ vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, & hoc ipso quod est, vel sensitiua, vel vegetatiua, est principium loco mouendi vitaliter. ℣. Resp. quod 2. diffinitio supponit primam esse, scilicet, actum primum corporis quo primo mouentur, &c. & cũ cæli nõ sint animati, motor nõ est actus informans, & ideô nõ est anima. ℣. Ad 2. Resp. negato antec. ibi enim distributiuè, distributione accommoda, diffinit omnem animam, per propria accidentia, & ipsemet Arist. interpretatur; & sic non est diuisio, sed vna diffinitio, virtute tamen plures: vel si simul est diffinitio, & diuisio, eò perfectior erit, quia maiorem eminẽtiam habet. ℣. Ad 2. impugnationem resp. quod cũ Arist. velit per accidentia, & operationes, notificare naturam animæ, omnes operationes debuit explicitè numerare: ideôque etsi ad cognitionem, & appetitum, siue sensitiuũ, siue intellectiuum, sequatur loco mouere vitaliter: sit consequens rectè processisse Arist. Sed cur appetitum non nominauit? Quia data cognitione per se motum est habere appetitum elicitum, vt ait hic Arist. text. 27.

10 Arg.5. Ad probandum hãc diffinitionem 2. esse quidditatiuam, & non descriptiuam tantum (vt plures tenent Thomistæ) Hæc diffinitio traditur per esse quo 1. operamur vitaliter; ergo per radicem motus; ergo per principia quidditatiua prob. conseq. nam cum subiectum philosophiæ sit ens mobile radicali substantiale: quod per radicem motus procedit, quidditatiuè philosophicè procedit. ℣. Conf. Cũ forma diffinitur per effectum formalem, per suam essentiam diffinitur, sed esse radicaliter operatiuum prouenit ab anima, vt effectus formalis: ergo cũ per hoc diffinitur, essentialis est diffinitio: minor prob. nam D. Tho. p. p. q. 18. art. ad 1. præfert modum dicendi asserentem, quod in præfata diffinitione, ly *quo viuimus* sentimus, &c. Sumitur nõ pro operatione, sed pro ipso esse substantiali: secundum illud: *viuere, in viuentibus est esse*, text. 37. & 9. & hic, cap. 9. *Viuere est sentire, vel intelligere*, idest, habere naturam ad sentiendum, vel intelligendum, ibid. exponit D. Th. ℣. Resp. quod cum intentum Auctor. fuerit naturali modo demonstrare 1. diffinitionem per 2.

vt ipse testatur expresse l.1.& 2. id est, quidditatem per accidētia; non procedit à radice, ad operationes, sed ab operationibus radicem, vt per accidentia manifesta, notificet radicē occultā: & ideō etsi in ea diffinitione, intret primum, quo mouemur: operationes intrant in recto, & in obliquo radix, & ideō hæc diffinitio non est quidditatiua, sed descriptiua, quia radix ramis manifestatur, & non ècontra: §. Ad 2. Respon. D. Th. non asserere, quod in hac diffinitione loquitur Arist. de esse substantiali viuentis, nec per hoc esse diffinire animam hac 2. diffinitione: sed solum docet, quod in tex. 13. huius libri, ex quo procedebat argumētum, cui satisfacit: ibi loquebatur Arist. de esse viuē tis, & non de operatione, quod nō aduersatur nobis.

## QVÆSTIO X.

*An diuisio animæ in vegetatiuā, sensitiuam, & intellectiuam, sit adæquata, & an generis in species?*

2 DIcendum primo: eam diuisionem animæ esse adæquatam. Sic con. Plat. qui solum diuisit animam, in eam quæ intellectiua est, quæque irasci, & concupiscere potest, quod est sensitiuæ animæ: tenet Arist. hoc 2. lib. text. 31. & D. Tho. p. p. q. 18. art. 1. & alibi sæpē cum August. lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 8. estque communiter admissa. Et ratio est, quia ex effectibus cognoscimus in aliquibus entibus esse intrinseca principia, ad vegetandum, vt in plantis: ad sentiendum in animalibus, ad intelligendum in homine: nec possunt inueniri per effectus alia principia viuendi: ergo adæquata est ista diuisio. Sed ita intelligenda est, sicut diuisio quantitatis in lineam, superficiem, & corpus: nam sicut corpus includit superficiem, & lineā, & superficies lineam: sic anima rationalis includit perfectionem sensitiuæ, & vegetatiuæ, & vegetatiua includitur quo ad omnem perfectionem in sensitiua, & perfectio inferiores, quasi de materiali, includitur in superiori, & superior addit gradum perfectiorem quo constituitur.

2 Dicendū 2. Hæc diuisio est genetis in species. Sic D. Th. & alij cōmuniter con. Auer. & constat. Tū ex q. 7. vbi ostēdi esse vniuocā per rationem corporis physici, & organici. Tū ex Arist. hic lib. 2. tex. 30. vbi docet rationē animæ, quā vt communē, rationē assignauerat ibid. t. 7. esse cōmunē, sicut figura diuersis figuris est cōmunis, sed ratio figuræ in cōmuni, est ratio generica, & diuiditur, tanquam in varias species, in plures figuras: ergo hæc diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, est generis in species.

3 Cont. 1. concl. 1. Arg. diuersa species animæ debet superaddi, quæ sit appetitiua, & locomotiua, sed ea diuisio non est adæ-

adæquata, in qua membra diuidentia, non exhauriant totam cõfusionem diuisi; ergo hæc diuisio non est adæquata. Prob. mai. eô anima intellectiua superadditur sensitiuæ, & vegetatiuę, quia superaddit speciale principium se mouẽdi, eleuatiorẽ supra modum operãdi animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ: sed etiã principiũ se mouẽdi progressiuê, & appetitiuê, exigunt principiũ speciale se mouendi, supra communem modum sentiendi, & vegetandi; ob quam rationem ostreæ etsi sentiant, non tamen gradiuntur; ergo, &c. ℣. Confir. ex eo quod dantur viuentia vita vegetatiua, sine sensitiua, colligitur animam sensitiuam diuersam esse à vegetatiua, sed dantur animalia pure sensitiua, vt ostreæ, quæ non mouẽtur progressiuè, sed solum per motum cõtractionis, & dilatationis; ergo. ℣. Resp. quod ideò ad appetendum non superadditur nona anima, distincta ab alijs, quia motus appetitionis, non addit eleuatiorem modum, supra cognoscitiuum sensu, aut intellectu, vt docet Arist. hoc lib. 2. tex. 27. mouens vero progressiuè, ex apprehensione, & appetitu nascitur, & consequitur, solum addita perfectione cognoscendi, & appetendi bonum distãs, vt docet D. Tho. p. p. q. 78. art. 1. & ideò ad argumẽtum ne. maj. ad prob. ne. min. ad probat. ibi inclusam, & simul ad confir. resp. quod non ex eo ponimus diuersam esse animam sensitiuam à vegetatiua, quia vna sine alia reperiri potest, sed propter hoc, & simul, quia addit diuersum modũ simpliciter se mouendi: at moueri, & appetere solum addunt nouam perfectionem, consequutam ad cognitionem perfectam, ac proindê non sequitur, ad hoc esse ponendam diuersam animam.

4 Arg. 2. quod sit superabundans. Forma vegetatiua non est vera anima; ergo. Prob. antec. operatur extra se actione transeunte, qui modus operandi est communis elementis: ergo non est vera anima; hæc enim modum motus eleuatiorem, supra modum operandi elemẽtorum debet superaddere. Conf. omnis operatio formæ vegetatiuæ, perficitur media alteratione elemẽtorum, sic enim fit augmentum, & diminutio, alterando, scilicet, secundum vim primarum qualitatum, ex quibus etiam resultat complexio, & temperamentum. Sic etiam fit propagatio vnius plantæ in alteram, quatenus vna parte detracta hæc alterat terram, & sic agglutinantur partes, sicut fit in metallis, & in montibus, vel sicut ignis generat sibi simile; ergo. ℣. Respon. eleuari formã vegetatiuam, supra formas aliorũ corporũ, quia dato quod agat actione transeunte, tamen mouentur à se conuerterdo in suam substantiam alimẽtum, & generando simile sibi formaliter; nam etsi vtatur ministerio primarum qualitatum, tamen per de-

determinata organa hoc præstat, & emisso semine generat; aut in parte determinata habet hanc vim; cum tamen ignis, & alia si generant non se moueant à se, sed à cœlo, & generante, neque habent determinata instrumenta: & ideò modus operandi vitæ vegetatiuæ, eleuatior est.

5 Arg. 3. con. 2. conclus. ex Arist. hic text. 21. vbi loquens de anima intellectiua, ait: *Videtur hoc animæ genus esse diuersum*: ergo diuisio animæ in vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuã, non est eiusdem generis in diuersas species. Confir. Anima rationalis non educitur, sed creatur; vegetatiua, & sensitiua, educuntur de potentia materiæ; ergo anima rationalis, non est simpliciter forma, neque eiusdem generis, cum alijs animabus. Prob. conseq. nam actus pendens, & independens non habent idem simpliciter esse; tum quia actiones productiuæ non sunt eiusdem generis, ergo neque effectus. Resp. ideò dicere Arist. ibi quod anima rationalis videtur esse diuersi generis, quia est perpetua, & separabilis, & sic loquitur de diuersitate generis physici, non logici, de quo nunc disputamus: nam corruptibile, genere physico differre docet Aristot. 10. Metap. cap. 13. & D. Thom. p. p. q. 69. art. 2. ad 2. & tamen cœlum, & sublunaria, sunt eiusdem generis logici, & in eodem prædicamento substantiæ. Et hanc esse mentẽ Arist. docet D. Thom. 2. cont. genr. c. 61. nam cum hoc lib. 2. text. 7. dixisset Arist. quod communẽ diffinitionem quidditatis animæ tradiderat, quatenus etiam vniuocè complectitur rationalem, nunc hoc text. 21. solum dubitat, an sit alterius generis, non in ratione animæ, & actus primi corporis, sed in ratione incorruptibilis, separabilis, & perpetuæ. §. Ad cõf. Resp. quod cum ratio animæ non consistat in educi, aut non educi, in pendere, aut non pendere in subsistendo à subiecto; sed in eo quod verè sit actus primus intrinsecus informans, & reddens corpus naturale organicum, & potẽtia vitam habens: parum refert, quod in genere entis, seu effectus causæ efficientis, distinguatur genere physico ab anima vegetatiua, & sensitiua, tanquam spirituale à corporali, incorruptibile à corruptibili, per se subsistens, à nõ subsistenti.

6 Arg. 4. Ad idem. Sola anima intellectiua, est simpliciter actus, & forma, & anima, aliæ verò formæ tantum secundum quid, ergo hæc diuisio non est generis in species, sicut nec diuisio entis in substantiam, & accidens: prob. ant. ex eo substantia est simpliciter talis in genere entis, & in tali linea, quia habet esse per se independenter ab alio; accidens verò secundum quid, quia habet esse in alio, & dependens; sed sola anima actuat corpus, sine dependentia in suo esse ab illo; cæteræ autem

animæ

animæ cùm dependentia; ergo. §. Resp. quod nulla anima pendet à corpore in ratione, & in genere formæ, & actus, sed solum in alio genere, nempe in genere causæ materialis, vnde sumitur genus physicum, & ideô si anima est independens à subiecto in genere causæ materialis, solum arguit diuersi generis esse in linea physica, seu secundum genus, & speciem materialem, non verô in genere actus primi, & formæ, & animæ. §. Præterquam quod exemplum nil conuincit; nam accidens pendet à substantia, ideôque diuisio entis in substantiam, & accidens, non est vniuoca, ê generis in species; at anima vegetatiua, & sensitiua, non pendent ab anima rationali in informando; ergo non est ad rem. §. Præterea etsi dependeret, poterat esse dependentia in esse entis, & materialiter, & non in linea formæ, sicut pendet corpus à linea, & superficie, & êcontra, & tamen in linea, quantitatis sunt species condistinctæ; & hac ratione vita sensitiua pendet à vegetatiua, & tamen vniuocê dicitur de vtralibet, ratio vitæ (vt sic tacitæ cuidam obiectioni satisfaciam.)

7 Arg. 3. Vita vegetatiua, aut sensitiua, aut rationalis, non conueniunt genericè, ergo neque animæ. Prob. conseq. nam vita a suo principio speciem sortitur. Prob. antec. Vita vegetiua fit per immutationem physicam, cognoscitiua autem per immutationem intentionalem; sed physicum, & intentionale non conueniunt genere; ergo. §. Resp. quod illa immutatio se habet antecedenter: formaliter autem vita consistit in eo quod est moueri à se, & hoc physicê præstat omne cognoscitiuum, & ideô ratio vitæ in communi generica est: sed de hoc supra in hoc lib. q. 7. iam actum est.

## QVÆSTIO XI.

*An possit dari vita purè vegetatiua in aliquo animato, sine sensitiua, & an plantæ sentire possint?*

1 CErtum est animam intellectiuam, dum est coniuncta; & actu habet rationem animæ, & formæ, exercere non posse vitam intellectiuam, sine sensitiua, & vegetatiua; sicut nec animal habere vitam sensitiuam, sine vegetatiua; modò inquirimus, an possit dari anima purè vegetans: quod est inquirere, an plantæ viuant; vel hoc dato, an solum viuant vita vegetatiua, an etiam sensitiua, saltem habeti, & pigra, vixque à nobis perceptibili. Stoici vitam adimunt plantis, teste Theodoreto lib. 5. Græcarum affect. & Clemen. Alexand. lib. 8. Stromat. & Democritus teste Arist. hoc lib. 2. text. 37. Dicens participatione ignis elevari cacumina sursum, & participatione terræ radicari deorsum. Sic etiã Epicurei teste Plutarcho, lib. 5. de

de placitis, cap. 26. & Galen. lib. de facult. natur. At Pithagorici sensum plantis concedunt, teste Chrysost. homil. 1. in Ioan. Idem tenent Plato in Timæo, cũ Empedocle, & Anaxagora. Hanc opinionem *rusticanam* vocat Augustin. lib. de quantit. animæ, cap. 31. & addit ibi, & lib. ad quod vult Deum, hæres. 46. & lib. de bono Religionis, cap. 55. & lib. de moribus Manichæorum, cap. 17. Manichæos adeô deliraſſe (ait,) vt etiam animam rationalem concederent plantis; à quo errore Maro, & Naso, non distant, qui plantas sanguinem fundere, & homines in eas conuersos decantant: vnde etiam Erici deitatem, etiã conferebant truncis, par pari referentes, qui mores truncorũ imbiberant, quales ipsis Paulus appingit ad Romanos 1. sed his vltimis erroribus prætermissis, quia stupidissimi sunt, & valdè supini negotium tantum philosophicum peragendum est.

2. Dicendum est igitur posse dari animam, quæ sit purè vegetatiua, & dari de facto in plantis, absque vita, & anima sensitiua; sic Arist. hic & lib. 1. de Anima, tex. 84. & lib. 2. tex. 60. similiter Augustinus, vt suprà, & cum eo plures SS. PP. & Diuus Thomas p. q. 78. art. 1. ad 2. & art. 3. & alibi, & prob. quia forma plantarum, est actus corporis organici, organis aptis ad augmentum, & propagationem generatiuam: ergo plantæ habent vitam, & animam vegetatiuam, conseq. constat ex diffinitione animæ vegetatiuæ, antec. prob. nam habẽt partes dissimilares, v. gr. folia, ramos, radices, fructus, vt notat Arist. hic text. 38. & organa determinata, vt etiam docet hic text. 7. habent etiam sexum masculinum, & fœmeninum simul, ideſt, virtutem ad generandum in se semen prolificum, & recipiendum: quamuis ex prædominio dicuntur arbores masculæ, aut fœmineæ, vt docet D. Thom. p. p. q. 92. art. 1. & alibi cum Arist. lib. 3. de gener. animal. cap. 11. ergo habent formã, quæ sit actus corporis physici organici, cum determinatis organis ad exercendam vitam vegetatiuam: sed non habent organa, neque temperamentum ad sensum tactus, qui est fundamentum vitæ sensitiuæ, vt ostendit Arist. hoc lib. 2. ergo habent animam purè vegetatiuam, sine sensitiua.

3. Sed con. hanc concl. argui potest ex eo quod non est maior ratio cur plantæ viuant, per augmentum, & propagationem, quã ignis, qui per iuxta positionem, augetur, & generat sibi simile, alterando materiam. ℣. Sed ad hoc iam satisfactum est ex dictis cum Arist. non esse eandem rationem, quia ignis non à se mouetur, quia nec habet corpus organicum, sicut plantæ. ℣. Instant, quia in Deo non est formaliter vita vegetatiua; ergo non est vita. ℣. Sed hac ratione concluderent, nec sensitiuam, neque rationalem, esse vitã, quia

quia Deus nec habet sensum, neque discursum, sed vt sit vita vegetatiua, sufficit in Deo esse sub ratione vitæ, licet non sit sub ea ratione, qua contrahitur ad vegetatiuam, per differētiam, quæ dicit imperfectionem.

4 Arg. ergo 1. vt alia via probetur plantas non viuere, ex August. lib. 7. cap. 16. *Super Gen. ad liter.* vbi ait, *quod si in nobis esset tantum ille modus plantarum, nō diceretur homo factus in animam viuentē*, Genes. 2. ergo tenet quod motus plantarum, non est vitalis, ac perinde quod plantæ, neque viuunt, neque habent animā. §. Cōf. Genes. cap. 7. dicitur: *Cuncta in quibus erat spiraculum vitæ, mortua fuisse in diluuio*; sed si plantæ viuerent, mortuæ fuissent in diluuio; ergo non posset oliua reperiri, cum decrescebant aquæ; ex qua virentia folia posset adducere columba, ad arcam deferēs ramum in ore suo. Resp. cum Bannez p. p. q. 78. quod vita plantarum est imperfectissima, & anima vegetatiua, infimum locū tenet inter cæteras animas, ideō ferè non numerantur inter viuentia, & animata, nec tali nomine digna censentur; quamobrem plantarum formatio, Genes. 1. posita est quasi complemētum formationis terræ, vt aduertit D. Th. p. p. q. 69. art. 1. ad 2. & ideò cū August. docuit, quod si homo tantum haberet motum plantarum, non diceretur factus in animam viuentē intelligendus est de vita, quę perfecta est, non de imperfecta; nam ipse D. August. ibidem concedit plantis, illum motum, quē habēt capilli, & vngues, quos vegetante anima informari, certum est, vt infra ostendetur. §. Ad conf. resp. quod facer textus, non dixit omnia viuentia absolutē mortua esse, sed tantum omnia illa viuentia, *In quibus erat spiraculum vitæ*, vita autem vegetatiua plantarum, non habet spiraculum, neque spiritus vitales, & ideō non sequitur omnes plantas mortuas esse; nam plantas viuere sub aquis certū est, & in mari nemora esse, & corallium esse virgultum, sub aqua tenerū, & molle, quod postquam emergit, & aēre perflatur, lapidescit, testes sunt Plinius, & plures, qui de plantis scripsere, & experientia nautarum compertū est, & eorum, qui natant in fluminibus Quercus, Lauros Abietes sub aquis in magnas siluas crescere, Plinius narrat. lib. 13. cap. 25. sed prata florida, & syluas cum periculo expertas esse in pario mari, quod nouum orbem proluit (testātur Ouetus, & Petrus Martir) à Christophoro Columbo ferè periclitante.

6 Arg. 2. ad probandum plantas sentire. Vbi est motus progressiuus ad querendum pabulū, ibi est vita, sed hoc habent plantæ, quæ per terram expandunt radices, vt succum sumant, & sugant, atque alantur, ergo sentiūt. §. Cōf. 1. Vbi est odor ibi est sensus, sed plantæ odorantur aquas, eas-

easque radicibus prosequuntur lõga distantia, iuxta illud Iob cap. 9. vbi de ligno dicitur: *Ad odorem aquæ germinabit*, & subiungit D. Thom. lect. 2. *Idest, aduenientepluuia, quæ habet putredinis vim sensitiuam.* Ergo sentiũt. ℣. Conf. 2. ea habent sensum, quæ habent tactum, ea autem habent tactum, quæ discernunt inter noxium, & proficuum, sed plãtæ sic discernunt, ergo sentiunt, prob. min. nam fugunt humida, & arida relinquunt, & hac ratione radicibus reputant vsque ad loca humida; quod est sentire, quia mouentur ab eo quod est extra, & vtile est ad nutrimentum, vt ait Arist. lib. 2. de Anima, text. 59 ℣. Denique nõ alia ratione dicimus, quod ostreæ, & plura alia animalia fixa petris, & conchis, & saxis habent animam sensitiuam, nisi quia etsi non moueantur progressiuè in distans, tamen ad tactum nociui contrahuntur, & ad tactum conuenientis dilatantur, sed plantæ ad distans etiam mouentur, vt dictum est, ergo sentiunt. ℣. Resp. tamen quod plantæ metaphoricè tantum dicuntur sentire, & odorari aquam, & noxia, ac vtilia alimenta discernere: sicut & ignis, etiam mouetur ad pabulum, sed hoc non arguit sensum, quia nec tactum habent plantæ, neque tem peramentum, & organum requisitum ad tactum exercendum, vt ait Arist. hoc lib. 2. text. 16. vbi etiam animalia immobilia, & fixa sentire dicit, quia saltem tactu gaudent, & sic dilatantur, aut cõtrahuntur, at plantæ non tactu reptant, sed solum versus illam partem, magis aluntur, & augentur, quia ibi est alimentum magis proportionatum, quo humidius est solum, quo radices insunt.

7 Arg. 3. ad idem. Arbores dantur fructus viuos pergignentes, scilicet, loco pomorum pendentes rostro auiculas, quæ maturitatis tempore, in aquas dilapsæ statim euolare incipiunt: in littore namque sunt huiusmodi plantæ: aues istæ anseribus similes modo in aquis degunt, modo graminibus, & herbis in terra aluntur, nomen earum *Barliathæ*, aut *Berneca*, & nostro tempore cerni narrant Vincentius Beluacẽsis hist. natural. lib. 16. cap. 40. in Scotia, in insulis Nebridibus: in Hibernia frequẽtes esse, prodidere Odericus, & Ortelius in descriptione Scotiæ, & Hiberniæ: etiã in Germania inuentri memorat Iacobus Aconensis Cardinalis, in historia Orientali: & easdem aues apud Insulas Orcades constituit Olaus lib. 19. cap. 6. & Fulgosius lib. 1. cap. 6. se vidisse fidem facit in Flãdria, etiam repertas huiusmodi aues. Beluacensis tradit, & persimiles Indiam Orientalem proferre, auctor est Pigaferra in historia Indiæ Orientalis. Imô & Germanos aliasque nationes, in quadragesima, & in alijs ieiunijs, eis vesci solitos, quia neque ex coitu propagantur, neque vero sanguine coalescunt; sed tanquam fru-

fugibus, in cibum capere certum est, quia re maturè inspecta, non licere absque detrimento ieiunij, declaratum fertur in Conc. Later. sub Innoc. Papa III. ex papilione autem apud Brasilides auē gigni pennatam testatur Acosta. Mirabilius autem est, quod de India narrat Pigaferra, scilicet, arbores esse quorum folia à ramis diuulsa, viuunt, & vsque ad spatiū 8. dierum perdurare, sed post interire deficiente succo arboris, ex quo est alimonia. Præterea in Oceano pisces arbores, tam vastis, tamque implexis ramis horrescentes, tantaque prolixitate, vt nauigationem prorsus impediant, etiam historiæ suæ commendat Plin. lib. 9. cap. 4. & lib. 52. cap. 11. Vlterius nisi sensum, & tactū haberent frutices in nudi Fetanea Prouincia arbor non esset, quæ (teste Comitolo) si quis ei proprius accedat, ramos contrahat, si discedat, expandat, vt refert Maiolus, colloquio 21. Similem fugam ad se capiēdam, narrat Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico, cap. 25. in herba, cui nomē Haaras, cuius etiam meminit Cedrenus in sua historia; etiam virtutem habet trahendi ad se equos, non autem alia animalia; quod & in equo Alexandri contigisse refert Plinius lib. 12. cap. 8. sicut & refert apud Troglodiras arborē esse, quæ sentit se capi, & indurat; & si multum insistent in lapidem transfiguratur, hebetatque aciem ferri; si telis imperatur, quæ functiones sentientis, sunt & damnum fugientis. Denique in Tartaria Catanensi, in quadam insula, semen mittitur peponi nō absimile, vnde inhærens terræ vmbilico, tanquam stipite, aut trunco enascitur *agniculum animal* sanguine abundans, carne vero cā. cris similem, loco lanæ, pilum habet subtilissimum, quibus incolæ tegmina cōficiunt capitibus. Huius historiæ enarratores sunt in primis Surius eximiæ vir auctoritatis lib. commentar. rerum in orbe gestarum, suo tempore, ex quo Petrus Gregor. lib. 33. syntaxis, cap. 13. & Maluenda lib. 8. de Antichristo, cap. 18. vbi & pro eadem historia refert Scaligerū, Delrium, Andream Libanium, & Sigismundum.

8 Respond. ad hæc omnia, nihil suadere; nam aues illæ rostro pendulæ, non virtute arboris viuunt, vita sensitiua, sed cæli, ex putrefactione; neque enim ex ramis pendent, sed stipiti, & cortici adhærent, & ex earum putredine generātur, teste Beluacensi loco ibi relato; ac perinde, sicut quod animalia imperfecta generentur ex putrefactione terræ, non arguit terram esse animatam (quidquid delirauerit Campanella, omnia quæ in mundo sunt animata esse contendens) sed quod virtute cæli, & virtutis motricis generentur; sic neque quod ex putrefactione corticis arborum, generētur auiculæ, non arguit, quod arbor ille sit viuens. Nec maiorem dif-

difficultātēm hoc habet, quam quod ferè nulla sit stirps, ex qua vermiculi, aut paruæ auiculæ, non enascantur putrefacta aliqua materia, *sicut ex stercore boum, scarabæi etiam generantur*, & ex corruptione iuuenci, apes, & vespæ ex ventre bubulo: ex medulla ossium humanorum, serpentes; de quibus latè præfatus Petrus Gregor. lib. cit. cap. 8. & 9. & decimo, quod si folia illa viuere dicūtur, euulsa ex arbore (quod non facile crediderim) ideò hoc est, quia licet habeant formam folij, re vera tamē, sunt animalia ex putrefactione arborum, non autem ex vi actiua eorū progenita. Pisces autem arbores, dicuntur arbores (si verè sentiunt) metaphoricè, ob aliquam similitudinem, nā etiam homo arbor inuersa dicitur (à philosophis) sicut pisces vocātur stella, aut spata, aut equus, non quia tantū arbores sint, quod vero stirpes illæ, aut se contrahant, aut equos trahant, nil miri habet, vt sudeat viuere, sufficit enim eis virtus cæli, sicut in argento viuo se mouente, & in metallis, quæ ex naturali antipatia separantur, & in magnete attrahente ferrum, & in oleo, quod ignito papiro, si sit super illud, fugit, non quod sentiāt. §. Denique quod ex putrefactione illius seminis in Tartaria arbuscula agnus enascatur fixus terræ, non magis arguit vitam sensitiuam in illo semine, quam si quis conaretur probare, quod quidquid sit ex putredine arguit vitam sensitiuam in materia corrupta, aut in terra, aut ea animalia, quæ fixa sunt saxis, & conchis, suadere posset sensum in saxis, & animalitatem in cōchis: maneat ergo stabile, quod vita vegetatiua, & anima vegetatiua, separari potest à sensitiua, & quod plantæ viuunt quidem vita vegetatiua, secus autem sensitiua, sed cum hæc & similia legeris, attende Tertuliani verba cōtra Valentinian. cap. 20. *Satis meminerat Ptolomeus puerilium discipulorum in mari poma nasci, & in arbore pisces, sicut & in cœlestibus nuceta præsumpsit: operatur Demiurgus ignorans.*

## QVÆSTIO XII.

*An gradus viuentium sint tantum quatuor, scilicet, vegetatiuum, sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum?*

1 CVm tantum sint tria animarum genera, difficile videtur, quod sint quatuor gradus viuendi, seu animatorum, cum vero gradus latitudinē quādam præseferat sensus quæstionis est, an aliqua ex recensitis animabus, in modo viuendi gradum admittat in perfectione, idest, an sensitiua, & intellectiua, non solum sint principium viuendi sensibiliter, & intelligibiliter, sicut anima vegetatiua, solum est principium vegetandi, sed etiam specialis modus sit in anima sensitiua,

ua,& intellectiua,esse loco motiuam motu progressiuo.

2 Dicendum est quatuor esse viuendi modos,& gradus, scilicet,vegetatiuum,sensitiuum, loco motiuum,& intellectiuum.Sic Arist.hoc lib.& D.Tho.ibid.& alibi,& prob. Gradus, & modus animatorũ,& modi viuendi distinguuntur penes diuersum modum principij vitæ,& motus,sed quadruplex est modusprincipiãdi(vt ita dicam) motum,& vitam, in animatis; ergo sunt quatuor modi,& gradus animatorum, & viuentium, prob.min. Anima vegetatiua,cum sit imperfectissima solum est principium nutritionis, augmenti,& decrementi,& omnis anima vegetatiua,hoc habet; ergo tantum habet vnum gradum vitæ, seu animandi, per immutationem alimenti, quoad substantiam,& quantitatem. Anima autẽ intellectiua nõ admittit gradus, omnis enim huiusmodi anima,vt attinet ad cõsiderationem philosophicam intelligendi principium est dependenter à phãtasmatibus,& etiam sentiendi,& per consequens loco mouendi. At anima sensitiua in animalibus imperfectis non est principium loco mouendi,vt patet in ostreis: & in animalibus perfectis, non solum est principium sentiendi, sed etiam se mouẽdi ad locum,& standi in illo iam acquisito:ergo in anima sensitiua distinguibilis est gradus vitæ perfectæ,& imperfectæ;ergo quatuor sunt gradus animatorum,vegetatiuum,& sensitiuũ,loco motiuum,& intellectiuum;licet re vera gradus vt tales, solum in animatis sensitiuis reperiantur, sicut ibi tantum reperitur animatum perfectum,& imperfectum.

3 Inquiri solet in præsenti,an distinctio istorum graduum desumatur ab anima,vt informat corpus, an vero vt est radix operandi. ℣. Sed tamen ab vtroque dẽsumi certius est;nam cum modus operandi desumatur à modo essendi,ex eo quod anima sensitiua perfectior est in ratione formæ corporis,& radicat perfectiorem modum operandi,& quia vita in viuentibus,est esse,quo perfectius anima,communicat corpori esse viuentis, eo perfectiorem modum operandi radicat:ac per consequens gradus sequitur ex disparitate perfectionisin modo quo anima corpus informat,cum ergo non sit magis,nec minus intra lineam animæ vegetatiuæ informãdo, neque est latitudo in radicando modũ operandi diuersum: idem est de anima intellectiua, semper enim radicat eiusdem speciei intellectum:& solum in anima sensitiua est latitudo in informando corpus organicum, & cõsequẽter latitudo in gradibus, & in radicatione modi operandi. Sumitur ergo latitudo graduum istorum, tanquam à primo fonte à modo informandi, at à modo radicandi magis proximè sumitur:etsi dici possit,quod penes ex

plicitum,& implicitũ;distinguitur in anima ratio informandi,& radicandi,& sic hæ duæ rationes vnum sunt,explicatur tamen penes diuersa connotata; nam informare corpus organicum potẽtia habens vitam,inuoluit necessario principium operãdi:ad hoc enim est corpus organicum,licet huiusmodi respectus non explicetur,nisi quatenus concipitur anima, vt natura radicans diuersum operandi modum.

4. Ex dictis sequitur 1.con. Conimb.hos quatuor gradus viuentium,nõ distingui prçcisè penes vitam accidentalem potentiarum,sed à priori desumi penes vitam substantialem,& essentialẽ animarum. §.2.con.Suar.non esse tãtum tres gradus animatorum; siquidem in anima sensitiua, vt probatum est reperitur latitudo in modo,& perfectione informandi,& radicandi vitam accidentalem, ideôque quædam animalia progressiua sunt,& sentiunt, alia vero sentiunt tantum sine virtute progressiua,denique con.Aegid.Roman.non esse quatuor genera animarum, sed solum tria, et si sint quatuor genera animatorum,quia tantum multiplicat animas,diuersus modus elevationis, supra materiam corporalem; at virtus loco motiua, non dicit virtutem independentem speciali modo à materia,& organis corporis, sed tantum perfectiorem modum informandi eandem materiam, intra ambitum sensibilis corporis, & ideô gradum addit intra idem genus, non autem infert diuersum genus animæ.

5. Sed con.nostram concl.arg. 1.omne viuens vita sensibili, se mouet loco;ergo ruit fundamentum multiplicandi quatuor gradus animatorũ,ac per consequẽs, sicut sunt tria tantum genera animarum;tres etiam gradus animatorum tantum sunt concedendi.Prob.ant.Omne viuens sensitiuum est augmentabile,sed omnis augmentatio coniuncta est cũ motu locali,vt dixi lib.1.de generat.cum Arist.ibi cap.5.ergo omne viuens sensibile se mouet loco. §.Conf.in linea animatorum sensibilium, quæ vocantur annulosa,& insecta(vt Lacertæ)imperfectiora sunt, at ista, etiam post sectionem se mouent loco,& reptant,vt experientia constat:ergo non datur animatum sensitiuum, adeô imperfectum,vt nõ se possit loco moueri.Resp.cum D.Tho. hic non quẽcumque motum localem constituere gradum, sed progressiuum ad locum distantem: & ideô augmentabilitas, non constituit hunc gradum, alias etiam plantæ,quæ augentur haberent gradum loco motiui. §. Præterquam in augmento admiscetur localis motus præter intentionem,in progressiuis vero per se,& ideô constituit gradum. §. Ad Confir.etiam cum D.Thom. Resp. Animalia insecta, vocari imperfectiora in linea,& gradu vi-

viuentium, quæ progrediuntur, non verò absolutè; sic enim imperfectiora sunt gradu animalia fixa qualia sunt ostreæ.

6 Arg.2. Aut isti gradus distinguuntur penes animas, aut penes potentias vitales; neutro modo possunt esse quatuor, ergo male numerantur quatuor gradus animatorum, prob.min. Genera animarum sunt tantum 3. potentiæ vero sunt 5. scilicet, nutritiua, sensitiua, appetitiua, loco motiua, & intellectiua; ergo. §. Resp. neque multiplicari hos gradus, penes genera animarũ, nec potentiarum; sed penes diuersam perfectionem animandi, intra idẽ genus animæ sensitiuæ, quia quædam facit animatũ loco moueri: quædam non; & appetitiuum non constituit gradum, quia nõ potest dari animal sentiens, quod non habeat aliquem appetitum saltem imperfectum, nam eo ipso quod sentit habet tactum, & eo ipso quod habet tactum, percipit delectabile, & tristabile: quod est facultatis appetitiuæ, & ideô etiam animalia fixa, ad delectabile dilatantur, & contrahuntur ad sensum tristabilis, vt ait Aristot. cum D. Thom.

7 Sed con. est. Secundum D. Th. p.p.q.75. ar.3. ad 3. potentia loco motiua non distinguitur ab appetitiua; ergo nec principium radicale loco mouendi, distinguitur ab appetitiuo, quia principium quo intimus est, magis vnũ est; ergo si appetitiuum non constituit gradum distinctum, à sensitiuo, ne loco motiuum constituit distinctum gradum. §. Conf. ex quo dentur animalia sensitiua tantum, per sensum tactus (vt docet Arist. lib.2. de cœlo text.17. & 31.) non sequitur distinguendos esse diuersos gradus sentiẽtium tactiuorum, visiuorũ, vel audientium, ergo ex quo dentur animalia non progressiua, non sequitur distinguendum esse gradum loco mouendi, à gradu sensitiuo, cõmuniter dicto. §. Resp. quod sicut anima sensitiua, solum penes hoc, quod perfecta, aut imperfecta sit gaudet gradibus sensitiui, & loco motiui, ita vt hic secundus gradus consequatur animam sensitiuam perfectam, sic etiam appetituum, non ponit in numero cum sensitiuo; sed ad appetituum perfectum sequitur potentia appetitiua perfecta, quæ eo ipso est loco motiua, & sic cõstituit diuersum gradum, quæ responsio est D. Tho. p.p.q.78. art. 1. ad 4 §. Ad Confir. Resp. quod sensus, tactus, & gustus consequitur sensitiuum cõmuniter dictũ: sensus vero visus, odoratus, & auditus, consequuntur ad gradum loco motiuum, secundum maiorem, aut minorem perfectionem eius, quia dantur ad percipienda obiecta non coniuncta, vt sic animal ad percepta obiecta, quæ distant, se moueat, & consequatur ea.

## QVÆSTIO XIII.

*An possint isti gradus identificari in anima, & quomodo gradus superior, contineat inferiorem?*

1 IDentificari non posse istos gradus in eadem anima: sed in homine, v.g. aliam esse animam qua sit homo, vegetatiuus, alia qua sensitiuus, alia qua rationalis: docuere Plato in Timæo, cum pluribus ex antiquis Philosophis.

2 Sed dicendum est 1. In homine non esse plures animas, sed ab vnica anima prouenire, esse vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum. §. Prob. ex Conc. 4. Cõ stãtinoplitano, quod fuit 8. Synodus vniuersalis: vbi licet directê diffiniatur contra Manichæos, stultè asserentes in homine esse duas animas rationales, alterã sine labe peccati à bono Deo factã, alteram inquinatam peccato, vtpotè à malo Deo productam tamen absolutê anatematizat, asserẽtes, hominem duas animas habere. Tum etiam auctoritate August. Damasc. & D. Th. & prob. 1. ab incouenienti sic. Si in Christo alia fuit anima vegetatiua, & sensitiua, distincta realiter à rationali: ergo in morte Christi omnino interierunt, anima vegetatiua, & sensitiua, solum manente anima rationali separata (nam animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ, corporeæ sunt, & corruptibilis) ergo aliquid assumpsit verbum in incarnatione, quod postea dimisit: sed hoc est cõtra illud axioma Theologicum: *Quod Verbum semel aßumpsit numquam dimisit*; ergo absurda est sententia opposita. §. Nec obstat responsio OKam dicentis, mansisse in morte Christi animam sensitiuam, & vegetatiuam: nam si sentit mansisse vnitas, corpori Christi, hæresis est (iuxta aliquorum opinionem) si separatæ manserunt: temerarium est (secundum eosdem citatos) ergo manet inexitabile, absurdum propositum. Vide nostrum M. Marcum Serra p.p.q. 76. art. 3.

3 Potest probari concl. absolutè ex Arist. hic text. 31. vbi ait, *vegetatiuum esse in sensitiuo, & hoc in intellectiuo, sicut trigonus, in tetragono.* Hoc est figura triũ angulorum, in ea quæ est quadrangularis, & idem docet lib. 1. de Anima, text. 91. & p.p.q. 76. art. 4. & alibi sic probat. De ratione formæ substantialis 2. Arist. lib. 2. Physic. est dare primũ actũ, & primum esse simpliciter tale, materiæ, quæ est pura potentia; sed non potest hoc prouenire saltem naturaliter, nisi ab vnica forma; ergo cum in viuentibus, videamus simul operationes, vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, & etiam rationalis, signum est ibi ab vnica tantem anima, tres gradus viuentis, vegetatiui, sensitiui, & rationalis prouenire: prob. min. si

ad

ad aliquandam materiam secundum illum triplicem gradum, ponenda esset triplex anima, vel vna informaret materiam, mediante alia, vel tres æquè primo, eam informarent: si primum ergo sola vna daret materiæ primum esse; aliæ vero non primum esse, sed secundum esse illi communicarent. Si secundum, ergo neutra daret esse simpliciter, & adæquatè; sed vtrúque destruit conceptum formæ substantialis consistentis in eo quod sit actus primus, dans primum esse simpliciter; alioquin iam non esset forma substantialis, sed accidentalis; ergo.

4 Dices in eo casu quamlibet ex illis formis, immediatè informare materiam; sed non totaliter, sed partialiter, dando esse simpliciter in suo genere, non verò absolutè.

5 Sed contra est, quod secundum Aristot. hoc lib. 2. tex. 2. de ratione animæ cuiuslibet, est esse *entelechiam*, & dare speciē, & facere hoc aliquid; ergo si in equo, aut homine essent plures animæ, non esset vna species ibi, sed plures, neque vnum per se fieret ex illis, sed vnum per accidēs, vtpotè cum ibi essent vnum in diuersis speciebus constitutum, & vnum, & plura hoc aliquid, & plura entia completa: sicut cum dicimus idem esse album, & dulce: ergo non posset dici, quod homo est animal per se, sed per accidens, vt cum dico hominem esse album: ergo repugnat plures formas substantiales, partialiter constituere idem compositum substantiale, & dare esse simpliciter nō absolutè, sed in suo genere: prob. conseq. nā quod dat speciem, & constituit hoc aliquid, dat esse absolutè simpliciter tale, quod verò datis illis pluribus formis, non fieret vnum per se ex illis, nec posset de homine essentialiter prædicari esse sensitiuum, & vegetatiuum, latè probat D. Thom. quæst. vnica de Anima, art. 11. in corp. Vide ibi, §. Præterea. Si saluaretur operatio animæ, & formæ substantialis per dare esse primum, & simpliciter tale in suo genere: ergo nulla forma accidentalis, non esset substantialis: nam quantitas dat primum esse quanti simpliciter in suo genere, & idem est de albedine, vbicatione, & alijs: ergo vt sit forma substantialis debet dare primum esse simpliciter tale, absolutè, & omnibus modis; ergo non stat, quod plures formæ sint substantiales, & tamen solum dare esse partiale, & in suo genere, non constituēdo speciem completam, & hoc aliquid, quid autem sit cōstituere hoc aliquid, vide in D. Thom. lib. 2. de Anima, text. 2.

6 Dicendum 2. Anima sensitiua eminenter formaliter continet, gradum vegetandi, & anima rationalis eminenter formaliter continet gradū sentiendi, & vegetādi, sicut quaternarius ternariū, & binarium, & tetragonū, trigonum continet. Sic communiter Thomistæ. Notanter dixi animā

superioris ordinis, continere gradus inferiorum, & non dixi continere eminenter formaliter animas inferiores, quia vna species non continet alteram formaliter: quamuis possit continere formaliter eius perfectionem, vt notat D. Thom. p. p. q. 84. art. 2. nec quaternarius continet formaliter speciem numeri ternarij, nec tetragonum, trigoni speciẽ, sed eius entitates, vnitates, & angulos cõtinent. Sed quælibet anima, se ipsa est *entelechia*, & speciei forma constitutiua, vt vidimus ex Arist. hoc 2. lib. tex. 2. ergo anima superioris ordinis, non potest continere eminenter formaliter animas inferioris ordinis, sed solum earum gradus, & perfectiones.

7 Sic explicita nostra concl. est communis tenet eam Arist. hic tex. 31. cum D. Thom. p. p. q. 76. art. 4. (& ibi Bannez, & Serra) quodlib. etiam 1. art. 6. vbi adducto exemplo Arist. addit exẽplum in numero quaternario continẽte ternarium; sed in tetragono continenter formaliter, tres anguli trigoni, & in quaternario tres vnitates ternarij; ergo in anima sensitiua continetur formaliter gradus vegetatiuæ, & vterque iste formaliter in anima rationali continetur; at non cum ea limitatione, qua sunt tres anguli in trigono, continentur in tetragono, sed cum maiori eminentia, si quid in figura tetragona, non limitatur ad tres angulos, neque quaternarius, ad tres vnitates; ergo si eodem modo continetur vegetatiuum in sensitiuo, & hoc in rationali; sequitur ibi contineri eminenter formaliter.

8 Prob. ex doctr. D. Thom. q. vnica de Anima, art. 11. Sicut anima rationalis constituit hominẽ, formaliter rationalem, ita etiam constituit illum formaliter animal, ideſt, viuens sensibile, & formaliter corpus viuẽs (vita vtique vegetatiua) ergo sicut formaliter habet anima rationalis gradum intellectiuum, continet etiã formaliter gradum sensitiui, & vegetatiui; nam cum forma det esse composito; quatenus forma est, non dat formaliter esse, quod ipsa non est formaliter talias gradus vegetatiui, & sensitiui, non continet cum ea limitatione, qua eos continent animæ inferiores; ergo anima rationalis eminenter formaliter continet gradus inferiores, & idem est de anima equi respectu gradus vegetatiui, & sic de alijs.

9 Dicendum 3. Si isti gradus quatenus continentur in forma superiori, considerentur logicè, aut methaphysicè, sic æqualis perfectionis sunt in inferioribus, & superioribus animabus, & vniuocè conueniunt: si autẽ physicè, & vt contracti considerentur, sic perfectiori modo sunt in forma superiori, & analogicè tantũ analogia physica conueniunt, & in hoc sensu etiam dixit Arist. in genere latere plures æquiuocationes. Est

doctrina D. Thom. p. p. quæst. 66. art. 2. ad 2. & quæst. 77. art. 4. ad 1. & q. 88. art. 2. ad 4. & prob. quia homo genericè conuenit cũ planta, & brutis, si considerentur logicè, & methaphysicè rationes vegetatiui, & sensitiui: ergo æqualiter debent considerari illæ rationes, vbicumque reperiãtur. Tum etiam, quia illi gradus, logicè, & methaphysicè considerati, abstrahunt à modo, quem habent in contractione, ex quia inæqualitatem possunt participare, & solum considerantur secundum prædicata quidditatiua; ergo sub hac consideratione, nullam admittunt inæqualitatem, cum sic nullum principium inæqualitatis reluceat.

10 Quod autem illi gradus, physicè considerati, quatenus cõtinentur in formis superioribus, dicant maiorem perfectionẽ physicam, quam sit illa, quam habent in formis inferioribus; prob. Tũ quia habent entitatem perfectiorem, qualis est illa, quâ habet forma superior. Tum quia habent perfectiores operationes, & ideô cogitatiua hominis discurrit circa singularia. Tum quia coniunctio inferioris cum superiori perficit inferiorem, & sic supremum infimi, attingit infimum supremi in perfectione: ergo si gradus inferior identificatur cum superiori, multo magis perficietur; ergo gradus vegetatiuus identificatus cum sensitiuo in forma superiori, & vterque identificatus cum intellectiuo, physicè erunt perfectiores, quam ipsi gradus, vt reperti in formis inferioribus: sed analogia physica consistit in inæqualitate reperta in entibus, seu gradibus physicè consideratis; ergo isti gradus analogantur physicè, quatenus in forma inferiori, vel superiori reperiuntur.

11 Arg. 1. con. 1. concl. secundum Doctr. Arist. libr. 2. de generat. animal. cap. 3. Dum generatur homo, materia prius tempore, informatur vita plantæ, deinde vita animalis tandẽ vita hominis: ergo huiusmodi vitæ non ab anima rationali proueniunt, quæ est posterius tẽpore; ergo ab animabus realiter distinctis; sed anima rationalis his formis non contrariatur; ergo non corrumpit eas, sed manent in composito, communicando suum effectũ formalem. §. Pob. ratione. Dum generatur homo, aliqua forma debet generari, vt terminus quo generationis, sed non anima rationalis, quæ secundum fidem est ingenerabilis, & incorruptibilis, ergo anima vegetatiua, & sensitiua generantur; ergo sunt distinctæ realiter.

12 Resp. cum D. Th. p. p. q. 70. art. 3. ad 3. & q. 118. art. 2. ad 2. quod dum generatur homo; per multas generationes, & corruptiones peruenit ad recipiendam formam rationalẽ, quæ perfectionem aliarum continet, quæque corrumpuntur ad introductionẽ animæ rationalis, quia licet for-

mæ embrionis non sit contraria, est tamen cum ea incompossibilis; nam substantiæ licet nihil sit contrarium, est tamen aliquid incompossibile ex parte formæ. §. Ad conf. resp. cum Caiet. p. p. q. 118. ar. 2. quod vt homo generet hominem, non requiritur, quod producat aut generet aliquã formã, quoad esse, sed sufficit quod producat quoad inesse, idest, quod animã, quæ simul est intellectiua, vegetatiua, & sensitiua vt quo, vniat materiæ. Sic enim de nouo producit totum compositũ, quod est homo, resultans ex tali vnione. Vide etiam Banuez lib. 1. de gener. q. 8. art. 3. ad 2.

13 Arg. 2. ad idem. Nihil potest in se continere, ea quæ habent rationem oppositam, rationi continentis, sed anima vegetatiua, & sensitiua, earumque gradus habent rationes oppositas animæ rationali, ergo non continentur, etiam quoad gradus in anima rationali, sed sunt formæ realiter distinctæ: prob. minor. Proprietates earũ animarum, & graduũ, sunt omnino oppositæ his quas habet anima rationalis; ergo ipsæ animæ earumque gradus, etiam sunt oppositæ, consequ. constat, nã tota ratio proprietatis in anima præcontinetur, tanquam in radice, vnde oritur quidquid formaliter est in proprietate. Antec. prob. Anima vegetatiua est diuisibilis, ex se dependens à materia in operando, ac per consequẽs in essendo: petit temperamentum conflatum ex contrarijs, ac repugnantibus qualitatibus, ex quibus tandem sequitur corruptio compositi, & idem dic de sensitiua, ergo anima vegetatiua, & sensitiua, earumque gradus habent oppositas proprietates, his quas habet anima rationalis. §. Conf. secundum Arist. lib. 2. de Anima, text. 31. ex obiectis, & operationibus, tanquã per rationem à priori inuestiganda est natura animarum, sed operationes, & obiecta ad quæ se extendit anima vegetatiua, & sensitiua, earũque gradus sunt omnino diuersa; nam obiecta sunt corporea, & sensibilia, operationes autem affixæ organo, quibus carent obiectum, & operationes animæ intellectiuæ; ergo gradus vegetatiuus, & sensitiuus, non conueniunt in anima intellectiua.

14 Resp. Quod etsi illæ proprietates habeant contrarietatem materialem, non tamen formalem, & in ordine ab finem vitæ rationalis, inesse physico, ideoque illi gradus possunt adunari in forma eminẽriori, qualis est rationalis, quæ quidem cõtinet illos gradus cum maiori perfectione, quam sit in inferioribus, & ideò non sunt pendentes à materia secundũ esse, quod habent in anima intellectiua: neque sunt generabiles, & corruptibiles, quamuis operationes pendeant à corpore: vnde sicut anima vegetatiua petit tẽperamentum contrariarum qualitatum, quas radicat, & petit, vt

pro-

proprietatés, quia finis eſt vnus, ea contrarietas eſt materialis, & ſicut forma cultelli petit ferrum, ex quo ſequitur erugo deſtruens formam, quia erugo neceſſitare materiæ contingit, & totum hoc eſt materiale, & quaſi per accidens, & ſic finis habetur, & ſalbantur animæ intellectiuæ, qui conſiſtit in intelligendo, acceptis ſpeciebus à rebus, habẽdo vitam in corpore: §. Ad 1. conſ. reſpon. quod ſicut diuerſitas obiecti, & operationis practicæ, & ſpeculatiuæ in linea ſcibili: ſolum arguit, vel diuerſitatem realẽ in ſcientijs inferioribus, vel eminentiam continendi diuerſas formalitates in ſcientia ſuperiori (qualis eſt Theologia) quæ ſimul eſt practica, & ſpeculatiua, vt communiter docẽt Thomiſtæ, ſic ſimiliter diuerſitas obiectorũ, & operationum gradus vegetatiui, & ſenſitiui, arguit diuerſas entitatiuè animas inferiores, vel eminentiam continentem diuerſos gradus, qualis inuenitur in anima rationali.

15 Contra 2. concl. arg. 3. Hoc ipſo quod aliqua forma ſuperior contineat perfectionem inferiorum, eminenter formaliter, poteſt præſtare cum maiori perfectione, quod præſtat inferior, vt patet in ſole, prout continet actiuitatẽ ignis: poteſt enim ẽnſare calorem, imò, & ignem quandoque: ſed anima rationalis nequit producere animam vegetatiuã plantæ, neque animam bruti, neque operationes horum animatorum præſtare: ſiquidem nequit fructificare, ſicut planta, neque rugire, ſicut leo; ergo anima rationalis, neque eſt eminẽter formaliter vegetatiua, nec ſenſitiua. §. Conf. ex quo anima rationalis det compoſito eſſe vegetatiuum, nõ ſequitur continere gradum vegetatiui, eminenter formaliter: ſed ſufficit ad hoc quod ſit virtualiter vegetatiua, & ſenſitiua, quod ſic probatur. Etſi det eſſe corporeum, non eſt fomaliter corporea, hoc enim repugnat rei ſpirituali qualis eſt anima; ergo ſimiliter. §. Nec valet dicere, etiam eſſe formaliter corpoream vt quo, nam contra eſt hanc eſſe abſurdam loquutionẽ, ſicut ſi diceremus animam eſſe formaliter hominem vt quo. Tum etiam. Si anima noſtra eſſet formaliter corporea, abſolutè dici poſſet corporea; nam denominatio abſoluta ſumitur ab eo quod eſt aliquid formaliter: circa quæ vide Serram p. p. q. 76. art. 4. dub. vnic. concl. 2.

16 Reſp. Animam rationalẽ, non continere animam vegetatiuam, aut ſenſitiuam, ſecundum quod conſtituitur in ſpecie: neque ſpecies particulares vegetatiui, & ſenſitiui, ſed ſolum cõtinere vegetatiuum, & ſenſitiuum, per modum gradus cõmunis, & hoc formaliter eminenter continet, & ideò nõ ſequitur præſtare eoſdem effectus ſpecificos, quos cõtinent, & præſtant inferiores ſpecies plantarum, & animalium. Sol autem

autem cùm sit causa vniuersalis, continet species inferiores, & ideò quandoque causat ignem. §. Ad conf. recta est responsio tradita, quia esto causa efficiens per continentiam virtualem possit effectum causare, quia illum producit ad extra, at causa formalis, cum solum causet per sui communicationem, nequit formaliter aliquid causare, nisi illud contineat formaliter. §. Ad 1. replicam respond. quod si idem sonaret esse hominem vt quo, ac esse quo aliquid est homo, non esset absurda loquutio dicere animam esse hominem vt quo, at quia ly homo reduplicat compositum, & quod est non admittitur absque absurdo, quod anima sit homo, etiam vt quo: at esse vegetatiuum, aut corporeum indifferenter accipitur, & ideò absque absurdo admittitur animam rationalem, esse vegetatiuam, & corpoream vt quo. §. Ad 2. respond. negando animam nostram absolutè dici posse corpoream, etsi sit corporea vt quo, tum quia est periculum conuenire in verbis, cum hæreticis, asserentibus non esse spiritualem. Tum quia corporeum in cõmuni intelligentia accipitur pro eo quod contraponitur spirituali.

## QVÆSTIO XIV.

*An omnes animæ sint indiuisibiles, entitatiuè, vel quales illæ sint?*

1 DIuisibile dicitur, quod caret simplicitate, & constat compositione; quamobrẽ cum animæ physicè, non componantur materia, & forma, & metaphisicè constent genere, & differentia, possunt dici diuisibiles essentialiter metaphisicè, sed indiuisibiles physicè essentialiter. Nunc vero de hoc nõ inquiritur, sed tantũ de indiuisibilitate quasi integrali. Vnde cum iam satis cõstet ex dictis in Logica substantiam materialem habere partes entitatiuas actu distinctas modo inquirimus, an hoc non solum verum sit in materia, & formis corporeis, sed etiam sit tenendum in qualibet anima, vegetatiua, & sensitiua.

2 Vt certum etiam secũdum fidem tenendum est animam rationalem esse spiritualem, & non educi ex potentia materiæ, ac proinde esse immortalem, & incorruptibilem, & per consequens esse indiuisibilem, & simplicem, & expertem cuiuslibet compositionis integralis partium entitatiuarum; vt latè ostendit D. Th. p. p. q. 76. art. 8. & 2. cont. gent. cap. 72. & in contextibus. Quod etiam docent plures sancti Patres quos refert Rubio tract. quo agit de

de modo quo anima rationalis informat corpus, q. 1. Quidquid in contrarium Stoici, & aliqui hæretici delirent. Tota ergo quæstio deuoluitur ad animas putè vegetatiuas plantarum, & ad animas vegetatiuas, & simul sensitiuas animalium; quorum aliquæ sunt imperfectæ, vt in animalibus reptilibus, & anulosis, aliæ vero perfectè, vt animæ equorum, canum, & aliorum eiusmodi.

3 Dicendum est primo. Animæ animalium perfectorum, sunt omnino indiuisibiles, tam actu, quàm potentia, ideſt, non possunt diuidi, manente aliqua parte viua. Sic communiter Thomistæ cum D. August. lib. de quantitate animæ, cap. 10. vsque ad 32. & cũ Arist. lib. de iuuent. & senectute, cap. 1. vbi ait; quod animalia perfecta, eo quod optima fabricatione constant, *haud quaquam viuere dissecta queunt, eo quod eorũ natura, quam maximè potest vna habeatur.* Sed de ratione vnitatis est indiuisibilitas; ergo huiusmodi animæ, quam maximè sunt indiuisibiles. In terminis habetur nostra conclusio, apud D. Thom. p. p. q. 76. art. 8. & q. de spirit. creaturis, artic. 4. & q. de anima, art. 10. & in 1. dist. 8. q. 5. art. 3. ad 2. in quibus locis efficacẽ rationem pro nostra cõclusione proponit, vnde.

4 Prob. Anima ex quo actus est, non est diuisibilis per se, quia diuisibile est aliquid, quæ ratione est in potentia; sed neque sunt per accidens, diuisibiles animæ animalium perfectorum, ergo omnino sunt indiuisibiles; prob. minor. Illæ formæ sunt per accidens diuisibiles, ideſt, ratione quantitatis, quæ informant corpus diuisibiliter, & per se primo respiciunt, tã partes organicas, quam totum resultans; sic enim cum immediatè, & per se informent partes, illis diuisis, eisque manentibus, etiam destructo corpore, manebit in illis diuisa anima: sed animæ animalium perfectorum, non informãt diuisibiliter, corpus organicum, nec per se primo informant partes, sed potius totum resultans, & ratione eius partes: ergo nõ sunt formæ diuisibiles, quæ possint manere informando partes, destructo toto. Prob. min. quia non introducitur anima, nisi vt corpus est vltimo, & perfectè organizatum: ergo respiciunt partes, tales animæ ratione totius; sicut quælibet alia forma respicit subiectum, & alias dispositiones ratione vltimæ. Et ratio est, quia cũ anima sit forma vitalis, & operatiua, non potest respicere corpus, nisi quatenus aptum est, vt per illud anima operetur, & exerceat vitam perfectam, at vita perfecta, non exerceretur in qualibet parte, sed requirit organizationẽ totius, estque indeterminata parte, organizatio requisita, quæ resultat ex integritate partiũ, nec est dispersa per totum: ergo huiusmodi anima indiuisibiliter respicit totam organizationem, & per con-

consequens sub ratione quadam indiuisibili informat totum corpus, primò, & per se, & ratione eius singulas partes.

5 Si dicas etiam formam elementi, respicere materiã, sub ratione indiuisibili vltimæ dispositionis, & formam mixti sub ratione temperamenti, quæ reducit primas qualitates ad medium; & formam plantæ sub organizatione determinata, quæ resultat necessariò ex aliquibus partibus, ad vnum reductis, & tamen sunt formæ diuisibiles; ergo ex quo animæ perfectorum animalium, respiciunt partes materiæ sub vna quadam ratione organizationis perfectæ, non sequitur esse omnino indiuisibiles. Tum etiam organizatio illa requisita, vt animæ perfectæ informent corpus, habet latitudinem; nam si non admitteret, quolibet addito, vel destructo, interiret animal, sicut in numero contingit; ergo inde non sequitur informare, indiuisibiliter.

6 Contra tamen est, quod vt expendit D. Thom. locis citatis, & insinuat p.p.q.118. artic.2. ad 2. & si illæ formæ respiciant subiectum sub aliqua ratione indiuisibili, in qualibet parte: tamẽ plures partes respiciunt sic dispositas, & temperatas, & organizatas, quia in qualibet parte exercere possunt suas operationes; & ideò ignis in qualibet parte calefacit, & mixtum in qualibet parte seruat suam formam, quia partes sunt homogeneæ: plantæ autem, & animalia imperfecta, etsi non habeant partes homogeneas; plures tamẽ habent homogeneas, vel similis omnino organizationis, requisitæ ad principalem operationem, ideôque, licet cum minori diuisibilitate, quam elementa, & mixta, informant tamen diuisibiliter, & per se primo aliquas partes: At animæ perfectæ non possunt operari, nisi sit perfecta organizatio in toto, vel ratione eius: ergo non informant primo, & per se aliquas partes, modo diuisibili, sed totum, & ratione eius partes: at totum vnitatem dicit in ratione formali; ergo, & quamuis sit latitudo, est in partibus materialibus, non verò in formali integritate totali, ideôque diuiso, seu destructo principio vitæ, in corde, aut cerebro, statim intereunt, ideôque hæc ratio nostra semper subsistit; quæ absque dubio continetur in verbis Arist. relatis, num. 2. quæ debent relegi, & sæpè adduci contra aduersarios, simul cum verba D. Thom. iam annotatis.

7 Prob. 2. Anima, etsi sit corporea, non tamen est corpus, vt docet Arist. 8. Physic. text. 3. & lib. 1. de Anima, text. 90. & D. Tho. p.p.q.75. art. 1. sed ex quo sit corpora, & per consequens dependens in esse, & conseruari à materia diuisibili, non sequitur esse diuisibilem; nam etiam punctus, corpus non est, licet nequeat esse sine corpore, vt corpore, vt

ait

ait Arist. lib. 1. de Anima. text. 13 & ideô corporeus est, ergo licet animæ perfectorum animaliũ sint corporeæ, non sequitur esse diuisibiles: sed possunt esse indiuisibiles, quod si aliqua forma corporea indiuisibilitatẽ habere potest, nulli magis potest cõpetere, quã formis animaliũ perfectorũ, quia sũt supremæ inter omnes formas substãtiales purè corporeas entitatiuè, & ideô debẽt attingere aliquo modo, formas spirituales, quia supremũ infimi, attingit infimũ supremi, & cum habere indiuisibilitatem, dicat actualitatem, & perfectionem, quia diuisibilitas, ratione potentiæ competit, dicendum erit, quod si alicui entitati corporeæ competit indiuisibilitas, deneganda non est animæ perfectæ.

8 Dicendum 2. animas plantarum, & animalium imperfectorũ, quæ anuloſa sunt, esse diuisibiles. Sic etiam communiter Thomistæ, & Arist. qui lib. 1. de Anima, text. 98. & lib. 2. text. 20. & cap. 1. de iuuent. & senect. docet plãtas, & animalia imperfecta viuere post sectionem, eadem specie, licet non numero. Idem docet D. Thom. locis cit. concluſ. antecced. & pluribus alijs. Tenet etiã cum Arist. D. Augustin. lib. de quãtit. anim. c. 31.

9 Et Prob. signum diuisibilitatis, est actualis diuisio, sed huiusmodi formæ actu diuiduntur, vt patet in plantis, lacertis, muscis, & vermiculis, quæ secta viuunt; ergo sunt diuisibiles. Si dicas tamen arborum scissos, nõ viuere, sed pullulare, quia habent virtutem seminalem, & lacertas dissectas non viuere, sed moueri à spiritibus manentibus in cadauere, qui de nouo generantur, vt diximus lib. 1. de generat. inquirendo, an accidentia geniti maneant in corrupto, & an in corruptione fiat resolutio, vsque ad materiam primã; vnde sicut capita decapitatorum saltantia, in ô, & loquentia post ictum gladij (vt abundè historiæ referunt) nõ suadent animas humanas esse diuisibiles, sic neque motus lacertarũ, post sectionem, suadet animas earum esse diuisibiles. §. Sed contra est, quod si plantæ excisæ, solum virtute rationis seminalis progerminarent, hæc virtus cum sit de superfluo alimenti, in determinata parte resideret; non in qualibet, si anima non est diuisibiliter dispersa per omnes partes, cũ hoc præstare non posset sine corruptione sui, nam nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet, & fructum non affert, teste Christo Domino Ioann. cap. 20. At videmus ramum scissum, absque morte, & corruptione, germinare, florescere, & fructificare, si inseratur, aut figatur, terræ; ergo illi effectus non sunt à virtute seminali, sed à forma, quæ diuisa est. Præterquam quod secũdũ testimoniũ Christi, granum frumenti, separatum ab arista, potest viuere, & mori; ergo

quia

quia anima illius herbæ diuisibilis est. Nec animalia anuloſa poſt ſectionem mouentur ratione ſpirituum, ſed ratione formæ diuiſæ, quod probatur. Tum ex Ariſtotele locis citatis dicente, ea animalia diuiſa viuere, non eadē numero, ſed eadē ſpecie. Tum quia partes ſic diuiſæ, ſi pungantur, ſentiunt, & refugiunt, & lumbriculæ pars, ſi applicetur venæ fugit ſanguinem; ergo habent operationes vitæ, & non tantum ſpiritus, ſicut capita exciſſa; quæ non ſentiunt, nec vocem edunt, ſed ſonum ex colliſione ſpirituum, quod ſi partes exciſſæ non diu viuunt, ideò eſt, quia forte ibi nō eſt pars, quæ ſit facultas nutritiua: nam ſi ſit, conſeruatur, vt patet in plantis. Nec valet dicere, quod facta diuiſione, corrumpitur anima totius lacertæ, & poſita ea conditione, plures de nouo introducuntur in qualibet parte; nam hac ratione idem poſſet dici de aqua, & igne diuiſo, quod eſt contra Ariſtot. locis cit. Tum etiam, quia ſi in illo inſtanti eſt ſufficiens diſpoſito, vt producantur nouæ formæ eiuſdem ſpeciei, etiam erit debita diſpoſitio, vt conſeruetur præexiſtens. Tum denique, quia falſum eſſet, *quod à priuatione ad habitum, non eſt regreſſus per naturā*, ſi corrupta in hac parte forma lacertæ, ſtatim generetur alia eiuſdem ſpeciei: Nec video quo pacto, diuiſio quæ per ſe tendit ad corruptionem, poſſit diſponere, ſeu caulare vltimam diſpoſitionem ad formam eiuſdem ſpeciei, & quare hoc idem non contingat in animalibus perfectis. Nec valet rurſus confugere ad virtutem cæli, quæ ſicut habet virtutem ſine alio agente vniuoco, generare ex putrefactione, huiuſmodi animalia imperfecta, poteſt etiā facta diuiſione, & corruptione, rurſus generare ſimilia animantia in partibus materiæ, quæ manent poſt inciſionem. §. Non inquam, hoc valet, nam plátæ perfectæ viuunt poſt inciſionem, ſicut imperfectæ, & tamen cælum ſe ſolo producit eas ex putrefactione. Præterquam quod verum eſt, quod nec virtute cæli, quæ naturalis eſt, poſsit dari regreſſus à priuatione ad habitum, recuperando ſtatim ſimilem formam.

10 Contra 1. concl. quam defendunt plures Neotherici, extra ſcholam D. Thom. arg. 1. Si animę perfectorum animalium eſſent indiuiſibiles, eſſent totæ in toto, & totæ in qualibet parte; ſed hoc repugnat corporali formæ, ergo ſunt diuiſibiles. Prob. min. Tum quia Auguſt. lib. 6. de Trin. cap. 6. ex eo colligit animam rationalem eſſe indiuiſibilem, quia eſt tota in qualibet parte. §. Confirmatur, ſi tales animæ eſſent indiuiſibiles, haberent in corpore vbi ſpirituale; nam eſſent totæ in qualibet parte, ergo eſſent, & non eſſent corporeæ; nam illa vbicatio eſt propria rerum ſpiritualium. Prob. ſi huiuſmodi animæ eſſent indiuiſibiles in informando, & haberent in corpore

pore vbi diffinitiuum, quo essent totæ in toto corpore, & totæ in qualibet, & parte, non haberent vbi circumscriptiuum in corpore, ergo haberent vbi spirituale; sed alias modus existendi, ostendit modum corporeum, ergo haberent esse corporeum; ergo essent, & non essent corporeæ formæ.

11. Respondetur, quod etsi omnis forma spiritualis sit tota in toto, & tota in qualibet parte, & informet indiuisibiliter, non tamen sola; nam hoc etiam competere potest formæ corporeæ, & verificatur in speciebus sensibilibus, quæ in quolibet puncto repræsentant totum obiectum, & in toto spatio similiter repræsentãt: vnde sicut non omne indiuisibile est spirituale, & si omne spirituale sit indiuisibile: sic dicendum est in nostro casu, nam spirituale, nõ constituitur præcisè per esse indiuisibile, aut totum in toto, & totum in qualibet parte; sed etiam per non dependere in esse, & fieri à corpore, quod tamen habent formæ perfectorum animalium, & ideò non sunt spirituales, sed corporeæ, & quando D. August. docet animam nostram esse totam in toto, & totam in qualibet parte, non inde probat esse spiritualem, & incorpoream; sed solum non esse corpus compositum (quod non est idem.) Ad conf. resp. animam non esse in corpore, sicut in loco, sed sicut in subiecto, & ideò ex quo sit indiuisibiliter, non sequitur, non esse corpoream, sed solum non esse corpus, nec esse diuisibilem: vnde non est idem de vbicatione, hæc enim resultat ex adiacentia loci ad locatum: si est circumscriptio, & denotat adiacentiam diuisibilẽ corporis, & ideò nequit non habere, diuisibilitatẽ, si autem eam non habet, ideò est, quia res est in loco modo spirituali, sed modus quo est anima in corpore, non est localis, & ideò cessat quæstio.

12. Contra instant, eo ipso quod forma sit dependens à materia in esse, habet esse proportionatum illi, sed materia est diuisibilis, ergò & omnis forma materialis. §. Confirmatur, quia potentiæ sunt materiales, & in subiecto materiali sunt diuisibiles, & idem est de operationibus materialibus; ideôque etiam species habẽt extensionẽ in pupilla, & hoc contingit, quia illud esse materiale, dependet in esse à subiecto diuisibili; ergo pariter. Resp. quod vt formæ illæ sint materiales, sufficit dependere à materia in esse, sed hoc non sufficit, vt sint diuisibiles, quia materia non habet rationẽ subiecti proportionati, à quo pendeant in esse tales formæ: nisi sub ratione indiuisibili, vt dictum est. §. Ad confir. resp. quod potẽtiæ, & operationes, & species accidentales in esse entis, pendent à subiecto, quanto & extenso in esse, & sub ratione diuisibili, recipiuntur ab illo, & informant, & hac ratione sunt diuisibiles, quod non

non verificatur in formis substantialibus animalium perfectorum, & ideò non est idem. Vide D. Thom. p. p. q. 78. art. 1. Vnde cũ omne quod recipitur, ad modum recipientis recipiatur; ideſt, quatenus proportionatur cum recepto; & ratio recipiendi animã perfectam sit formaliter indiuisibilis, licet materialiter sit diuisibile subiectum, fit consequens animam huiusmodi informare indiuisibiliter. Sic etiam intelliges quomodo, etsi istæ formæ educantur de potentia materiæ diuisibilis, fiant tamen indiuisibiliter, & habeant esse indiuisibile, & in instanti educantur, quia ratio sub qua educũtur est, etiam indiuisibilis, licet alterationes præcedentes, diuisibiles fiant, & sic occurritur nonnullis obiectionibus, quæ hic fieri possent.

13 Sed adhuc instant. Si anima equi, v. gr. tota est in toto, & tota in qualibet parte; ergo tota educitur à toto, & tota, à qualibet parte; siquidem anima materialis, est in subiecto, à quo educitur; at hoc implicat, tum quia vna pars materiæ non potest continere, formam totalem equi, cũ in ea nequeat exercere suum esse, & operationes. Tum quia iam idem numero effectus, haberet duplicem causam totalem (quod in via D. Thom. repugnat) nam tota anima educeretur à toto, & tota à qualibet parte. §. Respon. Quod sicut anima equi, non est in partibus, nisi ratione totius, ita neque educitur ex illis, nisi ratione totius, & ideò non habet per se plures causas sui esse.

14 Arg. 2. ad idem. Dum animal perfectum nutritur, & nutritione restaurat partes humidi radicalis consumpti ex actione caloris: perdit partes formæ, & acquirit alias, ergo forma perfectorum animalium, partibus integralibus constat, prob. antec. humidum radicale, quod partim deperditum est, non solum consistit in materia nuda, sed etiam in materia informata, & partes humidi, quæ restaurantur per nutritionem, non tantum sunt partes materiæ nudæ, sed etiam materiæ informatæ; ergo partes formæ perduntur, & restaurantur. §. Conf. cum ex vi nutritionis, noua pars materiæ aggregatur substantiæ animalis perfecti, vel tota forma animalis, quæ præexistebat, educitur de potentia illius partialis materiæ, quæ de nouo vnitur, vt informetur à forma viuentis, vel tantum pars formæ (nam forma materialis, vt distinguitur à spirituali, informare non potest materiam, à qua non pendeat in esse, & fieri, & à qua non educatur) si pars formæ educitur habetur intentum; si tota forma, quæ præexistebat, de nouo educitur ex illa parte materiæ alimenti, quæ de nouo aduenit: ergo eadem met numero forma bis producitur, & educitur, quod est impossibile naturaliter; ergo forma materialis perfectorum animalium integri-

gritatem partium admittit.

15 Resp. Quod in nutritione, & diminutione animalis perfecti, nec pars formæ, nec tota forma deperditur, aut acquiritur, sed tantum pars materiæ perditur, aut acquiritur cum debitis dispositionibus ad vnionem formæ illius, quæ indiuisibilis est; ad talẽ partem materiæ, sicut contingit in nutritione, & diminutione substantiali hominis, & sic nullo modo habetur intentum argumenti, neque in absurdum aliquod redigitur mea sententia, vnde humidum radicale, quod constat materia informata, variatur quoad partes materiales dispositas, & quoad vnionem formæ, non autem quoad formam ipsam. §. Ad cõf. Resp. quod sicut anima perfectorum animalium, non respicit partes materiæ in se, sed eas, & ex eis resultat totum organicum, sic non educitur primo, & per se ab illis, sed à tota materia, vnde etsi varientur partes, quas secundario informat; manente toto manet forma, dependens ab illo in esse, fieri, & conseruari, quod sufficit, vt talis forma sit materialis, & pendens eductiuè à subiecto, ita vt non sit spiritualis; vnde cum de nouo informat partes materiæ alimenti, non reproducitur talis forma, sed manet semper educta ab illa parte, quæ aduenit, ratione totius, quia ea pars fit de integritate totius subiecti, à quo educta manet illa forma, & sic pẽdet à qualibet parte quę ipsũ integrat, nõ ratione sui, sed ratione totius integritati ex omnibus illis partibus, ad quas integrẽ retinẽdas, vt requiritur ad substinendã talem formam datur remedium nutritionis, quia si hoc nõ adesset, diminutis partibus humidi, non saluaretur integritas organizationis, & corrumperetur animal; insuper omnia argumenta instantur in sententia aduersariorũ asserentium dari posse animam materialem indiuisibilem.

16 Arg. 3. contra 2. concl. si ob aliquam rationem formæ animalium imperfectorum essent diuisibiles; maximè quia partes abscissæ viuunt, sed hoc est falsum; ergo prob. min. Tum quia partes abscissæ essent animalia, & viuerent vita animali, sed hoc est falsum: quia animalia phantasia mouẽtur, sed phantasia habet determinatum organum, nec est dispersa per totum corpus; ergo. Tum quia, si ille motus proueniret ab anima diuisa, & non tantum à spiritibus relictis; eodem modo viueret lacerta diuisa in lõgum à capite ad caudã, sicut dicitur viuere si diuidatur in latum, nam anima æquè esset diuisa in lõgum, & latum: sed diuisione facta in longum non viuit lacerta; ergo neque in latum. §. Resp. partes excissas, vel nõ dici animalia, sed animata, vt ait Caiet. p. p. q. 76. art. 8. §. *Ad primum horum*; vel dici animalia, sed imperfecta, & mutila, absque integritate, & via corruptionis; vt cum

Arist.& D. Thom.pluribus in locis, docent alij Thomistæ,& sic etiam dicendum, quod phantasia imperfecta, qualis est in animalibus imperfectis dispersa est cum sensu tactus per corpus, vt etiam docet Aristot. Ad 2.probat. Resp.quod in his animantibus,dorsum habet rationem cordis,& ideò si in longum diuidantur,diuisio corde,& eius sufficiẽti organizatione,perit vita,quæ non perit si in latum diuidantur, quia manet sufficiens organizatio eius, quod habet virtutem cordis in illis.

17 Inquires in calce huius q. an huiusmodi animæ diuisibiles, habeant partes ethereogeneas, an tantum homogeneas? §. Affirmant communiter Thomistæ,tãtum habere partes homogeneas formaliter,sed virtualiter ethereogeneas,quia anima est actus corporis physici organici,constituendo ipsum in hac ratione;ergo in se non habet anima organa,alioquin non egeret corpore. Oppositum tuentur plures recentiores,& probant, quia anima,quatenus radix operandi,constituit corpus organicum formaliter;ergo ipsa est organica,& ethereogenea. Tũ quia operationes quas habet in capite,non habet in pede;ergo pars animæ, quæ est in capite, diuersæ rationis est ab illa, quæ est in pede. Tum quia,diuersas dispositiones petit in capite,& in pede;ergo pars animæ, quæ est in capite diuersæ rationis est ab illa,quæ est in pede.

18 Resp.instari totum argumentũ,in anima rationali,quæ nõ solum homogenea est, sed etiam indiuisibilis, & tamen constituit corpus organicum, & habet distinctas operationes in diuersis organis,& distinctas,etiam operationes;& dispositiones: vnde vt omnia illa præstet,& requirat anima diuisibilis,sufficit esse ethereogeneam vt quo,& diuersa organa constituere, & mediante speciali organo,specialem operationem exercere, partibus materiæ diuersimodè dispositis, §. Sed instant. Secundum Arist.hic & D. Thom.in 4.eadem est cõparatio totius corporis ad totam animam,& partium corporis ad partes animæ,sed nisi anima totaliter considerata sit distincta specie totali, nequit vnum corpus specie ab alio differre;ergo nec partes organicæ eiusdem corporis, poterunt specie partiali,& incõpleta distingui,nisi partes animæ sint specie incompleta,& partiali distinctæ, & sint ethereogeneæ, §. Resp.hoc argumentum etiam instari, in animabus indiuisibilibus, quæ faciunt partes materiæ ethereogeneas,& specie materiali diuersas,& tamẽ formæ non sunt ethereogeneæ vt quod, sed tantũ vt quo:ergo idẽ cõtingere potest in animabus diuisibilibus,& licet sic comparentur partes ad animam,sicut totum,non tamen eodem modo:nam vt sint partes tales, sufficit quod anima sit talis

vt quo, at vt totum specie differat ab alio debet anima formaliter differre: illa autem diuersitas specifica partium materialis est, & nō formalis, sicut diuersitas specifica, quæ inter tota reperitur, ideôque nō exigit formā habere formaliter diuersitatem specificam, & formaliter ethereogeneam: alioquin illæ partes essent plura entia in actu specifico, & fieret vnum ens per accidens: quia omnis diuersitas formalis, quæ incipit à forma formaliter distincta, formalis distinctio est, & specifica completè. Vide D. Thom. p. p. q. 119. art. 1. ad 3.

## QVÆSTIO XV.

*An anima singulas partes corporis animati informet, quæ sunt de integritate substantiali, & sub qua ratione informentur ab anima?*

1 TRia sunt genera partiū, in corpore animalium, quibus ipsum integratur: quædam sunt solidæ in quibus primo, & per se consistit, vt sunt ossa, caro, & nerui: Aliæ sunt fluidæ vt humores, sine quibus non conseruatur vt sunt sanguis, phlegma, celera, pituita. Aliæ ad complementum, vt vngues, dentes, & capilli; lac autem, & semen, ad partes secundi generis reducuntur, sed non sunt de integritate animalis, quantū ad rationem individualem; sed solum datæ ad propagandam speciem.

2 Dicendum est 1. Anima informat omnes partes solidas animalis. Sic Arist. hic & D. Th. ibidem, & alibi. Prob. Habent huiusmodi partes operationem vitalē: ossa crescunt, & nutriuntur; caro, & nerui etiam sentiunt: ergo viuunt; ergo informantur anima, nihil enim viuit nisi per illam, quia est quo viuimus, sentimus, &c.

3 Dicendum est 2. Quatuor humores, etiam informantur anima vegetatiua. Idem dicendum est de medulla, & alijs partibus fluidis, requisitis ad vitā, & quia de sanguine est præcipua difficultas, de illo dicemus. Nec loquimur de sanguine nutrimētali, crudo, & non decocto vltima digestione, quique animali nutrimentum præstat: in hoc enim cum deseruiat vitæ animali, non resurgemus: sed loquimur de sanguine naturali, qui est de integritate animalis, & sic deseruit ad vitam spiritualem: ideôque non cum illo sanguine, sed cū isto resurgemus, quia licet *seminetur corpus animale, resurget tamen corpus spirituale*, ex 1. ad Corinth. 15.

4 Sic intellecta conclusio est communis in præsenti inter Thomistas, & probatur ex Leuitico cap. 17. *Anima omnis carnis in sanguine est*, quæ verba verificari non possunt, nisi saltem in vero, & naturali sanguine, sit anima informans, etsi saltem, vt vegetatiua non informat illum. Vbi

etiam D. August. q. 57. in Leuitic, sic loquitur. *Aliquid vitale est in sanguine; quia per ipsum, maximè in hac carne viuitur, ipsam vitam corporis, vocauit animam.* Idem tenet Arist. lib. 3. de hist. animal. cap. 2. & vbi ait: *Quod quādiu viuit animal, sanguis eius animatur.* Vide ipsum lib. 1. cap. 1. & lib. 1. de part. animal. c. 3.

5 Prob. concl. ratione. Sanguis est vera pars animalis, attinens ad veritatem naturæ, sed non est pars essentialis; ergo est vera pars integralis, non minus informata anima, quā digitus (sine quo potest viuere animal, non tamen sine sanguine.) Maior in qua est difficultas probatur multipliciter. Tum quia conceditur ab ipso Suar. (cum quo pugnamus) 3. p. tom. 1. disp. 15. sect. 3. Tum quia Trident. sess. 13. cap. 3. docet sanguinem, etiam esse sub speciebus panis consecrati, *ex vi connexionis, qua partes corporis inter se copulantur*; ergo supponit sanguinem esse partem corporis humani. Et Caius Papa in epist. decretali ad Felicem. *Si Christus veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sanguine redempti sumus?* Ergo sanguis vera pars est humanæ naturæ. Similiter Innocentius Tertius in cap. cum Marthæ de celebratione Missarum, eò docuit de latere Christi pendentis, sanguinem, & aquam fluxisse, vt esset signum habere quatuor humores, *qui sunt de integritate humani corporis*, quod Christus assumpsit. Et etiam Arist. lib. 1. de hist. animal. cap. 1. vbi ait: *partes solidas, & siccas, & partes molles, & humidas, esse partes similares animalium*: particulas ergo ossa, & sanguinem, de quibus ibi est sermo in ratione partiū animalis, sed ossa sunt verè partes; ergo, & sanguis.

Prob. ratione. Tum quia sine sanguine, nō minus manet animal mutilum, quam sine digito, ergo est vera pars, tum quia sine sanguine, nec ad momentū potest viuere; ergo non est pars extrinseca, sicut aër, qui respiratur, aut nutrimentum, sine quibus vita esse potest aliquo tempore: ergo est vera pars integrans. Tum etiam. Humidum radicale, in quo fundatur virtus speciei, ablq; dubio pertinet ad veritatē humanæ naturæ, sed hoc cōstat sanguine, qui est humor humidus; ergo sanguis, cum alijs humoribus, ex quibus constat temperamentum substantiale, est de veritate humanæ naturæ, & vera pars integralis; & sic præcluditur responsio aduersariorum asserentium, quod non omnis pars animalis informatur anima, sed ea tantum, quæ est de prima eius constitutiua: constat namque humidum radicale, primario pertinere ad constitutionem animalis. Similiter inanis est responsio, quem adhibent ad testimonium Arist. asserentes, ideò dicere, *quod quādiu viuit animal, sanguis informatur anima*, non

quia

quia in se informetur illa, sed quia continuo conuertitur in carnem, & ossa quorum est nutrimentum. Nos enim non loquimur de sanguine nutrimentali, sed de eo, qui est de veritate humanæ naturæ, quique est de constitutione humidi radicalis; & ideò de hoc sanguine dicit Arist. *quod palpitat intra venas sanguis, pulsatque, mouetur, quod animatur, & fermet, nutritur, & augetur*: ergo viuit vita vegetatiua, si mouetur, & augetur, dum est intra venas sparsus per totum corpus; ergo antequam conuertatur, in carnem, aut ossa, viuit, ergo animatur.

6 Prob. 2. ratione quam indicat Sanctus Cirillus, epist. 8. ad Nestorium, & epist. 29. & homil. 5. cuius in hoc doctrina approbatur in Concil. Calcedonensi, & in Concilio Ephesino, estque D. Thom. 3. p. q. 54. art. 3. & quodl. 5. art. 5. Verbum diuinum immediatè assumpsit sanguinem, & hac ratione reassumpsit in resurrectione, quia quod semel assumpsit numquam dimisit, quod & videtur significasse Paulus ad Hebr. 2. *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem*, & videri possunt commentat. ad 3. p. D. Thom. q. 5. art. 2. Constat etiam ex Extrauag. Clement. VI. *quãlibet guttã sanguinis Christi fuisse valoris infiniti, & ea nos redemisse*; ergo quia Verbum erat illi vnitũ, sed Verbum diuinum solũ assumpsit immediatè partes humanæ naturæ; ergo sanguis est vera pars humanæ naturæ. Prob. min. quia Christus nõ duas naturas specie diuersas, sed vnam tantũ naturã assumpsit, si ergo assumpsit sanguinem immediatè, ipse sanguis erat pars humanæ naturæ, informabaturque forma cõstitutiua humanæ naturæ, & non alia, diuersæ speciei forma. Si dicas, quod etsi sanguis alia forma informetur, nõ obstat quin illi fuerit immediatè vnitum Verbum, neque infert assumptas fuisse duas naturas, quia sanguis est in via proxima ad habendam speciem naturæ humanæ, & ideò ad eam reducitur; nam in triduo mortis, Christi Verbum fuit vnitum cadaueri, quod habebat formam diuersæ speciei, à natura humana Christi, & non informabatur anima, & tamen quia ea forma fuit vialis ad resurrectionem non dicitur, aut illi cadaueri non esse vnitum Verbũ, aut Verbum duas naturas assumpsisse; & idem est de sanguine effuso in cruce, cui etiam post resurrectionem fuit vnitum Verbum secundum Thomistas, & tamen tunc non informabatur forma humana, imò nec forma veri sanguinis. 7. Nam contra est, quod etsi hæc responsio posset aduersarios liberare à censura, relinquẽdo eorum sententiam intra limites sententiæ probabilis, tamen cũ magna difficultate quietatur intellectus in ista responsione (quæ re vera est solidior inter omnes,

quæ reddi possunt) nam in cadauere Christi vera mansit materia prima, quæ fuit de integritate humanitatis Christi, cuique fuit vnitum. Verbum, tanquam parti essentiali physicè; & ideò non mirum, si etiam aduenientе forma cadaueris, manserit vnio ad illud compositum, quia quod semel assumpsit, nunquam dimisit, & materia subsistere non potest, nisi mediante forma, & composito, & ideò quasi per accidēs, etiā forma cadaueris tunc fuit terminata, ne dimitteretur materia, quæ erat statim vniенda animæ illicò resurrecturæ; & idem dico de sanguine effuso in sententia Thomistica, & ideò illæ formæ, quæ erāt viales in materia, quæ fuit de integritate humanitatis Christi terminatæ sūt, & assumptæ fuerūt à Verbo: At si sanguis corporis Christi non informbaatur anima, sed solum erat in via; tunc neque ex parte materiæ, neque formæ erat aliquid humanitatis, nec magis ad eam attinebat, quā saliua, aut alimentum; ergo non erat ratio ad credendum, quod ex quo verbum assumpsit humanitatem, etiam assumpserit sanguinem, & quod fuerit instrumentum redēptionis.

7 Denique prob. Sanguis intra venas vivit, at nō est in animali, & homine duplex anima, & vita: ergo vivit à forma animalis: antec. prob. ex Arist. lib. 1. de hist. animal. ca. 19. nutritur enim sanguis, & augetur, imò, & mouetur in diuersas partes, modo enim ascendit ad cor in ira, modo ascendit ad cerebrum, modo in lætitia dilatatur per totum corpus; mouetur ergo non solum ad vnam partem, sed versus omnes, qua ratione probat Arist. hoc 2. lib. de Anima, text. 14. plantas viuere, quia versus omnē partem mouentur in augmēto, ℣. Si dicas moueri ab imaginatione; inde sumit vires argumentum, quia non subiacent imaginationis motioni, nisi quæ sunt partes animalis, imò, & non omnes, ℣. Si dicas, quod si sanguis mouetur localiter erit sentiēs, quod nego: ergo sicut ille motus non suadet informari anima sensitiua, nec suadet informari anima vegetatiua. Contra est, quod motus ille, licet non arguat vitam sensitiuam, sanguinis in se ipso, arguit eam in supposito in quo est, quia si non esset pars suppositi habentis imaginationem, non moueretur naturaliter ad eius imaginationē; ergo dato quod ille motus non suadet sanguinē informari anima vt sensitiua: suadet tamen nō posse, non informari saltem anima vegetatiua: quia pars suppositis, debet informari anima suppositi, at sanguis est pars suppositi; & non informatur anima intellectiua, aut sensitiua, ergo per locum à diuisione debet informari anima vegetatiua.

8 Et hoc vltimum prob. vt maneat conclusio probata, quod ad omnem partem: quia Arist. locis

locis citat. num. 5. non aliam vitam assignat sanguini, quam eam quæ consistit in motu pulsus, & nutritionis, & augmenti; sed in his consistit vita vegetatiua, ergo secundum Arist. non habet sanguis aliam vitam; vita enim ex motu, & operatione colligitur, vt ait D. Tho. p. p. q. 18. art. 2. & ex vita anima, & gradus secundū quē informat. Præterea solum anima vegetatiua informari sanguinem docet D. Thom. in 4. dist. 4. q. 1. art. 2. q. 2. vbi (cum Aristot. lib. 2. de generat. animal. cap. 10) eandem vitam, & gradum animæ assignat sanguini, & ossibus, sed ossa tantum habent vitam vegetatiuā; ergo, & sanguis. Prob. quia sanguis non habet instrumentum tactus; ergo nō viuit vita sensitiua, consequentia est euidens ex Arist. in hoc libro? nam tactus fundamentum est vitæ sensitiuæ, antec. vero prob. tum quia tactus sensus consurgit ex temperamēto humorum, quod non habet sanguis, cum sit vnum ex quatuor humoribus; ergo non habet organum tactus, sed sensus non datur sine organo tactus; ergo.

9 Dicendum est 3. dentes, vnguens, & capilli informantur anima, vt vegetatiua est. Sic Arist. D. Thom. & cum eo plures SS. PP. Prob. concl. ratione sic. Quæ ab intrinseco augentur, habent vitam vegetatiuam, secundum Aristot. lib. 1. de generat. cap. 5. & lib. 2. de Anima tex. 14. & 49. Sed dentes, vngues, & capilli, ab intrinseco augentur ex eodem Arist. in ô dentes habere poros, & musculos, & neruos subtiles, quæ sunt instrumenta augmenti, & nutritionis docet lib. 1. de vsu partium, & de capillis idem obseruatum esse refert Valles lib. 2. cōtrouer. medicar. cap. 2. quod vnguibus negari non potest, nam saltem in suo principio, & radice qua digitis continuantur id deprehenditur: ergo dētes, vngues, & capilli viuunt, & informantur anima vegetatiua.

10 Dicendum tandem. Semen, & lac etiam informantur anima vegetatiua. Sic D. Thom. in 2. dist. 30. q. 2. art. 2. ad 3. vbi docet, quod sanguis est de substantia animalis; *& multo magis semen, quod est ad vlteriorē digestionem, productū*, quæ ratio etiam probat de lacte, nam est sanguis magis decoctus. Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 2. in principio, lac annumerat carni, sanguini, & alijs partibus similaribus. Prob. Tum quia mediante decisione seminis, filius dicitur esse de substantia Patris, sed si semen in principio priusquam decidat, non informaretur forma viuentis, non verificaretur filium esse de substantia patris; ergo. Sed certum est, non sentire; ergo solum informatur vegetatiua anima. Quod vero augeatur ab intrinseco patet in simile arborum, quorum fructus solent esse semina, & crescunt ab intrinseco; idem dic de lacte: & suadet ratio facta, quia est sanguis

guis ad perfectiorem concoctionem deductus.

11 Contra 1. concl. solum militant prisci philosophi, asserentes animam solum informare caput, cætera vero membra mouere, sicut nauta nauim (quos refert Tertulianus lib. de Anima) & alij qui autumarunt animã solum residere in corde, ac per cõsequẽs, non informare carnes, ossa, & neruos; & probari potest ratione: Quia anima est actus corporis organici, sed non omnes partes ossium, & carnis, & neruorum sunt organicæ; ergo non omnes informantur anima; prob. min. quia Arist. loco citato num. 5. Docet carnes, & ossa habere partes similares, & eiusdem rationis, & hoc argumento etiam probatur sanguinem, & humores, lac, & semen capillos, & vngues non viuere, §. Resp. tamen negã domin. habent enim ossa, suas fibras, & musculos, sicut deprehenditur in dentibus, quos esse de natura ossium certum est, idemque in reliquis humoribus, in quibus partes crassiores, & diuersæ rationis deprehenduntur, & si minus sint perceptibiles, & hæc responsio est tenenda, reijcienda vero alia aliorum, quæ docet quod vt ossa, caro, & nerui, & reliqui humores viuant, non requiritur quod habeant partes ethereogeneas, sed quod viuens habeat alias partes dissimiles ipsis, quia non requiritur quod quælibet pars, quam informat anima, sit organica, sed sufficit quod corpus constãs partibus, videlicet, carne, & osse, sit organicum, quamuis neque ossa, neque caro sint organica. §. Sed displicet responsio, quia sic solum corpus viueret verè; at non solum dicimus corpus viuere, sed ossa, & carnem; ergo os in seipso, & similiter caro: debent se mouere; ergo habere partem per se mouentem, & per se motam, at simile non agit in simile, neque mouet illud; ergo solum mouet pars dissimilis dissimilem partem; ergo vt ossa viuant, partibus ethereogeneis debent constare. Sed quid ad Arist. dicemus? Qui dixit ossa, & carnem partibus similaribus constare, non absolutè, sed comparatiuè ad alia membra, in quibus organica compositio, ad sensum magis patet.

12 Contra 2. concl. Arg. 2. ex Arist. lib. de part. animal. cap. 3. vbi ait: *Non enim sanguis continetur in carne, neque cognatus est, sed in corde, & venis, quasi in vase continetur.* Ad hoc esset sanguis pars integralis animalis, cõtinuaretur carni, & alijs partibus corporis, non enim anima informare potest partes discontinuas; ergo sanguis non est pars integralis, neque informatur anima. Confir. 1. ex D. Thom. 3. p. q. 3. art. 5. ad 1. & quæst. 5. art. 1. ad 4. & in 4. dist. 11. in expositione literæ, vbi docet, *quod sanguis non est actu pars viuentis, sed potentia*; sed tantum quod est actu pars informatur anima; ergo

Conf.

Conf. 2 secundum Arist. lib. 2. de partibus animal. cap. 3. sanguis est vltimum alimentum, viuentis proximum, sed alimentum non est de substantia alti, secundum Arist. lib. 1. de generat. text. 2. & 38. & lib. 2. de Anima text. 45. quia quod conuertitur in substantiam alti, nequit esse de ipsa substãtia, & quod non est de substantia non informatur anima viuentis; ergo. Resp. Scotistas oppositum defendentes fateri hoc argumentũ non vrgere in eorum sententia, nam ipsi admittunt partes organicas cõstitui diuersa forma corporeitatis, ac proinde non continuari, & tamen informari eadem anima nutritiua, & sensitiua, & Vazquez nobis, etiam aduersarius contẽnit hoc argumentum, quia existimat non requiri omnes partes animabiles continuari eadem superficie: sed quia in sententia Thomistica, hoc admitti non debet: Dicendum Arist. vel loqui de sanguine nutrimentali, vel de non continuatione sanguinis veri in venis, at non negat in principio, ideſt, in hæpate non continuari, vnde sicut digiti, etiamsi inter se disiungantur, quia tamen in palma continuantur, informantur eadẽ anima, sic etiam de carne, & sanguine dicendum est, licet etiam dici possit continuari cum venis, medijs fibris, sicut medulla cum osse, mediantibus partibus extremis. §. Ad 1. conf. resp. quod sanguis dicitur non actu, sed potentia pars animalis, secundum gradum vitæ sensitiuæ, qua animal constituitur, non tamen ita vt non sit actu pars informabilis anima, secundum gradum vitæ vegetatiuæ. Ad 2. resp. negari non posse, quod Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 3. & 4. serio affirmet, & repetat pluries finem ob quẽ datur sanguis, esse mẽbra animalis, & sic sanguinem esse vltimum alimentum ex quo conficitur caro, & alia mẽbra animalis, sed hinc non colligitur, non esse partem informatam anima vegetatiua: sic enim, & non aliter est vltimum alimentum respectu aliorum mẽbrorum, quæ non nutriuntur, nisi accedente, materia iam vinificata sub gradu vitæ inferioris: Vnde sicut in sententia D. Th. dispositio, ad hoc quod materia informetur animam secundum gradũ vitæ superioris est habere gradum inferioris, in ordine generationis; Sic etiã dispositio, & pars de nouo aduenies, ad generationẽ nutritiuã, secundum gradũ vitæ sensitiuæ, est habere vitam vegetatiuam; & sic sanguis est vltimũ alimentũ mẽbrorũ, quæ deseruiunt, vitæ sensitiuæ, & tunc non requiritur, quod fiat corruptio in alimento, sed sufficit noua dispositio, vt informetur eadẽ forma secundũ perfectiorem gradum, ferẽ ad modũ quo fit intẽsio formarũ, mili quod ibi non sunt veri gradus, sed maior radicatio eiusdẽ. Sed quia Arist. lib. 1. de generatione, tex. 39. aperte docet, quod non fiat augmentum nutritiuum, absque

absque corruptione alimẽti, quod conuertitur in carnem, eo ipso, ac ex sanguine fit caro, sanguinem corrumpi necesse est, ac perinde etiam necessarium, sanguinem nõ habere eandem numero animam, quam habet caro, quia non fiat animam eandem numero, simul corrumpi, & generari in eadem materia, ideò melius respondetur persistendo in eo quod solum sanguis nutrimentalis habet rationem alimenti respectu viuentis, eo quod talis sanguis non informatur anima, sed solum sanguis naturalis, attinens ad primum tẽperamentum, in quo consistit animal.

13 Quod si instes; Aristot. de somno, & vigilia, cap. 3. & alibi apertè docere finem adæquatum ob quem sanguis datur animalibus, & similiter in exanguibus, aliquis humor locum sanguinis obtinens esse, vt sit alimentũ proportionatum, vt partes solidiores nutriantur; ergo non datur sanguis, qui non sit nutrimentalis; ergo nec sanguis naturalis condistinctus à nutrimentali: ergo illi quatuor humores in quibus consistit primum temperamẽtum, ratione quorum consistit animal, ex vi generationis, etiam dantur à generante, vt prestò habeat animal alimentum; ergo si alimentũ informari non potest anima viuẽtis, nutriti sequitur non dari sanguinem, qui non sit nutrimentalis, vel qui informari possit anima viuentis. ℣. Resp. tamen quod quia sanguis ex maiori parte est nutrimentalis, ideò dixit Philosophus, finem sanguinis esse, quod sit alimentum animalis; at negari non potest sanguis naturalis, vel in exanguibus, aliquid quod loco sanguinis sit de eius constitentia, quia omne animal præter partes solidas petit temperamẽtum humidi radicalis, vt possit habere organa apta complexionis, ad obeundas functiones animæ sensitiuæ, & ad hoc quod conseruetur in vita; nam bona complexio, & tẽperamentum, est principium vitæ diuturnæ, & de hoc sanguine dicimus esse partem animalis, & actuari eius anima; & hoc sanguine constat corpus Christi glorioſum; etsi in statu incorruptionis, cessat finis nutritionis, nec sit indigentia alimenti: manet ergo sanguis, quia est pars actualis ad veritatem naturæ attinens: nec valet instantia, quod etiam manet in Christo potentia generatiua, etiamsi in eo statu cesset finis generationis; non enim est eadem ratio, quia talis potentia ex se est instrumentum vitæ, & ideò pertinet ad integritatem viuẽtis, etiãsi non sit reducenda ad actum; at alimentum non est instrumentum vitæ, ideôque si sanguis haberet pro fine adæquato nutrire, sed materia nutritionis, sicut ibi non percipiuntur cibi, non deberet esse sanguis; quod si manet ideò est, quia datur sanguis naturalis attinens ad integritatem substantialem.

14 Arg. 2. contra eandem concluſ. Si ſanguis eſſet actualis pars animalis, eſſet pars corporis: non enim eſt ſpiritus, ergo ex vi verborum conſecrationis panis, cum dicitur; hoc eſt corpus, maneret ſub ſpeciebus panis ſanguis Chriſti; at hoc eſt contra Concil. Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi docet, *quod tantum manet ibi ex vi verborum corpus, ſanguis autem per concomitantiam*; ergo. §. Reſp. quod cum Sacramentum Euchariſtiæ ſit inſtitutum per modum conuiuij, cibi & potus, corpus ibi ſolum ſignificat partes ſolidas, & ſanguis partes fluidas; quia ſolum corpus ſolidum eſt commeſtibile, & corpus fluidum potabile, & in hac acceptione, quæ communis eſt, & vſitata accepit ibi Chriſtus Dominus nomẽ corporis: & ideô ex vi verborum ſolum ponuntur ibi partes ſolidæ, ſanguis vero ex vi connexionis: licet alij dicant ibi ſumi corpus, vt abſtrahit à viuo, & mortuo: & ideô non poni ex vi verborum ſanguinem: quia hic non eſt de ratione corporis, prout abſtrahit. Et inſtatur ab aliquibus; nam aduerſarij tenentur reſpondere: etſi enim ſanguis non animetur, haber rationem corporis, cur ergo ex vi verborum, non ponitur ſub ſpeciebus panis? ſed hæc inſtantia eſt ridicula: Si enim ſanguis non informatur anima Chriſti demonſtratiuè ſumptum, non erit hoc corpus Chriſti, ſed aliud numero diuerſum, ſcilicet, ſanguis habitus à Chriſto in alimentum ſui corporis: videant recentiores extra ſcholam D. Tho. quid inferunt, & quam abſurdè inſtant argumenta.

15 Arg. 3. ad idem. Exciſa vena fluit ſanguis, vſque ad terrã continuatus cum eo, qui eſt intra venam, at qui eſt extra venam, nõ informatur anima, quia hæc non exit à corpore (maximê rationalis:) ergo cum pars viua cum non viua, continuari nequeat: fit conſequens, quod ſanguis intra venã non habeat vitam, aut animam. §. Reſp. negando continuari ſanguinem extra, & intra venam: nã ex vi ſciſſionis venæ, etiam ſcinditur continuatio ſanguinis, quã uis tanta, tamque imperceptibilis fit contiguitas, vt ſenſu oculorum percipi nequeat; ſicut cum ramus aridus conſiſtit in arbore, apparet oculis continuatus cum parte viua, & viridi, licet verê ſola ſit contiguatio: neque hæc reſponſio eſt friuola, vt quidam doctus Scotiſta opponit, cum frequentiſsimè accidat, quod contigua, continuata nobis appareant.

16 Arg. 4. contra 3. concluſ. Dentes non habent terminũ augmenti: ergo nec viuunt, nec informantur anima, conſeq. eſt bona, quia omnia viuentia habent terminum intrinſecum magnitudinis: antec. vero prob. quia ſemper creſcunt, etiam in ſenibus, quando ceſſat augmentum viuentis. Tum etiam. Continua attritione ciborum, neceſſariô perdunt aliquas partes, & tamen non minuũtur:

tur: ergo cōtinuè crescunt. §. Resp. Quod cum dentes augeantur ab intrinseco, & non ab extrinseco, viuunt: quidquid sit, an habeant terminum: at habere terminum certum est, quia non crescit magnitudo vltra debitā proportionem, & certam magnitudinem, quod si cessante augmento partium, adhuc crescunt in senibus, parum obest, quia non cessat augmentum in virilitate, quoad omnes partes, sed solum quoad longitudinem, seu staturam corporis sursum; nam quamdiu viuit animal, augetur sanguis ex Arist. lib. 3. de histor. animal. cap. 19. & tamen viuit, vt probatum est.

17 Arg. 5. ad idem. Vngues, & capilli sunt excrementa corporis, ergo non informantur anima; hæc enim non expellit, quod informat, sicut enim hac ratione dicitur, quod sanguis, qui ab aliquibus ex naturali causa exudari potest, de quo Arist. lib. 3. de histor. animal. cap. 19. non est sanguis naturalis, sed excrementitius, aut nutrimētalis, ita similiter de vnguibus, & capillis videtur dicendum. §. Confir. Augmentum vnguium, & capillorum non est vitalis, & ab intrinseco, ergo vngues, & capilli non viuunt: prob. antec. nam pariformiter crescunt in mortuis, imò plusquam in viuis, vt experientia constat, cuius meminit Arist. lib. 3. de hist. animal. cap. 11. & in senibus, & ęgris, etiam plus crescūt, in quibus virtus augmentatiua est debilior. Tum quia, si augerentur vitaliter augmentum esset vniforme in singulis partibus, sed hoc est falsum; nam si signes duo puncta in vngue crescente, semper æquè distabūt. §. Conf. 2. Capilli non habēt terminum augmenti, ergo non augē tur vitaliter, & ab intrinseco: anteced. prob. quia semper rescisi crescunt, etsi in infinitum, hoc fieret idem contingeret. §. Denique. Christus non reassumpsit partes vnguium, & capillorum rescissorum, ergo non sunt verē partes humani corporis; omne enim quod fuit de veritate naturæ reassumpsit, & dato quod Christus non haberet superfluitates, nec rescinderit vngues, nec capillos; instatur argumētum in vltima resurrectione non enim omnes partes vnguium, & capillorum rescissorum resumētur; alioquin deformes resurgerent homines, & vngues aduncos haberent longiores ipsis corporibus, quod cordati admittere non poterunt.

18 Resp. cum D. Thom. in 4. distinct. 44. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. quod hæc excrementa, quæ sunt purē talia, non pertinent ad constitutionem naturæ, neque primariam, neque secundariam, quia potius impediunt operationes, & corruptionem inferunt, vt sunt salina, & sedimētum, potus, & cibi, quæ tamen iuuant naturam, ornant, fouent, & deseruiunt ad aliquam operationem; quamuis dicantur excrementa, quatenus deficiūt à perfectiori gradu animæ;

næ: sunt de secundarijs partibus, & informantur ab ipsa anima secundum gradum vitæ vegetatiuæ. Ad 1 cõf. Resp. Quod sicut oculus, & manus viui, & mortui æquiuocè dicuntur, sic acceretio capillorum viui, & mortui: In viuis est ab intrinseco, in mortuis per iuxta positionem humiditatis, & partium corruptarum: in senibus, & ægris abundat excrementum, & cessante virtute ad alia opera vitæ perfectioris, in his laborat, nego: etiam quod crescente vngue semper maneant illa puncta in eadem distantia: crescere autem oculis vidimus, paruus namque magnus fit, latiorq; & lõgior, & grossior. §. Ad 2. nego antec. Ad probationem do instantiam in fœminis, quæ etsi nunquam tondeant caput, nunquam tamẽ ad votum earum crescit capillatura; ergo terminus augmenti, est formalis, vsque ad talem distãtiam, non materialis: ideôque resciso capillo iterum, atque iterum natura conatur suum terminum, obtinere, ideòque citius crescũt: sicut detonsis foliis cupressi, & aliquarum herbarum facilius, & fœlicius folia prouenium, etiamsi sint partes viuentis plantæ, aut herbæ, vt affirmat Aristot. hoc 2. lib. tex. 7. Ad vltimum, quod partes resciſſæ capillorum, & vngeium non resurgunt, nisi in proportionata quantitate, quia vngues non sunt de integritate naturæ, nisi vt partes secundariæ; at nonnullas operationes iuuantes, quod non nisi in certa proportione præstare possunt, & ideô non resurgũt quoad omnes partes resciſſas: sicut neque omnes partes corporis resurgunt, quæ vi caloris natiui fluxere, simul cum alijs, quæ per alimentum restaurãtur, alioquin in mira obesitate resurgerent corpora.

19 Arg. 6. contra 4. conclus. Lac, & semen sunt excrementa, quibus qui caret, non dicitur mãchus; ergo non sunt partes viuẽtis informatæ anima. Conf. ex Arist. libr. 2. de generat. animal. cap. 3. ad finem, vbi ait de semine. *Nam illud quoque excrementum est, habetque omnes partes in potentia, actu nullam.* Addit quoque D. Thom. pluribus locis adductis à Bergomensi in tabul. aur. v. *semẽ*, num. 2. & 14. *quod semen non est actu pars generationis, sed in potentia totum*, & q. 3. de potent. art. 9. ad 9. *Semen à principio suæ decisionis non esse animam, sed potentiam eius*, & p. p. q. 119. artic. 2. homines cum semine resurrecturos non esse, neque fœminas cum lacte: ergo semen, & lac non sunt partes integrantes animal. §. Resp. cum Arist. lib. 2. de Anima, text. 43. quod cum generare sibi simile sit opus naturalissimum viuentiũ, & animæ vegetatiuæ proprium, in quo vltimam perfectionem explicat; si non informaret partes, & organum subsãtiale ad hoc præstare, mutilum, & manchum effet animal, vnde animalia, quæ his instrumentis carent,

orbata appellat ibidem Arist. licet hoc non debeat competere in quilibet ætate, & statu, sed hoc est debitum postquam, iam est integrum in se individuum, & ideò tunc non est semen in viro prolificum, & suppositaconceptione lac in fœmina, vnde si tunc non sit potentia, & organum ad semen, & lac elaborandum; manca, frigida, & orbata dicitur natura, & hac ratione spadones mutili sunt. Ad conf. resp. quod semen, & lac non sunt excrementa verè, & propriè, sed quia ex superfluo alimenti purissima decoctione fabricantur, tanquam residuum ad multiplicationem naturæ excrementa naturæ vocantur, non in malum sensum, sicut ea quæ ad corruptionẽ vergũt, sed in bonum, quia ex redundantia virtutis perfectissimæ, quæ iam integro manente individuo, ad conseruationem speciei respicit, & ideò anima informantur, vt possit eadem natura, & omnino similis, communicari genito, vnde si vngues, & capilli, etsi sint excrementa in secundo sensu animantur: à fortiori animabuntur semen, & lac: at vult D. Tho. pluribus in locis. Quod vero, dicitur semen non actu, sed potentia pars, & quod neque actu viuit, nõ sic est intelligendum, quasi non sit actu pars viuentis, & vegetatiuũ, sed quia licet perfectissimè viuat hac vita, tamen est potentia pars animæ, secundum gradum specificum, quem communicat animal genito ex vi generationis: non resurgunt autem viri cum semine, nec fœminæ cum lacte, quia vt docet D. Thom. cum ille status non sit immutationis, neque generationis, *quia ibi neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, solum resumẽtur partes, quæ ad integritatem individui sunt necessariæ, non vero quæ ad propagandam speciem requiruntur, & sunt de integritate quasi redundanti.

## QVÆSTIO XVI.

*An animæ diuersæ speciei possint esse eiusdem perfectionis essentialis?*

1 NE laboremus in æquiuoco, sicut multi in hoc stadio laborarunt, sciendum prius cum D. Thom. in 1. distinct. 19. q. 1. art. 1. ad 4. quod æqualitas *est habentium proportionẽ in vna quantitate*, nõ vtcumque, sed cum negatione excessus, aut defectus, ita vt vnitas sit in quantitate, vt duorum, vel plurium proportionem fundat, & sic distinctionẽ inter extrema æqualia importat: ex quibus deducitur, quod ad æqualitatem, nec vnitas, nec proportio sufficit, si non sit vnitas proportionis in quantitate molis, aut virtutis; nam si fuerit vnitas in substantia identitas est; si in qualitatibus fuerit proportio, erit similitudo, si proportio substantiarum, analogia, at si hæc vnitas quantitatis habentiũ pro-

por-

portionem fuerit, erit æqualitas, vt ibidem, & alibi docet D. Th. Hinc fit, quod omne æquale similitudinem dicit, sed non omne simile dicit æqualitatem; nã quantitates possunt esse similes ex proportione qualitatum, & homo similis Deo dicitur, sed non æqualis, vt etiam aduertit D. Thom. p.p.q.42. art.1. sed quia quantitas alia molis est, alia virtutis, & in his quæ non mole, sed virtute magna sunt, idem est esse maius, quod melius, & perfectius, vt ait D. Augustinus relatus à D. Tho. loco relato ex p.p. fit consequẽs, quod cum anima non sit quanta quantitate molis, sed quantitate virtutis; inquirere, an animæ diuersæ speciei possint esse æquales, est inquirere, an possint esse eiusdem perfectionis essentialis, & sic titulus huius quæstionis perspicuus manet.

2 Dicendum est igitur. Et si animæ diuersæ speciei possint esse similes, implicat tamen esse æquales. Sic communiter hoc dictum, intellectum, est admissum à Philosophis, donec recentiores extra scholam D. Thom. etiam hoc in dubium reuocarunt, vt nullum principium in sua possessione relinquatur: vide Soncinat. lib. 12. Metaph. q.4. & lib. 8. q.16. Sed nostram conclusionem tenet Aristot. hoc lib. 2. de Anima, tex. 30. vbi docet *animam esse sicuti figuram trigonam, & tetragonam*, quas esse æquales omnino implicat, & 8. Metaph. text. 30. vbi ait



species rerum esse, sicut numeros, quos æquari in quantitate discreta repugnat, & libr. 10. Metaph. text. 5. vbi docet differentias diuidentes genus se habere, vt priuatio, & habitus, quæ nulla potẽtia, aut imaginatione adæquari poterunt: quod etiam docet D. Tho. p.p.q.76. art.3. & plurimis alijs locis. Prob. concl. Implicat quãtitates molis diuersæ magnitudinis æquales esse; ergo implicat animas diuersæ speciei esse æquales, conseq. prob. magnitudo virtutis in animabus, & quantitas earum in ratione, & perfectione earum consistit, ergo quæ sunt diuersæ speciei; etiam sunt diuersæ magnitudinis, ergo implicat esse æquales, nisi sint eiusdem speciei. ℣. Cõfir. Diuersa extensio quantitatis molis omnino tollit æqualitatẽ, sed diuersitas specifica animarũ, diuersam dicit extentionem virtutis, quia sunt diuersa prædicata, & diuersa virtus operatiua; ergo omnino tollit æqualitatem. Cõf. 2. Quod plus, vel minus habet virtutis adæquari, nõ potest cum eo respectu, cuius dicit excessum, vel defectum virtutis, vt ait D. Thom. quodl. 3. art. 2. & 7. Metaph. lect. 9. at hoc ipso quod vna anima sit specie diuersa ab altera habet aliquid plus, vel minus de virtute, quia modus diuersificandi species, solum consistit in eo quod aliquid addatur, vel detrahatur de essentialibus prædicatis in quibus tota quantitas virtutis consistit; ergo.

Si

3 Si ad hæc dicas; non requiri vnitatem specificam ad æqualitatem, quia calor, vt octo æqualis virtutis est ad introducendā formam ignis cum frigore, vt octo ad introducendam formam terræ. §. Contra est, ex hac responsione colligi quanta æquiuocatione laborent aduersarij, confundentes similitudinem cum æqualitate. Verum enim est has vltimas dispositiones esse similes, & etiā proportiones numerorum assimilari; sed similitudo est in ipsa æqualitate fundata, vt ait D. Thom. p.p. q.76. art.5. & idem dicit de vna corporis cœlestis, & sublunaris, quæ quidem in quantitate molis eiusdem speciei sunt, sed solum similes in quantitate virtutis, sic enim non sunt eiusdem perfectionis frigus vt octo, & calor vt octo, quia frigus minus actiuum est, quam calor, & proportio trium ad vnum, & nouem ad tria; quia etiam est dispar perfectio, sicut etiā contingit in quantitate corporis cœlestis, & sublunaris, in quantum virtus, & proprietas horum corporum est, cum ergo animæ comparandæ sint in quantitate perfectionis, & virtutis, si diuersæ speciei sunt, & diuersæ perfectionis; ergo repugnat esse æquales.

4 Respondent alij disparem esse rationem de quantitate molis, & virtutis, & dicunt, quod in quantitate molis, quæ non sunt æqualis magnitudinis, æqualia esse non posse, quia fit commensuratio per contactum, aut vna, aut modio, at in his quæ sunt quanta, quantitate virtutis, cum fiat commēsuratio per intellectum, etiam quæ sunt speciei diuersæ possunt esse æqualia, quia possunt per intellectum commensurari, & commensuratio indifferēs est ad æqualitatem, & inæqualitatem, sed quid aculei habeat hæc respōsio, vt scindat robur, aut fatiget nostræ conclusionis stabilitatem, nō percipio; quid enim conducētiæ, aut disparitatis continet commēsurari per intellectum, vel per cōtactum, si semel non probatur, quod animæ speciei diuersæ possint esse eiusdem quantitatis virtutis: si enim sunt diuersæ quantitatis, & magnitudinis virtuosæ, non poterunt adæquari, siue ab intellectu commensurante, siue à contactu; non enim hinc pendet æqualitas, sed ex commensurabilitate, & hæc ex quantitate admiscente plus, vel minus, in vno extremo, quam in altero illa vero argutia, commensuratio indifferens est ad æqualitatem, & inæqualitatem; ergo quæ commensurari possunt, adæquari. Argutia quidem est, sed in obscuro, & lubrico æquiuocationis persistēs, si enim commensuratio significet comparationem, & examen intellectus, sic cōmensurari possunt duæ animæ diuersæ speciei, sed quia vna eximi nō potest, quin inueniatur minus habens, & alia plus, numquam ex hac commēsuratione, venari potest æqualitas,

si

si vero ly commensuratio sonet adæquationem, negatur suppositum; miror autem virum ignarum latinitatis, sic hærere in legitima significatione vocum, & inde euertere conatum, axioma philosophicũ, ab omnibus retro sæculis admissum: Nec plus valet illud sophisma; Animæ speciei diuersæ possunt esse inæquales, ergo æquales, nunquam enim ex vno contradictorio, alterum poterit colligi, neque ex vno contrario alterum, (*non enim ex spinis colligunt ficus*;) equi possunt esse irrationales, ergo rationales. O pulcram consequentiam! creaturæ possunt esse inæquales Deo, & accidentia substantiæ in quantitate virtutis; ergo possunt esse æqualia. O ingenium! O ingens vis argumentandi!

5 Alij vero dicunt species rerum si attendantur quatenus habent esse in intellectu, nec esse æquales, nec inæquales: at si vt sunt in rebus considerentur, æquales esse posse, per prædicatum medium inter specificum, & indiuiduale. Sed etiam hæc responsio absurda est, nam neque datur tale prædicatum medium, nisi sit accidentale, nam si essentiale est, specificũ, aut generícum erit: si accidẽtale, & cõmune pluribus speciebus, iam illud reliquet essentiam inæqualem, & solum adæquat in eo prædicato accidentali in quo non est distinctio specifica: si est accidẽtale, & non commune duobus speciebus, iam vna excedit ab alia, in illo prædicato, & sic non erit æqualitas: Cum ergo essentiale prædicatum medium nõ detur, nam prædicabitur de pluribus differentibus specie in quid, seu essentialiter, & erit generícum, vel si essentiale est, & prædicatur tantum de pluribus differẽtibus numero, iam non erit ratio adæquãdi diuersas animas, secundum speciem, vnde sequitur datã responsionem esse fictitiã, & absque vllo fundamento, nec vim effugere argumenti facit.

6 Contra concl. arg. 1. Dissimilitudo animarum in ratione specifica, non arguit inæqualitatem; ergo poterunt dari animæ diuersę speciei, quæ tamen sint æquales. Probant. Species repræsentatiua Petri est diuersæ speciei ab ea, quæ repræsentat Paulum, quia habent diuersa obiecta adæquata, & tamen sunt æquales in repræsentando, quia vna, & altera, vnum tantum indiuiduum humanum, repræsentat; ergo. ℣. Confi. color viridis, & purpureus, & subtilis conceptus, æque possunt placere, & si aduertas esse diuersæ speciei, & dissimilis rationis; ergo etiam animæ dissimilis speciei, possunt esse æquales. Sed desiderarem ego solidiora fundamẽta, vt staret recens sententia, nego enim eas species esse æquales inter se, & si sint adæquatæ suis obiectis, imò si sunt adæquata suis obiectis, & hæc sũt indiuidua & indiuidua non sunt æqualia, necessario infertur contra intentum

arguentis, eas ſpecies in ratione repræſentationis adæquatas cum obiecto, inæquales eſſe inter ſe. Vides pugionem contra nos ſtrictũ, reſultare in ferientem: ſed nec mirum eſt cum ea, quæ ſunt æqualia inæqualibus, inæqualia inter ſe neceſſario ſint futura. §. Ad conf. reſp. quæ ſunt inæqualia, & diuerſæ rationis in vno genere, poſſe æquari in alio, nam etſi aurum excedat argentum, poteſt tantum argenti poni, vt æque æſtimetur in pretio, & ea quæ æquè placẽt, erſi ſint diſtinctæ ſpeciei in eſſe entis, non placerent æquè, ſi in ratione boni motiui voluntatis, eſſent diuerſæ ſpeciei: & ſic debet fieri comparatio, vt cõcludatur quod animæ, in eo quod ſunt diuerſæ ſpeciei, poſſunt adæquari.

7 Arg. 2. Relationes diuinæ ſunt diuerſæ ſpeciei, cũ ſint ad terminos diuerſæ rationis, & tamen ſunt coæternæ, & coæquales, ergo, & ſi animæ ſint diuerſæ ſpeciei, etiam poterunt eſſe æquales. §. Si dicas ratione eſſentiæ eſſe æquales: Cõtra. Ratione eſſentiæ ſunt idem, æqualitas autem diſtinctionem dicit; ergo ratione eſſentiæ nõ ſunt æquales, ſed ea ratione qua ab eſſentia virtualiter diſtinguũtur. §. Si dicas relationes diuinas, non dicere perfectionẽ in ſuo conceptu, nec quantitatem virtutis diſtinctam ab eſſentia, & ideô negari verè ſuppoſitum argumẽti, & merito exp obrari aduerſarijs quod in re, tam arduæ probationis ad opiniones non admiſſas ab omnibus confugiãt. §. Contra eſt perſonas diuinas eſſe æquales, & tamẽ quaſi differre ſpecie in ratione perſonæ; ergo non poteſt inſtari argumentum, independenter ab illa opinione aſſerente, diuinas relationes perfectionem dicere. §. Reſp. tamen perſonas diuinas, & relationes non differre ſpecie, ſed quaſi ſpecie; animas autem differre ſpecie, & ideô infirmum eſſe argumentum, quantum ad hoc attinet. Reſp. ergo cum D. Tho. p. p. q. 42. art. 1. in corp. & ad 4. quod in diuinis, eſt æqualitas perſonarum, non qua ratione relationes ſunt diuerſæ, ſed qua ratione magnitudo, & perfectio eſt vna in eſſentia, & hæc vna habetur à diſtinctis, non enim diſtincta eſt perfectio in Patre, quæ non ſit in Filio, ideoque fundatur in vnitate quantitatis virtutis in diſtinctis perſonis reperta (quod ſola fides cognoſcit:) animæ vero eo ipſo quod ſint diuerſæ ſpeciei, non ſunt vnius magnitudinis, neque identitate, neque proportione, & ideô nec poſſunt eſſe æquales.

8 Arg. 3. à quodam recentiore ſic. Ego pono duo animalia quorum operationes, non minus differant, quam operationes Tauri, & Leonis, ex quibus colligitur animas, quæ ſunt principia harum operationum, ſpecie differre: pono etiam eas operationes eſſe eiuſdem perfectionis, & eſſe æquales; ergo non repugnat operationes, & animas ſpecie diuerſas eſſe di-

diuersæ speciei, & esse æquales, & tota vis consistit in eo quod ponit eas operationes, non essentialiter inæquales, sed tantum notabilem differentiam, non minorem quam illa, quæ est inter operationes proprias Tauri, & Leonis: egregium argumẽtũ! ponit quod probare debet, & quia ponit quod negatur plaudit sibi, ac si probasset. §. Resp. quod implicat in dictis, & tantũ terminis ludit hoc argumentum, quid enim est ponere operationes, non minus notabiliter differentes, & non minus, quã operatio Tauri, & Leonis, nisi ponere essentialiter differentes, & essentialiter inæquales, nam si non minus differũt inter se (etiam addita illa notabilitate) quam operatio equi, & leonis: istæ operationes specie essentiali differunt, & essentiali inæqualitate gaudẽt: si nõ minus differẽtes ponit, eodẽ modo ponit, nec plus, nec minus; ergo indifferẽtia sua adæquãt differentiam operationis leonis, & tauri; ergo ideò adæquant, quia inæquales sunt, nam si sunt æquales, non adæquabuntur cum operationibus inæqualibus, ac per consequens, nec ita notabiliter differunt: ergo tota vis argumenti irrefragabilis cõsistit in illa voce *notabili*: hoc autem notabile est, quod sola circuitione terminorum, quod apud antiquos admissum fuit, tanquam certissimũ, modo spernatur, & à scholis iubeatur relegari.

## QVÆSTIO XVII.

*An anima sit perfectior simpliciter animato, & forma substantialis composito?*

1 DIcẽdum est, quod anima est simpliciter perfectior animato, & forma substantialis composito, licet secundum quid, & in quantum pars sit imperfectior composito. Hæc sententia, vt probabilis modo est tenenda; etsi loquendo cum pluribus, oppositum alias probabile iudicaverim, & quia licet vti sententijs probabilibus, maximè cum non est proprius locus, & sedes disputationis: nec modo reprobo oppositum, sed tantum vt probabilem teneo conclusionem propositam. Defenditur autem à Caietano in Procemio lib. 1. de Anima Flandria Arauxo, & alijs.

2 Prob. testimonio Aristo. 7. Met. text. 7. & 8. vbi ait: *quod forma materia est prior, & magis ens, & ipso quo ex ipsa est prior, erit propter eandem rationem, qua species rerum à forma est.* At quod est prius, & magis ens perfectius est, nam ab entitate prouenit bonitas, & perfectio; ergo secundũ Aristot. forma substantialis perfectior est composito: sed anima est forma animati, & animatum est compositum ex anima, & corpore; ergo anima absolutè, & simpliciter perfectior est animato, hoc idem D. Thom. ad cit. text.

lect.2.vbi non solum conclusioni fauet, sed etiam rationes quas infra proponemus insinuat. §. Conf. potest ex Aristot. & D. Thom. lib.2.de Anima text.2.vbi aiunt formam esse actum, & speciem *secundum quam compositum est aliquid*: & ad text.4. quod ipsa *anima facit corpus animatum*, & p. p.q.76.ar.8. in corpore, quod forma & anima *est perfectio totius*, & quod totalitas, quæ attenditur secundum essentiæ perfectionem propriè, & per se cõuenit formæ, & totalitas virtutis operatiuæ, & quod anima perfecta *primo*, & *per se respicit totum, tanquã proprium perfectibile*: ergo secundum doctrinam D. Thom. dicendum est, quod anima est simpliciter perfectior animato, & forma substantialis composito, prob. conseq. Tum quia principium formale est perfectius suo principiato ex 1. Phys. text.15. ergo si anima dat cõposito, per modũ principij actualitatem, & esse hoc aliquid, & esse animatũ, erit simpliciter perfectior corpore animato. Tum etiam, si in aliquo excederet animatum animam, & compositũ formam maximè ratione totalitatis, at forma, & anima, licet careant totalitate cõpositionis, tamen cum sua simplicitate habent totalitatem perfectionis, & virtutis: & sic magis assimilantur Deo, qui habet totalitatem perfectionis, & virtutis, cõtinẽdo per fectionem omnium rerum, quas aliis communicat, de quo vide D. Thom. in 1. distin. 8. q. 45. art. 2. ad 5. & 3. contra gent. cap. 79. ergo. Conf. secundum D. Thom. in 4. distin. 46. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. in corpor. *quod est formale in aliquo, illud est excellentius*, sed forma comparatur ad compositum, sicut formale, secundum D. Thom. siquidem comparatur ad illud, tanquam ad proprium perfectibile, & anima comparatur, sicut formale ad animatum, siquidem constituit ipsum in ratione animati, nam est, *quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo*: ergo. Confir. 2. Nam secũdũ D. Tho. in 2. distin. 43. qu. 1. art. 1. *Omnis forma quãtum est ex se, & in abstracto considerata, est infinita, & dicit vniuersalitatem*, quod alibi repetit. Nec limitatur, aut reducitur ad genus, & speciem, & ad particularitatem, nisi ratione compositi; ergo forma de se habet infinitatem, & illimitationem, & solum imperficitur à composito, nec sumit ab eo perfectionẽ, sed potius dat illi perfectionem simpliciter talem; ergo absolutè, & secundum se est perfectior composito. Nam etsi compositum includat formam, & hac ratione videatur illi æquale in perfectione, tamen includit eam, non secundum totam rationem, & perfectionem, quam habet ex se, neque tanquam eam perficiens, sed tanquã limitans, & habẽs ab ea perfectionem essentialem: & cæteris paribus longè perfectius habetur

omnis

omnis perfectio in ipso met principio, quam in principiato.

3 Prob. rat. *Dans esse, dat cõsequentia ad esse*, ex Aristot. 3. lib. de Cœlo, text. 15. sed anima dat esse composito, ex Arist. 2. de Anima, text. 70. & 81. ergo & consequentia ad esse, sed perfectio cõsequitur ad esse cõpositi; ergo anima dat composito totam perfectionẽ, sed dat illi esse in genere actus, & formæ; ergo perfectior erit forma, licet non denominativè (quia sic perfectio prius denominat compositum) sed formaliter, vt ait Caiet. §. Confir. forma est, qua compositum est ens, vnũ, & hoc aliquid ex 5. Metaph. tex. 31. & 2. de Anima, tex. 2. sed perfectio ad hæc consequitur; ergo à forma habet compositum totam perfectionem, ergo forma perfectior est. §. Conf. 2. quod est primum in vnoquoque genere, est mensura cæterorum, in illo genere ex Arist. & D. Thom. 2. 2. q. 163. art. 3. sed forma est primum in genere substantiæ, vnde manat totum esse, & actualitas substantialis, quia compositum non habet eam à se, neque à materia; ergo à forma, ergo illa est primum in genere substantiæ, ac per consequens perfectissimum. Confir. 3. Si ob aliquam rationem, compositum esset perfectius forma, & animatum anima, maximè, quia est totum, & anima, & forma pars est, & totum est maius sua parte, & quod maius est, perfectius est, quia compositum est, quod est; sed sic est, quod licet forma non sit totum, sed pars cõpositiua, tamen contentiuè, & virtualiter est totum, estque quod est (vt ait Caiet. acutissimè) non quidem vt suppositũ, sed vt principium formale, non denominatiuè, sed formaliter; nam forma est, quod est tanquam quo compositum est, & hoc est esse propriè id, quod est formaliter, quia est ratio essendi, ex hoc autem quod esse, est propriũ formæ sequitur, quod secũdum quamcumque entis speciem aliquid dicitur esse; hoc erit secundum aliquam formam, seu ẽtem secum illud esse, ac proinde in nullo composito, siue substantiali, siue accidentali est duplex esse, sed vnum tantum, iuxta vnum tantum, quod quid erat esse, secũdum vnam formam. At perfectius est simpliciter esse totum per cõtinentiam, & virtutem, quam esse totum per compositionem, quia primum Deo competit, & repugnat secundum, vt ait D. Thom. p. p. q. 3. ar. 7. & esse, quod quid est formaliter perfectius est, quam esse sic denominatiuè, sicut esse principium perfectius est, quam esse principiatum; ergo forma & anima nobiliores, & perfectiores sunt simpliciter, quam compositum, & animatum.

4 Quod vero forma sit imperfectior secundum quid, quam compositum, communiter admittitur, & prob. Quia anima, & forma sunt pars, & habent modum essendi incompletum, respectu

compositi; ergo sub hac ratione sunt ignobiliores composito, sed quia hæc est ratio secundū quid; nam sub alia ratione compositum dependet à forma, & ab anima animatum, nam anima est complementum animati, vt ait D. Thom. 2. de Anim. text. 8. estque compositum pars formæ quatenus est totum in linea continentiæ, ideò forma est simpliciter perfectior composito, & secundum quid imperfectior.

5. Con. 1. p. concl. militante Scotus, Suar. & alij, quos refert, & sequitur Araux. libr. 7. Met. q. 5. ar. 2. & prob. testimonio D. Th. p. p. q. 3. art. 7. vbi ait: *Apud nos composita sunt meliora simplicibus, quia perfectio bonitatis creaturæ nō inuenitur in vno simplici, sed in multis*, sed forma est aliquid simplex, ergo melius, & perfectius est compositum. §. Resp. in primis rationem D. Th. quod composita sunt meliora simplicibus non iuuare Scotum, qui est patronus sententiæ oppositæ, nā ipse in 1. dist. 8. conatur ostēdere, quod simpliciora ex quo talia sunt, debent esse perfectiora compositis, quia simplicitas, est perfectio simpliciter simplex; iam ergo Scotus hinc potest redargui: nam D. Th. nil contra nos docet. Tum quia forma, & anima, etsi simpliciter in ordine compositionis, & partis, & sic etiam sit imperfectior composito, sub hac ratione, qua comparatur ad illud, vt simplex ad compositum, sub alia tamē ratione, absque dubio eminentiori modo compositum est simplicius forma, quæ est totum quoddā in linea continentiæ, & virtutis formalis. Tum quia (vt benè explicant quidam) D. Thom. non intēdit ibi dicere, quod compositum est melius qualibet parte componente, alias Christus vt homo, esset perfectior personalitate diuina, ex qua, & humanitate componitur, sed facit comparationē inter corpora simplicia, & mixta, & sic loquitur de composito, virtute tali, ideſt, de eo quod continet virtute, plura simplicia, quorum quodlibet, habet virtutem ad vnum tantum, & sic D. Thom. pro nobis est, cum forma sit hoc modo composita.

6. Arg. 2. Totum est melius sua parte, sed forma est pars compositi; ergo compositum est melius, & perfectius. §. Confirmo finis est perfectior his, quę sunt ad finem ex Arist. 2. Phys. sed compositum est finis formæ, nam anima, & corpus nō sunt, nisi propter animatum, vt tenet Auer. Tum quia finis generationis compositum est; ergo, §. Conf. 2. Partes se habent ad totum, sicut materia ad actum; ergo compositum est perfectius simpliciter forma, quæ est pars, prob. antec. ex Arist. 7. Metaph. text. 33. asserente, quod *prioritas partium ad totum, est prioritas materiæ ad formam*, §. Denique quod est eius per se perfectius est ens per accidens, sed compositum est ens per se, forma vero

per

per accidens; ergo, prob. min. Generatio tendit ad ens, sed cõpositum per se forma vero per accidens generatur, ergo.

7 Resp. Totum esse melius sua parte, ea ratione qua est pars, conc. sub alia, nego. Sed forma est pars compositi via compositionis concl. via continentiæ, nego min. & conseq. vel dist. est melius secũdum quid, conc. simpliciter, nego, quia comparando totum ad totum, melius est simpliciter esse totum in linea continentiæ formalis, quam in linea compositionis, & denominationis; forma enim est, quod habet esse quo cõpositũ habet entitatem, speciem, & actualitatem, vt dixit Caiet. sicut relatio, est quod dat esse relato & ferri, & sic est, quod dat esse vt quo, & est quo vnũ extremũ refertur ad alterum. §. Ad 1. Conf. Resp. quod compositũ est finis esse actus respectu formæ, & animæ: at anima & forma finis cuius gratia, vt colligitur ex Arist. 2. de Anima tex. 37. nec aliud intẽdit Auerro. & cõpositũ est finis generationis vt quod: anima vt quo, & sic principalior finis est anima, & forma, vide D. Thom. p. p. q. 77. art. 1. Non enim anima in quantũ forma est actus ordinatus in vlteriorem actum, sed est vltimus terminus generationis. §. Ad 2. ergo quod forma vt pars habet prioritatem materiæ ad compositum, non vtrô vt forma, quia vt dixi ex D. Thom. compositum est proprium, & per se perfectibile à forma, & sic materialiter se habet ad illam. §. Ad vltimum nego formam non generari per se, nam generatio est via ad esse, ex Arist. 2. Physi. tex. 17. & forma est terminus quo formalis: licet compositum sit terminus, qui & quod genitum denominatur: licet forma sit quo denominatur: terminus autem quo specificans, generationis, non potest per accidens comparari ad illam.

8 Arg. 3. Eo forma est perfectior, quia est principium compositi, sed etiam materia est principium, & nihilominus non est perfectior; ergo ratio fundamentalis nulla est. Conf. Eo forma esset perfectior, quia per se est, & ideò est, quo compositum est vnum & ens: sed hoc est falsum; ergo, prob. min. eius est fieri cuius est esse, sed quod propriè fit, non est forma, sed compositum ex 7. Meta. text. 28. (quod pluries repetit D. Thom. & ideô probat, quod creatio, est cõpositorum, & subsistentium) ergo. §. Conf. 2. Id propriè est quod est propriè substantia, sed solum prima substantia est propriè substãtia, vt docet Arist. non autem forma; ergo. §. Cõfir. 3. quod magis accedit ad vltimã actualitatem in linea entis est magis ens; & magis actuale, & perfectum, sed compositũ est, quod magis accedit ad vltimam actualitatem in linea entis, ergo, prob. min. Compositum est, quod immediatè subsistit, & existit, nam existentia, & subsistentia im-

mediatè terminat cõpositum, non autem formã substantialẽ; ergo.

9 Resp. quod principium est perfectus principiato, si sit actuale, non verò si sit purè potentiale, forma autem est principium compositi, in linea formæ, & actus, materia verò in linea puræ potentiæ, & ideò non sequitur materiam esse nobiliorem composito. §. Ad 1. Confir. Resp. Quod sicut fieri est compositi, vt quod habet esse, ita fieri vt quo, est formæ, vt quo habet esse compositũ, & ideô immediatius respicit esse, formã quam compositum; cum sit ipsum esse quidditatis ipsa forma, sicut albedo est ipsa actualitas albedinis, quia compositum habet esse album per illam, & quia perfectio sequitur ad ens, seu ad esse; ideô forma est perfectior composito, vel si maius, ipsa perfectio; seu cum Cajet. est esse formaliter, non denominatiuè, & per consequens perfectissimè, non denominatiuè, sicut compositum. §. Ad 2. Quod etsi compositum sit ipsa prima substantia, de cuius ratione est esse per se, & forma non sit prima substantia, inde tamen non sequitur compositum esse perfectius simpliciter, quam forma, sed solum secundum quid, quia vt se explicat Aristot. ibi, eo dicitur maximè substantia compositum, seu prima substantia, qua substat accidentibus vt quod, & hoc, perfectio est secundum quid, nam in ratione essendi, per se præstantior est forma, quia est id quo compositum habet esse per se. Ad 3. Resp. quod compositũ immediatè, vt quod terminatur ab existentia, & subsistentia, sed forma vt quo, & sic ad illam sequitur existentia, & cum maioris sit dignitatis esse, vt quo habetur subsistentia, & existẽtia, fit nobiliori modo comparari subsistentiam, & existentiam ad formam, nec inde sequitur quod forma materialis sit per se existens, sicut anima rationalis, quia numquam vt quod potest subsistere, eo quod materialis est, & sic dependet à materia forma materialis, nec debetur illi subsistere, nisi in materia, & in composito, fit enim compositum, quatenus forma est in materia.

## QVÆSTIO XVIII.

*Vtrùm videlicet potentiæ vitaliter operatiuæ distinguantur realiter ab anima ita, vt nec de potẽtia Dei absoluta possit Anima immediatè operari?*

1 QVod substantia non sit immediatè operatiua late ostendi 2. l. Phys. q. 12. ideôque cum non habeat specialem difficultatem, ex eo quod potentia operatiua sit vitalis; hic superaddenda erunt, quæ ibi omissa sunt.

2 Et quidem Nominales, quos refert Bannez p. p. q. 77. artic. 1. dub. tenent solum ex modo significandi distingui potentiã ope-

ratiuam ab anima, Scotus cum suis in 2.distin.6.qu.vnica tenet distingui realiter formaliter, & ex natura rei, licet non realiter entitatiuè; cui frequentius consentiunt PP.Societatis; licet recentiores Scotistæ distinguant dicentes, quod potentiæ operatiuæ animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ realiter distinguũtur à substantia animæ, sicut distinguuntur organa, quibus sunt affixæ, at potentias spirituales, intellectum, scilicet, memoriam, & voluntatem solum realiter formaliter ab anima distingui, & potentias organicas, nõ distingui ab organo corporeo substantiali eo quod forma substantiali corporeitatis, distincta ab anima dicũt informari, & sic in re docet, quod etsi non omnis anima sit immediatè operatiua, tamen omnis substantia est immediatè operatiua, absque potẽtijs accidẽtalibus realiter superadditis. At Henricus, & noster Gratia Dei, quos ibidem refert Bannez tenent realiter modaliter distingui, sicut modus à re modificata, qualiter relatio distinguitur à fundamento. Durandus plus accedit ad Thomistas, nam in 1. distin.3.2.p.dist.2. tenet potentiam generatiuam realiter nõ distingui ab anima, tãquã entitas accidentalis diuersa, at reliquas potẽtias operatiuas vitaliter, distingui realiter ab anima, quamuis in Angelis, nec intellectus, nec voluntas, distinguantur realiter à substantia angeli; & conuenit cum illo S.Buenauentura in eadem dist.

3 Nobis autem dicendum est, ne dum de facto, sed nec de potentia Dei absoluta posse identificari cum anima potentias immediatè operatiuas vitaliter. Sic in terminis tenet P.Rubio lib.2. de Anima cap.3.tract.de potent. anim.q.2.& in hoc sensu tractant istam quæstio. omnes Thomistæ, cum suo principe D.Thom.

4 Sed quia nonnulli ex aduersarijs ex Societate Iesu, asserunt se relinquere D.Thom.sententiã propter auctoritatem SS.PP. qui oppositum docent de facto; sedulo probanda est conclusio, quantum ad id, quod est de facto, ex Scriptura sacra, & SS. PP. mirum enim esset si D.Tho. relinquendus esset, quia contra SS.PP. opinatur, cuius est summa laus, *quod quia summè venerat⁹ est sacros Doctores S. Thomas, ideo intellectum omniũ, quodãmodo sortitus est.* Sic Caiet.de prædicat. emmẽtiam intellectus D.Thom.2.2.q.148.art.4. non ergo deserendus est D.Tho. quia oppositum docent SS.PP.

5 Prob, ex illis verbis Christi Domini, Matth.22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*; ex quibus verbis D.Tho. in Catena, & in speciali scripto super Matth. item D.August. tract. de creat. anim. tom.9.& Anselm. de cõcord. cap. 29.& de casu diaboli cap.8. &

lib.

lib. de conceptu virginali, cap. 4. & Mag. in 1. distinct. 3. satis apertè colligunt intellectum, & voluntatem, quæ significantur nomine *mentis*, & *cordis* ab ipsa anima distingui; si enim anima amamus, & intelligimus Deum immediatè, vt quid in his tribus, præcipimur amare Deum? sufficeret enim dicere tota anima; nam in sententia Scoti, tota anima vtrumque habet, quamuis non sub eadem formalitate: nomine namque totius, totum quod in se habet anima cõprehenditur: alias si tota anima non habet illas formalitates intelligendi, & volendi, istæ formalitates realiter distinctæ. Præterea si cor, & mens sunt idem cum animis, & solum sunt formalitates distinctæ; ergo formalitate animæ, vt ab illis formalitatibus condistincta: neque amamus proximè, neque radicaliter: ergo frustra præcipimur amare, ne dũ ex toto corde, & in tota mente, sed etiam in tota anima.

6 Hoc idem docet Augustin. tom. 1. lib. de decem cathegor. cap. 12. vbi collocat potentiam operatiuã in prædicamento qualitatis. Videri etiam potest lib. 10. confess. cap. 16. & libr. 11. de Trinit. cap. 2. & lib. 15. cap. 7. & 17. & 22. vbi ait: *Mentem non esse hominem, & mentem non esse animam, sed aliquid eius; sicut oculus aut caput*, at oculus realiter distinguitur ab anima; ergo. Vide lib. 6. de Trinit. cap. 6. & lib. 8. cap. 5. & libr. 10. cap. 6. & 7. & lib. 9. cap. 4. & tract. 15. in Ioan. vbi dicit: *Non me capis, non me intelligis, voca virum tuum, voca intellectum tuum*; ergo supponit esse quid distinctum, & infrà. *In anima nostra quoddam est, quod intellectus vocatur*: ergo sentit non esse animam, sed in anima inhærendo, & serm. 3. de tempore, tom. 10. *Aliud est anima, aliud est ratio, & tamen in anima est ratio*: & hoc explicat exẽplo. Aliud in Sole calor, & splendor; sed aliud, & aliud distinctionem entitatum, imò & specierum denotat, & calor accidens solis est; ergo sentit nobiscum August. Neque enim aliud nos dicimus, quã quod August. nec alio exemplo melius potest explicari nostra sententia: quod si D. August. lib. 10. de Trinitit. cap. 11. dicit, quod *memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna vita, vna mens, & vna essentia*, & lib. 10. conf. cap. 14. *eam anima sit ipsa memoria*. Resp. cum D. Thom. p. p. q. 77. art. 1. ad primum, in 1. testimonio loqui August. de mente quatenus diligit se, sic enim sunt vnũ, quia ex intelligente, & re intellecta fit vnum secundum Aristot. & etiam docet, quod dicitur mentem esse animam, eo modo quo totum potestatiuum dicitur de partibus, non per identitatem. Idem tenet S. Dionys. de Cœlesti Hierarch. cap. 11. asserens, quod *Cœlestes virtutes diuiduntur in essentiam, virtutem, & operationem*; sed nullum nisi amens dicet, quod ope-

operatio animæ sit de eius essentia (vt ait S. Thom. q. de spirit. creat. art. 11. ad 1.) ergo nec virtus operatiua est, idem cum essentia Angeli, secundum Dionys. qui æquè distinguit animam ab operatione, & à virtute, at eadē ratio currit in anima, ergo Damas. verò in sua dial. cap. 51. ponit potentias operatiuas, in prædicamēto qualitatis, & S. Ephif. hæresi 67. ait mentem non esse substantiam, & Athan. tom. 4. in quæstionibus varijs, q. 4. vbi exemplo animæ, intellectus, & voluntatis, quæ tres subsistentias afferunt, id est, tres entitates, explicat distinctionem trium personarum in diuinis (licet non cum omni adæquatione) sed quia anima est totum potestatiuum, respectu intellectus, & voluntatis, in Deo autem vnū, & idem sunt in essentia.

7 Aristot. etiam stare pro nobis profert Theodor. libr. 5. qui est de nat. hominis, & ait, *quod Aristot. aliud esse intellectum ab anima opinatus est*, & D. Thom. semper pro hac sententia illū interpretatur, quod non est parui pendendum, eo quod mentis, & linguæ Aristot. nomenclaturam iure sit adeptus, sed ipse Aristot. pro se loquetur: in prædict. cap. de qualit. collocat potentias operatiuas, & lib. 1. de Anima, text. 12. vbi docet intellectum non esse actum corporis, quod & alibi fæpè repetit, at lib. 2. cap. 2. latè docet animam esse actum corporis, & esse id, quod primo intelligimus; ergo si sentiret animam esse quo non solum intelligimus primo, & radicaliter, sed etiam immediatè, & proximè, etiā debebat sentire, quod intellectus, seu id quo proximè, & immediatè intelligimus est actus corporis, & si hoc negat, ideò est, quia tenet intellectum non identificari cum anima (& sic præcluditur effugium dicentium sufficere distinctionem ex natura rei, vt non informet intellectus, etiamsi informet anima intellectiua) & 1. lib. & hic cap. 6. quemadmodum in corpore est visus, sic in anima est mens, & aliud in alio. Quod testimonium tergiuersari nō permittit. Si enim intellectus est in anima, sicut aliud in alio: est tanquam res distincta in subiecto; aliter enim hoc non potest verificari: & si est, sicut visus in corpore erit, vt quid realiter diuersum ab anima; nam visus est organum quātitate, & qualitatibus compactū, & temperatum: & sic etiam à substantia corporea realiter distinguitur. §. Præterea, lib. 2. de Anima, text. 27. dicitur quatuor potentias animæ inesse, cuius modi sunt, scilicet, appetitiuum sensitiuum, loco motiuum, & intellectiuum, sed quod inest alteri illi inhæret ab eoque distinguitur; ergo iste potentiæ realiter ab anima distinguuntur. Tum etiā eodem modo dicit inesse potentias vegetatiuas, & sensitiuas, & intellectiuas animæ, at secundum Scotistas, potētiæ vegetatiuæ, &

sensitiuæ realiter distinguuntur ab anima (quamuis secundum illos non distinguantur realiter à forma corporeitatis, vt supra aduerti) ergo etiam potentia intellectiua, & appetitiua, distinguitur realiter ab anima, & æquo modo ineſt illi, vel Arist. loquitur impropriſsime; modo autem non disputamus, an ſit corrigendus Aristot. per Scotum, ſed an contra Aristot. opinentur Scotiſtæ.

3 Sed quia lib. 2. Phyſic. rationes satis efficaces propoſui, deſumptas ex D. Thom. doctrina, nunc alias proponam in eius doctrina fundatas, & prius de facto probabo, deinde etiam de poſſibili, & prob. 1. quoties aliqua cauſa ex ſe eſt indifferens, æquiuoca, & vniuerſalis ad operandum effectus determinatos, & particulares, habet aliquod principiũ determinatum, proximè operatiuum, & realiter diſtinctum, vt patet in Deo, qui vt operans, non tanquam cauſa particularis, ſed vniuerſalis, operatur mediis cauſis ſecundis, 2. patet melius in cœlo, & in aſtris operantibus mediãte luce realiter ab eis diſtincta; patet in igne mediante calore operãte, & inductiuè in omnibus alijs; ſed ſubſtantia animæ eſt cauſa vniuerſalis, & æquiuoca comparata ad actum accidentalẽ intelligendi volendi, & progrediendi, & idem eſt de forma corporeitatis in ordine ad actus vitæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; ergo neceſſario ſuperaddenda eſt cauſa; ſeu potentia proxima realiter diſtincta, & per ſe ordinata ad huiuſmodi actus; ergo potentiæ animæ ab illa realiter diſtinguuntur; maior probata eſt inductiore, cõſeq. eſt bona, & min. debet eſſe certa, quia cauſa eſt indifferens, quatenus non eſt determinata ad vnũ: æquiuoca quatenus effectus, non eſt eiuſdem ſpeciei: vniuerſalis quatenus eſt prima in ſuo ordine, & effectus diuerſæ ſpeciei poteſt operari; at totum hoc verificatur in anima, & in forma corporeitatis reſpectu operationũ accidentalium vitæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ, in qua ſunt innumeræ operationes diuerſæ ſpeciei; ergo.

9 Si dicas cum aliquibus hoc eſſe verum, quando operatio eſt tranſiens, non tamen quando eſt immanens, qualiter anima operatur opera vitæ, tunc enim cauſa vniuerſalis, & æquiuoca non eget potentia ſuperaddita. §. Contra eſt. Quod operatio ſit immanẽs, aut tranſiens non tollit, quod anima ſit cauſa æquiuoca, & indifferens, & vniuerſalis; ergo non tollit indigentiam principij determinati ſuperaddici, prob. cõſeq. nam determinatio principij, non ponitur illi ad hoc, vt operatio ſit immanens, vel tranſiens, ſed ad hoc, quod determinatè influat in effectum determinatum, ſi principium eſt indeterminatum, & vniuerſale, & æquinocum, & æque potens ad hunc, & ad illum effectum.

10 Si dicas 2. ex hac ratione non colligi, quod debeat animæ superaddi noua potentia, sed aliqua determinatio per se aliquid diuersum, & hoc non negant aduersarij; nam intellectus per species determinatur, & voluntas proposito obiecto per intellectum; sensus per species; loco motiua potentia per imaginationem; nutritiua applicatione alimenti: ex superfluo alimenti, seu semine posito in vasis, irritatur ad generandum generatiua. §. Sed contra est omnia illi determinare ex parte obiecti, non autem ex parte principij, at in alijs causis vniuersalibus, præter obiecta, & materiam dispositam, requiritur cõcursus causæ particularis, & quasi vniuocæ; ergo etiam in anima, & oppositum voluntariè dicitur, & absque fundamento. §. Præterea semper vrget exemplum in alijs substantijs; nam grauia, & leuia mediante grauitate accidentali, grauitant; quod patet, nam substantia corporis Christi consecrati, grauitate caret, & ex eo non grauitat, & mixta mediantibus accidentibus operãtur; nam magnes in igne amittit virtutem trahendi ferrum, & ignis, qui est elementum, mediante calore calefacit, & huius alia ratio dari non potest, quam iam tradita, ergo perpetam negatur in anima. §. Nec valet cõfugere ad hoc, quod illæ actiones sunt transeuntes; nam licet transiens ad summum requirat, quod recipiatur in passo diuerso, tamen quantum ad egressionem ab agente, eodem modo se habent; ergo si ignis ad calefaciendum, & mixta ad agendum, præter formam substantialem, exigunt potentiam accidentalem, per modum principij proximi, etiam anima hoc requirit, siquidẽ non minus est causa æquiuoca, respectu suæ operationis accidentalis, estque multo magis indifferens ad diuersæ speciei operationes.

11 Nec obest dicere, quod eo quod actus vitalis est ab intrinseco, potest esse immediatè ab anima. Tum quia actus animæ vegetatiuæ, non sunt immediatè ab anima in sententia Scotistarum, sed à forma corporeitatis, quæ est realiter distincta; ergo similiter poterit dici de actu intellectiuo elici medio aliquo realiter distincto ab anima. Tum etiam, nam est si sit elicitus, mediante potentia accidentali, est ab intrinseco, quia ea potentia dimanat ab anima: & melius intelligitur actũ accidentalem esse ab intrinseco, media potentia accidentali, quã esse ab intrinseco substantiæ immediatè.

12 Prob. 2. ostendendo implicare contradictionẽ, quod anima ex sua essentia, & natura haberet esse immediatè operatiua; cũ operatio est prior potentia operatiua per modum formæ extrinsecæ specificantis per modum finis, & complementi potentiæ, vt dicitur 9. Met. & lib. 2. de Anim. text.

text.33. Ratione, & diffinitione actus esse priores potentijs, potentiæ autem ex actibus specie distinguuntur; nam actus est, qui distinguit, ex 7. Metaph. text. 49. Ergo quia specificans ipsas potentias ipsæ operationes. Sed implicat animam, quæ substantia est esse natura posteriorem, & respicere, vt specificatiuum operationem accidentalem, & tanquam finem à natura constitutum; ergo implicat quod anima nostra sit potentia immediatè operatiua operationum vitalium; prob. min. finis ex natura sua, perfectior est his, quæ sunt ad finem, vt apertè constat ex Arist. 2. Physic. text. 131. & lib. 1. de Anima, text. 42. idem est de specificatiuo, hoc enim mensura est rei specificatæ, at mensura vt talis, ex natura rei perfectior est re mẽsurata per ipsam vt passim, etiam docet Aristot. ergo implicat quod anima, quæ eo ipso, ac est substantia, perfectior est accidenti possit esse immediatè operatiua potentia respectu operationis accidentalis vitalis. §. Confir. Implicat, quod substantia quæ est ad se, relatiuè dicatur, etiam relatione transcendẽtali (maximè quę sit dependentiæ) ad aliquid extra se (maximè quod sit accidens) vt ostendit D. Thom. p. p. q. 54. art. 2. sed potentia operatiua relatiuè dicitur ad operationem, tãquam essentialiter pendens ab eius specificatione, vt docet Aristot. in prædicam. capite de qualit. ergo implicat quod substantia sit ipsa potentia immediatè operatiua, quorum ratio est, quia ordo transcendentalis cum sit ipsa entitas, & essentia rei, & sit ad aliud extrinsecum, nequit essentiæ omnino absolutæ, & quæ est ad se conuenire: ergo si anima est substantia, & ens ad se, & per se, nequit dicere ordinem transcendentalem ad accidens; ergo nec esse potentia operatiua, quã non esse propter se aperte docet Aristot. 9. Metaph. tex. 15. dum ait: *Non enim vt visum habeant animalia, vident, sed vt videant visum habent*; idem docet August. lib. 11. de Trinit. cap. 2. quod in qualibet alia potentia vitali verificatur. Nec valet dicere potentias vitales, perfectiores esse actibus, & tamen specificari ab illis, tanquam à fine, & specificatiuo: ergo etiamsi anima sit perfectior, poterit specificari in ratione potentiæ operatiuæ ab operatione. §. Non inquam valet. Tũ quia, vt ostenditur 1.2. q. 71. art. 3. potentiæ sunt imperfectiores actibus, licet secundum quid in ratione permanentiæ sint perfectiores (& loquor de actibus formalibus, & adæquatis.) Tũ quia non est eadem ratio, quia potẽtiæ accidentales non habent esse omnino absolutum in se, & ad se, & per se. §. Confir. iterum, relatio transcendentalis identificatur cũ entitate eius, quod per ipsam ordinatur ad aliud; & hæc distinguitur penes terminum formalem, ei adæquatum: ideò enim potentia visiua distinguitur ab intellectiua,

tia, & virtutes intellectuales realiter distinguuntur inter se, & virtutes morales naturales, & supernaturales, & theologicæ, quia ordines earum transcendẽtales, sunt ad distinctas operationes: diuersæ speciei, & ad diuersa obiecta diuersa formaliter, & vt obiecta sunt: nõ enim alia poterit dari ratio distinctionis entitatiuæ harũ operationum, & habitum, nisi distinctio entitatiua ordinis transcendentalis: neque distinctionis ordinis, nisi quia ordo ad alterum est, & ideò ad distinctionem formalis termini, est distinctio entitatiua ordinum: ergo si anima esset se ipsa intellectiua, & volitiua, & forma corporea esset ipsæ potẽtiæ vegetatiuæ, & sensitiuæ: necessario haberent ordines transcendentales entitatiuè diuersos in ordine ad operationes, & obiecta formaliter adæquata, & specificãtia eos ordines. At quæ sunt distincta realiter inter se in creatis: implicat identificari cum aliquo tertio: ergo implicat animam esse idem entitatiuè cum suis potẽtijs vitalibus operatiuis. Circa hanc confirmat vid. D. Thom. q. vnica de Anima, art. 12. & de spiritual. creatur. art. 11.

13 Prob. 3. rat. D. Thom. p. p. q. 77. art. 1. (quam etiam tetigi 2. lib. Phys.) omnis operatio vitalis in creatis est accidens; ergo implicat, quod potentia proximè operatiua eius, sit substantia, aut anima, prob. conseq. Actus, & potentia sunt in eodem genere ex Arist. 9. Metaph. text. 1. sed implicat substantiam esse in genere accidentis; ergo implicat animã, quæ est substantia esse potentiam immediatè, & proximè operatiuam. Respond. Scotus in 2. dist. 16. per quem omnes recentiores: quod potentia obiectiua, & actus sunt in eodem genere, imò eiusdem numeri: v. gr. homo possibilis, & actualis: negat tamen quod potentia operatiua, & eius actus sint in eodem genere, & idem de potentia proximè receptiua; nam actus transiens est in genere actionis, & tamen per nos potẽtia operatiua, est in genere qualitatis, & materia prima recipit quantitatem, vel saltem compositum substantiale, & tamen quantitas est in diuerso genere à substantia. Sed contra est, quod si hæc responsio esset vera, diminute procederet Aristot. dicendo quod potentia actiua, & passiua obiectiua. Sunt in eodem genere, siquidem essent idem. Tum quia, vt probat benè Soncinas 9. Metaph. q. 2. cũ Capreolo in 1. dist. 3. q. 4. & Iauello 8. Met. q. 1. potentia obiectiua, non est potentia physica, sed logica, nec est rei ad rem, sed eiusdem ad se ipsum: nihil enim est in potentia physica ad se ipsum: nec habet potentiam purè obiectiuã ad id, quod est alia res, sed subiectiuam, aut actiuam, at ibi Arist. agebat de diuisione rerum, & de diuisione entis in varia prædicamenta, & in actum, & potentiam: ergo non loquebatur de potentia ob-

obiectiua, & actu. Præterea potentia obiectiua, nihil aliud est in re, quam continentia rei in potentia actiua, vel passiua, quia in se, non se habet realiter, & physicè ad obiectum, quod in re est nihil, vt probat idem Soncinas ibidem q.3. ergo si Aristot. loquitur de diuisione rerum, & sentit, quod actus & potentia sunt in eodem genere, ex cõsequenti sentit, quod actus & potentia actiua, completa & vltima, & immediata & actus sunt in eodem genere. Tum etiam secundum Arist. 3. Physic. text. 4. & 11. Metaph. cap. 8. & D. Thomas ibi lect. 9. in vnaquaque linea, perfectum & imperfectum eiusdem lineæ, sunt in eodẽ genere, ita vt quod est imperfectum, & in quantum tale, reducatur ad speciem actus sub illa ratione, quia actus est, qui distinguit, & tribuit speciem, sed potentia operatiua in quantum talis est imperfecta, sine operatione, & ordinatur ad illam, tanquam ad perfectionem; ergo sub hac ratione reductiuè est in linea operationis, & in eodem genere; sed substantia reductiuè esse non potest in linea accidentis; ergo ex se nõ est potentia proximè operatiua. Si dicas D. Thom. in 1. distin. 7. quæst. 1. ar. 2. ad 2. docuisse actu, & potentiam non esse semper in eodem genere: respondet latè Bergomensis in cõcordant. dub. 51. vide ibi.

14 Denique prob. ratione, quam inuuit D. Thom. p. p. q. 59. art. 2. (& vide in primo distinct. 3. q. 4. art. 2.) sic se habet motus localis in elementis, sicut operatio in anima, sicut enim elementa medio motu consequuntur terminum, & statum, sibi connaturalem; sic etiam anima mediante operatione consequitur terminũ, & statum sibi connaturalem: v. g. anima vegetatiua augmentum, & sensitiua, ac intellectiua, cognitionem suorum obiectorum, & veritatis, & suam beatitudinem, & bonum concupitum, & totam suam perfectionem, mediante appetitu, desiderio, & fruitione: sed potentia media qua elementa mouentur est grauitas, aut leuitas, quæ sunt accidentia, ergo id quo anima operatur viraliter proximè est potentia quædam accidentalis, & non ipsa anima, probatur minor. Tum quia grauitas sentitur, & percipitur sensibus, nã lapis manu eleuatus habere grauitatẽ sentitur, & quod magis est, si panis consecratus eleuaretur, puri modo sentiretur grauitas, & tamen ibi non est substantia panis, & idem dico, quoad elementa si consecrarentur; & idem etiam operarẽtur quoad calefacere, infrigidare, & cæteras operationes, ergo sine substantia esset ibi potẽtia proximè operatiua; ergo substantia harum substantiarum, non est immediata operatiua potẽtia, aut motiua: consequentia autem videtur bona: si enim datur aliqua substantia, quæ non possit esse immediatè operatiua, cur anima

ma erit immediatè operatiua? imò multo minus siquidē est magis indifferēs ad rationes diuersæ operationis, elementa vero sunt omnino determinata ad vnū genus operationis; ergo minus indigēt superaddito determinatiuo, cum ad locum naturalē vnicè tēdant, §. Nec obstat, quod animæ mouentur à se, & elementa à generante, nā hoc suadet oppositū: si enim non viuentia mouentur à generante, & ab eo datur inclinatio ad locū in forma ipsa, se ipsa mouebitur, & moueri ab intrinseco in viuentibus potius arguit oppositum, vt ait D. Thom. q. de spirit. creatur. art. 11. nam vna potentia mouet realiter aliam, v. gr. voluntas intellectum, & appetitus potentiam, loco motiuam; ergo cum idem non moueat realiter se ipsum, nisi sit pars mouens, & pars mota realiter distincta, vt patet in motu cordis; non poterunt potentiæ viuentium, non esse realiter distinctæ inter se, & per consequens ab anima.

15 Dices primo, quod in panis substantia distincta grauitas est, ab ea quæ est in quātitate, & hæc secunda sentitur sensibus, qui solum accidentia sensibilia percipiant, & quando in pane consecrato deest substantia sentitur grauitas quantitatis. §. Sed in primis arguo. Plura accidentia solo numero distincta nequeunt esse connaturaliter in eodem composito, ideoque ad disgredandum visum vna sola albedo ponitur, at illæ grauitates, vel leuitates solo numero essent distinctæ, quia essent eiusdē speciei, ad eiusdem speciei motū, & vbi; ergo. Tum etiam inquito, an cū mouetur panis cōsecratus, sit vnus numero motus, an plures: secundum dici non potest, quia idem mobile ad eundem locum, vnico tantum mouetur motu, si Philosophi sumus: primum autem, est incidere in nostram sententiam, vel contra principia notissima reluctari, nam ille motus accidentalis, recipitur mediante quantitate in mobili; ergo mediante illa fit, vel si fit etiā immediatè à substantia, duæ causæ totales respectu eiusdem numero effectus dantur, nec dabitur ratio, cur vna grauitas non sufficiat, vt recepta in quantitate ad motum illum: sicut ad immutandum oculum, & reddendum album totum subiectū: sufficit vna albedo. Dicere autem, quod quia anima perfectior est, immediatè operatur, non euacuat vim argumenti, nam in eadem proportione intellectio, & volitio sunt perfectiores motus, quam localis; ergo si elementa egent grauitate superaddita ad motum, & calore ad calefaciendum, etiam indigebit anima potentia accidentali superaddita ad operationem sensitiuam, & intellectiuam.

16 Et hinc colligitur, quod nec forma substantialis corporea vt organizata, erit immediatè operatiua vitæ accidentalis vegetatiuæ, & sensitiuæ, si enim non im-

mediatè operatur motum localē, neque calefactionem, cur poterit eadem forma organizata operari eiusmodi operationes vitales, quę perfectiores sunt.

17 Deniq; operationes vitæ vegetatiuæ, non efficit immediatè substantia animæ, sed potentia superaddita accidentalis; ergo nec cætera opera vitæ efficit, siquidē non est maior ratio: prob. antec. tria sūt opera vitæ vegetatiuę, nutritio, augmentum, & generatio, sed hæc non efficit immediatè anima, nec substantia, sed potētia accidentalis; ergo, prob. min. quo ad nutrimentum; ex Arist. lib. 2. de Anima, text. 50. vbi docet duo esse instrumenta, quibus anima nutritur alterum, coniunctum; & hic est calor: alterum separatum, & hoc est alimentum, sicut nauta manu, & temone regit nauem, & ait: *Id autem quo nutrit anima, duplex est; quemadmodum id quo gubernator gubernat, manus, & clauus, atque aliud mouet, atque mouetur: aliud mouetur tantum, necesse est autem omne nutrimentum, naturæ esse talis, quæ digeri possit, at digestionem efficit calor, quapropter omne animans habet calorem.* Ecce quomodo calor efficit digestionem alimenti nutrientis: estque quo immediatè fit nutritio, tanquam instrumento coniuncto animæ, licet id quod nutrit, seu digeritur, & connertitur in substantiā alti, at aliquid separatum, scilicet, alimētum, & ideō licet anima sit principium primum, & radicale nutritionis, non tamen proximum. Vide text. 38. & iunct. & senect. cap. vlt. & D. Thomam ibi, ergo verū est, quod neque anima, neque forma substātialis efficit immediatē nutrionē: de augmentatione autem clarius est, nam si nutritio, quæ est conuersio substantialis non fit à substantia, multo minus augmentatio, quæ ad accidens est: de generatione autem substantiali, probatur ex Aristotel. libr. 2. de gener. animal. cap. 3. vbi docet *calorem esse quo fœcunda fiunt semina*: ergo est quo, tanquam instrumēto coniuncto fit generatio seminis, quod est instrumētum separatum, quod etiam constat: nam cœlum mediante luce, & calore immediatè efficit, & generat animalia, quæ ex corruptione fiunt, & mineralia in viscēribus terræ: ergo generatio substantialis, fit mediantibus virtutibus proximis accidentalibus.

18 Post Scotum, & eius scholam asserentem de facto potentias animæ, non distingui ab ipsa anima realiter entitatiuē; modo recentiores, hique non pauci asserunt, nec de potētia Dei absoluta posse animam agere operationes vitales, mediande potētia accidētale entitatiuē distincta: Alij vero cum P. Valentia, quod saltem non repugnat fieri à Deo substātiam, & animam, quæ sit immediatē operatiua, & quia nonnulli affirmant se relinquere sententiam D. Thomæ, non quia rationes

eius

eius non sint satis efficaces, sed quia mens SS.PP. oppositum indicat, prius proponenda sunt testimonia, deinde vero rationes con. nostram conclusionem.

19 Arg. ergo 1. ex August. lib. de spirit. & Anim. asserente, *quod vires, & potẽtia animæ, idem sunt cum ipsa*, & infra, *secundum operis sui officia varijs nominibus nũcupatur*, lib. 10. de Trinit. cap. 11. *Memoria, intelligentia, & voluntas sunt vna vita, vna mens, & vna essentia*, & lib. 9. de Trinit. cap. 4. *Memoria notitia, & amor substantialiter sunt in anima, vel vt idem dicam, essentialiter*, & infra ibi. *Prædicta non sunt in anima, sicut in subiecto, vt color, aut figura in corpore, aut vlla qualitas aut quãtitas: quod enim tale est, nõ excedit subiectum in quo est mens autem potest alia amare, & cognoscere.* §. Confi. ex sancto Isidoro lib. 11. ethimolog. cap. 1. *Anima dũ viuificat corpus, anima est, dũ vult voluntas, dum intelligit mens.* §. Confir. 2. ex Bernardo serm. 11. in Cant. *In anima tria intueor, memoriam, intelligẽtiam & voluntatem, & hæc tria sunt ipsa anima.* §. Resp. in primis librum de spirit. & anim. non esse August. sed cuiusdam Cisterciẽsis Patris, qui ita opinatus est, vt docet D. Th. q. vnica de Anim. art. 1. ad 2. & ar. 12. ad 1. & alijs, quam plurimis locis, vt notat Bergomensis in tab. aurea; ver. liber num. 4. qui decem, & septẽ loca assignat; in quibus docet D. Thom. illum librum non esse autenticum, imò eius auctorem, nõn intellexisse dicta SS. quæ refert, testatur D. Thom. de spirit. creatur. art. 11. & 1. & dicit librum esse apocriphum explicare tamen potest cum D. Thom. p. p. qu. 77. art. 1. ad 1. & qu. vnica de Anima art. 12. Quod intellectus, memoria, & voluntas dicuntur ipsa anima, non quidem entitatiuẽ, sed sicut partes potentiales solent denominari à toto potentiali, & totum prædicari de illis secundum totam essentiam, licet nõ secundum totam virtutem, & sic SS. PP. explicant per modum exempli deficientis quomodo tres personæ distinctæ realiter sunt vnum in essentiã, ex eo quod memoria, intellectus, & voluntas realiter distinguatur, & tamẽ sunt vnum in anima, & sunt ipsa anima, non quidem vnum in illa in actu, sicut tres personæ sunt vnum actum in essentia, (alioquin non esset exemplum deficiens) sed vnum vt partes potentiales; sic respondet D. Thom. qu. vnica de Anima, art. 12. ad 8. & sic manet explicatũ testimoniũ August. in lib. 9. & 10. de Trinit. & etiam testimoniũ Bernardi, & p. p. q. 77. art. 1. ad 1. addit S. Doctor, quod mens, & amor dicuntur vna essentia, & vna vita cum anima, quatenus anima amat, & intelligit se; sic enim obiectum fit idem cum intellectu, & voluntas in rem amatam transformatur. Ad 3. testimonium August. Resp. D. Th. p. p. q.

cit. ad 5. *quod notitia & amor nō sunt in anima, sicut in subiecto, si comparentur ad illam, non sicut ad amantem, & intelligentem, sed sicut ad amatam, & cognitam, & hoc modo procedit probatio Aug. quia si amor esset in re anima sicut in subiecto sequeretur quod accidens transcenderet suum subiectum, cum etiam alia sint amata per animam.* Hæc D. Thom. Ad testimonium D. Isidori, iam patet ex dictis, quomodo anima dicatur de illis potētijs, per modū totius potentialis, & quod non secundum totam virtutem, sed secundum totam essentiam dicitur esse in intellectu, voluntate, & memoria, & exequi in illis, & per illa, diuersa officia. Vide D. Tho. q. de spiritual. criaturis art. 11. ad 8. & 11.

20 Philosophus in ethic. docet (& est 2. arg.) quod *homo est intellectus*: sed non nisi ratione animæ; ergo, quia anima est intellectus, & sic non distinguitur intellectus ab anima. Tum etiam ipse Arist. lib. 2. de Anima, text. 7. docet quod anima est actus primus corporis, non sicut contemplatio sed sicut scientia, sed scientia est immediatum principium operādi actum scientificum; ergo anima est immediatum principium operādi vitaliter. §. Resp. D. Thom. q. vnica de Anima, art. 12. ad 13. quod homo dicitur intellectus (per sinedochem simul, & antonomasiā) quatenus intellectus est præcipua pars potentialis animæ, sicut Rector Ciuitatis, Ciuitas dicitur. Ad 2. ibidem ad 14. Respond. Quod exemplum non adducitur quantum ad omnia, sed quantum ad esse actum primū, vt cōdistinguitur ab actu secundo: alioquin etiam posset argui, quod anima est accidens; quod verò non intendat ibi Arist. animam esse immediatè operatiuam constat, quia illico subiungit quod animam est actus corporis physici organici potentia vitā habentis: & talis planè, vt partes ipsius sint instrumenta; partes verò plantarum instrumenta, sine cō troversia sunt; si ergo partes animæ, v. g. intellectus, voluntas, potentia vegetatiua, & sensitiua instrumenta sunt, distincta sunt entitatiuè ab anima; ergo illis instrumentis ad hoc coniunctis à natura operatur proximè anima; & non immediatè per se ipsam.

21 Tertio loco adduci possent omnia argumenta, quæ adduxi in Phys. à quibus tamen abstineo, cū iam illis plenè satisfactum sit. Attamen ad vbertatem Doctrinæ, videri potest D. Thom. q. cit. de Anima Arist. 12. ad 12. & p. p. quæst. 77. Arist. 1. ad 2. & de spirit. creat. art. 12. ad 15. & A. 11. ad 12. & Ar. lib. de Anima tex. 36. & 37. & insuper Caiet. p. p. quæst. 77. A. 1. §. ad id quod 2. Vide alio modo Arg. 3. potest dari anima, quæ eminenter formaliter cōtinens omnem perfectionē, & gradum substantiæ inferioris,

vt

vt patet in anima vegetatiua respectu formæ corporeæ in sententia Thomistica, & in sensitiua respectu vegetatiuæ, & intellectiua respectu sensitiuæ; ergo à fortiori poterit anima cõtinere perfectionem potentiæ vitalis accidentalis; ergo poterit se ipsa præstare, quod operetur anima immediatè vitaliter, identificando in se potentiam proximam, & immediatam. §. Resp. concesso antecedenti, negando consequentiam; nam ex eminentia animæ superioris benè colligitur identificari posse, perfectiones sui generis, non verò ea quæ sunt alterius generis, & necessario inuoluunt imperfectionẽ, habendi specificationem ab operatione accidentali, vt iam probatum est.

22 Arg. 4. Si anima distingueretur à potẽtijs vitalibus, possent ab illa separari à Deo, sed hoc est impossibile; tum quia sequeretur posse intellectum separatũ ab anima vitaliter videre Deũ, & beatificari; quod implicat, cũ vitalis operatio debeat esse à viuente, & ab intrinseco. Tum quia D. Thom. quæst. de spirit. creaturis, artic. 11. ad 7. docet quod *non potest intelligi substantia, sine propria passione, quia hoc est repugnantia intellectuũ*, & q. de Anima, art. 12. ad 7. *sint potentijs anima animam esse, nec est possibile, nec intelligibile*, at solũ quod inuoluit manifestam repugnantiam, & cõtradictionem est in intelligibile; ergo & hinc probatur D. Thom. sibi esse contrarium: & quod non distinguuntur potẽtiæ ab anima; nam obiectũ intellectus est, quod quid est, vt dicitur in 3. de Anima; ergo quidquid est, sine quo res intelligi nõ valet est de essentia rei, si ergo essentia animæ, sine potentijs intelligi, non potest secundum D. Thom. sequitur potẽtias animæ esse de eius essentia. §. Resp. in primis cum Caietan. p. p. q. 54. art. 3. §. *Ad 3. autem*, negata sequela: quia materia distinguitur realiter à forma, & tamen repugnat existere sine illa, & in sententia Scoti totum distinguitur à partibus, simul sumptis, & tamen non potest separari ab illis, etiam de potentia Dei absoluta, quia ad separabilitatem, non sufficit realis distinctio, sed insuper requiritur non esse dependentiam essentialem, saltẽ ex parte vnius extremi, qualiter pendet passio ab essentia: quod autem hoc secundum possit defendi tenent Bannez p. p. q. 77. dub. 1. ad 4. & Soncinas 8. Metaph. q. 1. cuius oppositum tuetur Ferrara 4. cont. gent. cap. 65. cum Capreol. in 4. distin. 44. q. 3. de argum. Duraud. qui asserunt hanc separationem non repugnare. Sed ea data, potentia operatiua, operari non posset, quia deficeret influxus radicalis formæ requisitus ad operationẽ, quia potentia est instrumentum, & sine influxu principali operari non potest, & cum sit instrumentum vitale, requirit coniunctionem cum primo principio vitæ.

§. Ad prob. desumptas ex doctrina D. Thom. resp. (ex ipso ibidē) intellectum per simplicem apprehensionem attingere quidditatē rei, & sic bene potest intelligi essentia sine proprietatibus, quia sunt extra essentiam, at intellectu componente, & diuidente non potest, quia verè nō potest negari ab intellectu, quod homo non sit risibilis, aut intellectiuus, & hoc facere verè est impossibile, quidquid sit de separabilitate reali, vnius ab alio de potentia absoluta.

23 Arg. 5. Quod est principium differentiæ substantialis, est substantiale, sed esse vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum, sunt differentiæ substantiales animæ; ergo à principio substantiali prouenit ratio vegetatiui, & sensitiui, & tamen hæ denominationes sunt in linea operatiua, & vitali; ergo. §. Respondet D. Th. locis cit. quod esse vegetatiuum, & sensitiuum sunt differētiæ animæ, quatenus dicunt esse substantiale viuentis vegetatiui, & sensitiui, licet per lineam operandi explicētur, quia hæc est nobis notior, vt Arist. & D. Thomas hoc 2. lib. text. 12. §. Sed contra. Quod est principium essendi, est principium operandi; ergo si substantia est proximum principium essendi, est etiam proximum principium operandi, si dicas cum D. Thom. cit. q. de Anima ad 1. non esse eādem rationem, quia sunt diuersæ lineæ: & principium proximum influit immediatè in operationē: ideôque præstari nō potest à substantia. §. Contra est, quo substantia necessario debet influere, influxu radicali, vt principium proximum operetur; ergo non est, cum non possit proximè influere, probant, nam principium proximum sine radicali esse non potest. §. Resp. Animam non influere actione distincta ab ea, quæ est in potentia, quādo dicitur influere, radicaliter: sed eatenus dicitur influere quatenus potentia proxima, & virtus eius intrāsitiuē, semper operatur, cū subordinatione ad suam radicē, cum qua est coniuncta: quod in sententia Scoti negari non potest, nam ipse asserit per subordinationē extrinsecam, posse fortificari agens ad quod ante non poterat; ergo vt intelligatur animam influere radicaliter in potentiam proximam, non requiritur, quod operetur aliqua actione distincta, sed sufficit quod operetur cum subordinatione ad animam, cum hæc non solum sit extrinseca, sed intrinseca, per constitutionem, & radicationem.

24 Arg. 6. Saltem anima debet esse principium immediatum generationis substantialis; ergo aliqua anima operatur identificando potentiam proximē operatiuam; prob. antec. forma in qua genitum assimilatur generanti, est principium, & ratio generandi; sed genitum assimilatur generanti in forma substantiali; ergo

ergo forma substantialis, & anima est principium, & ratio proxima generandi. §. Si dicas genitū formaliter assimilari generanti in principio quo primo, & radicali, non verò in proximo, quia hoc est instrumentū animæ, & de ratione instrumenti, non est quod ipsi assimiletur effectus, sed potius formæ agentis principalis. §. Cō. est. Quod instrumentum non mouet, nisi motum; ergo si potentia generatiua accidentalis, immediatè effecit generationē, ideò est, quia mouetur ab anima; ergo anima immediatè mouet talem potentiam ad agendum; ergo immediatè efficit motum; ergo est immediatè operatiua. §. Confir. 1. causa principalis, & instrumentalis, sunt essentialiter ordinatæ per modum superioris, & inferioris; sed causa superior, & vniuersalior, v.g. Cœlum, & Deus, etsi mediante causa secunda operentur, hoc tamen non tollit quod immediatè, imò prius natura attingatur effectus à causa vniuersali superiori; v.g. ab influxu Dei, & Cœli: ergo quod substantia generet aliam substantiam, mediante potentia generatiua accidentali, tāquā instrumento, non tollit, quin substantia generet immediatè, & suo influxu proprio sui ordinis per prius attingat effectum. §. Confir. 2. nam si prius natura attingit substantia effectum; ergo superfluit causalitas instrumentalis potentiæ accidētalis; ergo nō deber poni potentia accidentalis generatiua superaddita substantiæ. §. Denique. Ad quod non se extendit virtus instrumēti, necesse est extendi operationem causæ principalis, sed nullum accidens habet virtutem producendi substantiam; ergo operatio eam producens est propria substantiæ, & ab illa immediatè. Si respondeas cum D. Thom. q. vnica de Anima art. 12. in corpore, quod cum potentia creata non respiciat substantiam, & talem in ratione producibilis, sed solū mediāte transmutatione materiæ, per alterationem ex qua sequitur generatio, & sic ex parte principij, non est actio à substantia, sed mediante potētia accidētali operatiua, seu alteratiua. Con. est, tum quod materia est substantia, at nullū accidens habet proportionē actiua m respectu substantia, ergo non potest immutare materiam primam per se, sed hoc immediatè competit substantiæ. Tum quia dato quod actio alteratiua, sit à potētia accidentali immediatè, tamen actio generatiua erit immediatè à substantia, quia hæc habet pro termino formali substantiam, & forma in qua genitum assimilatur generanti, debet esse principium generandi; ergo huius actionis, non est principium quo potentia accidentalis. Præterea satis probabile est, quod generatio non est resultātia alterationis; sed actio diuersa; ergo vt sic non est immediatè à principio alteratiuo, sed à substantia.

25 Resp. quod instrumentum separatum agens virtute transitiua causæ principalis, nō mouet nisi vt motum: at instrumentū quod natura sua est tale, estque ipsa virtus substantiæ intransitiuæ, ex vi dimanationis, non eget noua motione, sed solum applicatione, obiecti, & concursu Dei. §. Ad 1. confir. respōdet Caiet. p. p. q. 54. art. 3. vel negando suppositum, quia potentia, & anima non sunt duæ causæ stricte, sed causa, & quasi conditio causæ, & ideò non est necessarius duplex concursus, actio, vel influxus, sed vna actio, quæ radicaliter fit ab anima, & proximè à potentia accidentali, & sic tuunt omnes replicæ factæ in argumento 2. Respondetur, quod cum causa particularis, aut instrumentalis est separata, est necessarius ille duplex concursus, secus verò quando instrumentum est coniunctum, estque ex natura sua: ipsa virtus substantiæ; tunc enim potest producere substantiam: quia licet sit accidentalis vt quod, tamen vt quo, & intentionaliter est substantia, & eiusdem ordinis; vt de seminibus docet Aristot. 12. Met. text. 40. §. Ad replicas con. vltimam responsionem dicitur, quod illa duplici actione data; vtraque est proximè à potentia generatiua accidentali, ita vt alteratiua sit ab accidente; virtute propria principali, generatiua vero quatenus talis potentia est virtus substantiæ intransitiuè: & sic non habet substantia actionē, quæ fit ab ipsa immediatè: transmutatio autem materiæ quatenus alteratiua, non subiectatur immediatè in materia prima, vt dixi in lib. de generatione, & ideò potest esse ab accidenti: vel dic etiā sub hac ratione esse à potentia generatiua, vt est virtus substātiæ intransitiuæ.

26 Arg. 7. à recentioribus. Nihil est in intellectione, quod nō possit esse ab anima præter determinationem, quam habet à specie impressa, sed natura horret superflua: ergo posita anima, & specie eam informante, non est superaddenda potentia accidentalis, probant: In intellectione, hæc sunt prædicata; esse actum intellectiuum vitalem, in tale obiectum; sed anima habet perfectissimè esse principium vitæ intellectiuæ, & species determinat ad tale obiectum; ergo, §. Tū etiamsi intellectus, & voluntas, realiter inter se, & ab anima distinguerentur, non posset amare voluntas; sed hoc est contra fidem asserentem voluntate nos posse amare Deum, & proximos: ergo probatur sequela. Non potest amare voluntas, nisi realiter moueatur ab obiecto apprehenso: at si intellectus est realiter distinctus ab anima, & voluntate, per hoc quod cognoscat bonum, tale bonum non potest realiter immutare, nisi intellectum: nam mouendo ipsum in esse apprehenso, non potest mouere, quod non est ipse:

ipse: ergo. §. Resp. quidquid est in actu intellectionis præhaberi quidem in anima radicaliter cõc. proximè, nego, & ideò absque superfluitate ponitur potentia proxima accidentalis. Vide ad rem (& considera eius verba) D. Thom. 1.2. quæst. 110. art. 4. ad 4. & q. de spirit. creat. ar. 11. ad 17. & negat suppositũ, quod species repræsentatiua possit immediatè determinare animam, & quod non exigat intellectum superadditum accidentalem: de quo D. Thom. qu. de Anim. art. 12. ad 11. §. Ad 2. quod vt bonũ per modum finis moueat methaphoricè voluntatem ad amorem sufficit realis radicatio vtriusque potentiæ in anima, & realis connexio, quam habet intellectus cũ voluntate, sic enim applicat finem voluntati, & finis eam mouet, sicut agens diuersum à passo, in physicis applicando ignem causat cõbustionem.

27 Arguunt 8. Neotherici ad probandum, neque de potentia Dei absoluta posse distingui potentias vitales, intellectiuas, à substantia animæ, saltem intellectiuæ, & probatur argumento proximo proposito, addendo quod non imputaretur voluntati peccatum, si non esset idem, ac intellectus, quia nunquam cum aduertentia peccaret, ac perinde numquam voluntariè: quasi non sufficiat quod peccans, hoc aduertat per intellectũ, & quod intellectus applicet illi libere bonum delectabile, & cum indifferentia, vt si velit prosequatur illud, sin autem respuat. Sed instant. Principium volitiuum debet esse essentialiter cognoscitiuum, vt liberè velit; ergo si intellectus distinguitur à voluntate, non poterit ipsa libere velle, & dicunt antecedens, esse à nemine negatum, quod est risu dignissimum: quia enim vnquam fassus est principium volitiuum, esse essentialiter cognoscitiuum formaliter, sumendo principium: quo nam potentia est principium quo agens agit: & voluntas nominat principium quo, vt exponit D. Tho. quæst. vnica de Anima art. 12. in principio corporis: at sic sumendo principium vt hic loquimur (quod æquiuocare ignorantium propriam vocem est) nec Scotus dicit voluntatem formaliter esse principium cognoscitiuum, nec fides docet, quod principium quo producitur in diuinis Spiritus Sanctus sit cognoscitiuum formaliter, quia procedit per voluntatem formaliter, non per intellectum: & ideò dico: principium volitiuum est cognoscitiuum: distinguo, principium quod vel quo radicale, concedo: principium quo proximum, vt dicit voluntatem, nego; quia voluntas est potentia cæca: videat ergo qui hoc fundamento ostendere præsumit nouam repugnantiam, an vtatur principijs à nemine negatis, quando reuera (quod nec ipse potuit ignora-

re) procedit à principijs à nemine hucusque concessis in terminis potentiæ volitiuæ, qui sunt termini huius.

28 Quæres in calce huiusque. An anima saltem partialiter, cum potentijs accidentalibus, possit immediatè operari actus vitales.

Responsio est negatiua, constat ex dictis tota quæst. præsenti, & in 12. lib. Phys. Sic Cajet. p.p.q. 54. & q. 77. art. 1. & alij quos referunt, & sequuntur Salas cap. 2. tom. 1. tract. 2. estque D. Thom. p.p.q. 79. artic. 1. Prob. Tunc solum immediatum principium operandi est ipsa essentia rei, quando ipsa operatio est eius esse. Sed nullius creaturæ operatio, etiam partialis, potest eius esse identificare; ergo. Constat ex testimonijs relatis per totam hanc quæst. hoc enim probant eius rationes, & videri potest in 1. distinct. 3. q. 4. art. 2. ait enim: Ab anima cum sit substantia nulla operatio egreditur, nisi media potētia. §. Id quoque suadent rationes factæ in hac quæst. & quod si semel possent substantia immediatè partialiter elicere operationem superflua esset potentia accidentalis, cum nulla formalitas sit in operatione, quæ ab ipsa substantia effici non posset.

29 Oppositam tuetur P. Suarez, cui plures recentiores cōsentiunt, & probant argumentis, quę ferè sunt diluta ex dictis. Si anima non concurrit immediatè saltem partialiter, ad operationem vitalē, nec posset verificari, quod homo viuit per illam operationē, neque quod beatificatur per visionem Dei, neque quod mereatur per bona opera, aut peccet per prauas, sed hæc sunt absurda; ergo. Probāt maiorem, si tales operationes non eliciuntur, neque recipiuntur in homine, mediante anima saltem concurrente partialiter; ergo nec ipse homo in se agit, aut recipit, sed potentia accidentalis est, quæ agit, & recipit operationem; ergo qua ratione homo non est albus in se, quia albedo recipitur; estque in quantitate, eadem ratione, non diceretur hominem viuere in se, beatificari, aut mereri, sed quod formaliter hoc præstat sola potētia accidentalis. §. Confirm. de ratione actus vitalis, vt denominet, est quod fit ab intrinseco; ergo si actio vitalis nō exit ab extrinseco hominis immediatè saltē partialiter, non erit ipse, qui immediatè viuit, & beatificatur. §. Respond. quod vt homo viuat, beatificetur, mereatur, & peccet actibus vitalibus, nō requiritur, quod anima immediatè per se ipsam operetur partialiter, sed quod hoc præstet per suas potentias, quæ sunt instrumenta radicata in ipsa, virtutesque naturales; nam si occisio hominis facta gladio, animā reddit homicidam, quanto magis potentiæ operantes, vt partes potentiales, & virtutes intrinsecæ, hoc præstabunt; maximè cum anima præstet influxum radicalem, &

totus homo, vt quod concurrat ad operationes, quatenus constat anima, quæ est principium quo. Ratio est, quam reddit D. Tho. p. 2. q. 17. art. 5. ad 2. quia quodlibet membrum, non sibi soli, sed toti composito operatur, & ad hoc institutum est à natura: sicut oculus toti corpori videt, & voluntas est inclinatio totius suppositi, & intellectus toti animæ intelligit, & sic potest etiam dici, quod operationes vitales recipiũtur, vt quod in anima: si illi competunt, aut in composito, sed mediantè potentia vt qua recipitur, & sic homo dicitur albus per albedinem, quia in eo recipitur, vt quod licet id quo recipitur, sit quantitas, vt docet D. Thom. p. 2. q. 56. artic. 1. ad 3. & de spirit. creat. art. 11. ad 13. Quod si defatigatur homo, si plures operationes repetat, & minus intensè operetur, si ad plura diuertat; nõ est, quia immediatè proximè influant anima, sed quia radicaliter, & virtute finita, & instrumenta lassantur, nec singulis adesse potest æque operãtibus, adest enim virtus animæ in potentijs, licet intranſitiuè.



## QVÆSTIO XIX.

*Videlicet Animæ potentiæ specificentur per actus, & ipsi actus per obiecta, & qua ratione ex distinctione formali obiectiua, possit colligi realis distinctio potentiarum animæ?*

SPecificatio, vt nomẽ ipsum sonat, speciem facere est, vnde specificatiuum illud est à quo rerum species, & quidditas sumitur; speciem vero dare proprium est formæ, maximè autem animæ, vt docet Aristot. hoc lib. 2. text. 2. vnde sicut alia est forma intrinseca, alia extrinseca; ita etiã specificatiuum duplex est intrinsecum, & extrinsecum; exemplum primi est forma substantialis, vnde tanquam à primo principio, actualitas specifica desumitur. Species secundi est exemplar respectu rei artificiatæ. Cum autem species ab eo, quod actualitatem dicit, desumatur vt docet D. Th. p. p. q. 53. art. 1. & finis det omnẽ actualitatem, & perfectionem, sequitur quod id, quod est finis ex natura rei, respectu alicuius, si sit proprius talis rei habeat etiam rationem specificatiui extrinseci. Cum autem obiectum sit finis potentiæ, & actus operatiui, vt docet D. Thom. in 1. dist. 8. 1. q. 2. art. 1. ad 2. habet rationẽ specificatiui extrinseci respectu actus operatiui, & ipsius potentiæ operatiuæ, vt infra ostendam. Nec solum

solum est obiectum finis proprius potentiæ, & actus; sed etiam habet rationem formæ, vt expendit D. Thom. q. 73. art. 3. ad 1.

2 Dicendum 1. Potentiæ vitales specificantur per actum, seu per ordinem ad illum, sic communiter Thomistæ, & plures Scotistæ. Prob. Per id specificatur aliquid per quod diffinitur, & cognoscitur tanquam per rationem à priori; sed potentia vitalis diffinitur per actum vitalem, tanquam per rationem à priori; ergo specificatur per actum vitalem. Maior constat, quia per quod diffinitur aliquid à priori, est 1. ratio in ordine ad quod habet quid ditas esse; ergo est à quo esse specificum quidditatis, tanquam à 1. principio, seu ratione dependet; ergo est eius specificatiuum, consequens autem bona est, & ideò prob. min. ex Aristot. lib. 2. de Anima, text. 33. vbi ait, quod priusquam explicetur, quid sit intellectiuũ, aut sensitiuum, prius exponẽdum est quid sit intelligere, & sentire. Nam operationes, actionesve, potẽtijs, viribusque priores sunt ratione, ideſt, diffinitione, vt ibi D. Thom. & alij interpretes exponunt; ergo mens Aristot. est quod actus sunt priores diffinitione potentijs operatiuis, sed quod prius est diffinitione, à priori ostendit quidditatem, & naturam rei; siquidem si formanda esset demonstratio à priori, per diffinitionem debebat procedere, sicut per illud quod prius est in diffinitione (quo sensu Aristot. 2. poster. docet, quod diffinitio demonstratio est positione differens) ergo min. assumpta Arist. est.

3 Si dicas cum Themist. Philopono, & Simplicio, & alijs, quod solum debet intelligi Arist. de prioritate quoad nos, non verò secundum se; sic enim actus, nõ à priori diffiniunt potẽtiam, quia sunt effectus potentiæ, & per cõsequens solum à posteriori eam possunt diffinire, & habere prioritatem, vt ducant in cognitionẽ potentiæ. Cõtra. est quod Arist. ibidem, eodem modo docet obiecta esse priora, ratione, seu diffinitione actibus; quo dicit actus esse priores potentia; & hac ratione, sicut ad cognoscendum quid sit sensitiuum, & intellectiuum, necesse est prius cognoscere quid sunt actus sentiendi, & intelligendi, eodem, inquam, modo docet prius agendum esse de obiectis, quam de actibus: at obiecta sunt priora actibus prioritate diffinitionis à priori, & prioritate specificationis: ergo etiam actus sic sunt priores potentijs, vnde etsi actus, vt sunt effectus potentiæ operatiuæ in genere causæ efficiẽtis, sint tantum notiores quoad nos, & in re posteriores potentijs, attamen vt sunt finis potentiæ, natura sunt priores, & diffinitione à priori antecedunt: idem autem esse prius aliquo, & natura & quoad nos, quatenus est prius, & posterius sub diuersa ratione docuit Arist. 6. topic. cap. 3.

4 Prob.

4 Prob. eadem min. rat. desumpta ex Doctr. D. Tho. p. p. q. 77. art. 3. essentia potentiæ, nec est, neque cognoscitur, nisi ad actum, sic enim actus est finis ponendi potentiam, vt infra ostendam, ergo actus est ratio à priori, demonstrandi potentiam, cum sit finis eius; quod vero actus sit prior potentia diffinitione, etiam constat, tum quia omnis potentia in quantum talis, & in eo genere in quo est potentia diffinitur per actum, ideôque materia per formam diffinitur, ergo etiam potentia, vt operatiua diffinitur per operationem. Tum quia actus est, qui distinguit ex Arist. 7. Met. text. 49. ergo etiam est, qui constituit: idem namque est constitutiuum, & distinctiuum, & illud quod, vel in ordine ad quod sumitur differentia, est de ratione diffinitionis rei, & cum diffinitio sit prior diffinito, sequitur quod si actus viralis, & operatiuus est in ordine ad quem distinguitur, & constituitur essentia potētiæ vitalis operatiuæ, sit prior diffinitione ipsa potentia, & sic potentia vitalis diffinietur per actum, tanquam per rationem à priori, & ab illo specificabitur. Tunc sic. Sed actus operatiuus, etiam diffinitur per obiectum formale, tanquam per rationem à priori: ergo sicut potentia specificatur per actum, ita actus per obiectum specificatur: prob. min. rat. D. Thom. p. p. q. 77. artic. 3. Vel obiectum actus est potentiæ puræ actiuæ, sicut est potentia vitæ vegetatiuæ: vel est potētiæ passiuæ, idest, quæ prius patitur ab obiecto, quã agat, vt est potentia sensitiua, & intellectiua: si 1. modo, obiectum est finis, & terminus actus, & sicut quemadmodum motus est ad terminum, tanquam ad finem, ita operatio est ad obiectum, tãquam ad terminum, & ad finem à quo sumit speciem: ergo sicut motus respicit terminum, & diffinitur per illum tamquam per rationem à priori: sic etiam contingit in operatione: si autem actus est à potentia 2. modo: tunc comparatur obiectum potentiæ passiuæ ad actum, sicut principium formale & causa mouens potentiam ad actum: color enim in quantum mouet visum est principium visionis, sed principium, & causa (formalis maximè) est prior effectu, & ratio diffiniendi ipsum; ergo actus potentiæ vitalis passiuæ diffinitur per obiectum formale, tanquam per rationem à priori; ergo quocunque modo consideretur actus potētiæ vitalis, specificatur ab obiecto formali: tunc vltetius. At non specificat actus potentiam operatiuam vitalem, nisi quatenus dicit ordinem ad obiectum formale, tanquam ad specificatiuum; ergo de 1. ad vl. potētia specificatur ab actibus ratione obiecti formalis.

5 Dicendum est 2. Potentiæ vitales specificantur per actus formales, & adæquatos, & actus per obiecta formalia, non verò per ma-

materialia. Hæc conclusio est D. Thom. pluribus in locis, quos assignat abundè Berg. in tab. v. nu. 58. Prob. rat. delumpta ex eodē D. Thom. Id debet esse specificativum potentiæ tribuens illi speciem, sub cuius ratione omnia alia obiecta, referuntur ad potentiam, hoc enim est proprium formæ dantis speciem continere, & in ordinem reducere, omnes partes quæ ad speciem reducuntur, vt docet Arist. libr. 2. de Anima, sed hoc est munus obiecti formalis, formaliter sumpti, quia formæ est determinare; ergo si potentiæ specificantur ab obiecto, non à materiali, sed à formali, debent specificari ab actus specificat potentiam, quatenus est tendentia ad obiectum, & denominatur formalis, vel materialis, quatenus dicit ordinem ad obiectum formale, vel materiale; ergo potentiæ specificantur per actus formales, & per obiecta formalia, non autē per materialia. 5. Conf. Stat potē tias, & actus formales diuersificari, etsi sint circa idem obiectum materialiter, & entitatiuē vnum, non alia ratione, nisi quia in vno, & eodem materiali, est diuersitas obiectiua formalis; ergo specificatio potentiæ, & actus non sumitur, nisi ab obiecto formali: prob. conseq. nam si inde nō sumeretur, sed ex obiecto materiali, non esset ratio diuersitatis specificæ in actibus, & potentijs stante eodē obiecto materiali, prob. mai. in potentia generatiua, creatiua, & transubstantiatiua, quæ quidem circa eundem hominem diuersificantur specie, sicut & actus earū potentiarum, non alia ratione, nisi quia ratio terminandi actionem cuiusque ex his potentijs est diuersa formaliter, etiamsi sit idem homo specie, nam terminat creationem, vt ex nihilo, generationem, vt ex materia disposita ad vnionem animæ fit homo, transubstantiationem autem, quatenus ex alia totali substantia fit cōuersio in ipsam. Idem constat in hac concl. *Terra est rotunda*, quæ diuersas scientias specificare potest.

6 Dicendum est 3. Diuersitas specifica potentiarum, & actuum non sumitur ab obiectis, materialiter, & in esse rei diuersis, sed solum ab illis in esse obiecti formaliter diuersis. Est D. Thom. locis supra citatis, & alibi passim. Et prob. quia distinctio specifica in nulla linea sumitur à materia, sed à forma, quia sicut actus est, qui constituit, ita etiam actus est, qui distinguit; ergo si obiectum in linea obiecti, est quod specificat, & actus etiam in ordine ad obiectum specificat, & distinguit specificè potentias, sequitur hanc distinctionem, non posse desumi ab obiectis, & actibus materialiter diuersis, nisi quatenus sunt formaliter diuersi, & D. Tho. in 3. dist. 27. q. 2. art. 4. quæstiu. c. 1. ad 3. docet actus multiplicari numericè quatenus obiecta sunt distincta materialiter, non verò specie.

7 Con-

7 Confir. Quantumuis obiecta, & actus multiplicentur materialiter, semper actus & obiecta, sunt eiusdem rationis, & speciei, & eandem proportionem habent cum potentia, v. gr. quantumuis alba, & colorata multiplicentur materialiter, tamen non possunt, non conuenire formaliter, & in ratione colorati, & obiecti visibilis: nec habere eundem modum immutandi potentiam visiuam: quamobrem semper potentia visiua est vna in se, quia potentia dicitur ad actum, & obiectum; ergo si actus, & obiecta sunt eiusdem rationis formaliter, & eiusdē speciei intelligi, non valet diuersitas specifica in potentia: sicut quantumuis multiplicetur humanitas in materia diuersa, manet specie idem homo, quia ratio formæ, & speciei semper manet eadem, neque ea distinctio prouenit à principijs formalibus, & specificis, sed solum à materialibus: ergo si potentiæ distinguuntur, & habent speciem ad actus, & obiecta, intelligi non potest diuersitas specifica potentiæ vitalis solum posita diuersitate materiali actuum, & obiectorum, secundum diuersam materiam, & entitatem.

8 Conf. 2. Per hoc quod actus, & obiecta potentiæ visiuæ, variētur materialiter, semper manet idem visus, semper actus sunt eiusdem speciei visionis si sint circa album, ergo etiam manens eodem modo cum vnitate formali, etsi fiat circa album, & nigrum, quia proportio cum potentia visiua, & ratio visibilis, non sumitur à ratione albi, sed à ratione colorati; ergo idem erit in alijs potentijs, cum eadem insit ratio: nec maior ratio fit: cur eadem sit potentia, & eiusdem speciei actus ad hoc, & illud album, quæ materialiter multiplicantur: quam ad hoc, & illud coloratum, siue sit album, siue nigrum, cum ratio mouendi, & terminandi visionem nō sit album, sed coloratum: at hoc ipso quod obiectum non sit albū, sed sapidum exigitur diuersa specie potentia ad illud attingendū: ergo quia potentiæ specie distinguuntur, non secundum obiecta materialiter, & in esse rei diuersa, sed in esse formalis obiecti.

9 Confir. denique. Circa idē materiale ens, vt verum, & bonum necessario distinguuntur duę potentiæ specie diuersæ, scilicet, intellectus, & voluntas, sed non alia ratione, nisi quia ibi est diuersitas formalis in ratione obiecti, etsi sit identitas materialis; ergo.

10 Dicendum est 4. Ad diuersitatem non solum formalem, & specificam, sed etiam realem in potentijs ponendam, etsi requiratur diuersitas formalis rationis obiectorum; non tamen requiritur diuersitas realis, & entitatiua. Hæc conclusio est D. Thom. 1. p. q. 56. art. 2. ad 2. vbi reddit rationem à priori, quam infra dabimus, & q. 77. art. 3. vbi eo probat realiter distingui potentiam

ad

ad esse substantiale, & ad operationem, quia sunt actus ad quos per se 1. ordinãtur illæ potentiæ, sed si obiecta sunt formaliter diuersa, quamuis alias identificentur, semper stat ea ratio, scilicet, potentias per se 1. ordinari ad actus diuersos, secundum formale, in ordine ad quod attenditur specificatio potentiæ: quamuis materialiter sint idem, ad quod de materiali se habet potentia; ergo, &c. Vide D. Thom. q. 22. de verit. art. 10. ad 1. Aperte cõstat ab exemplo intellectus, & voluntatis, quæ sunt potentiæ realiter distinctæ; & tamen verum, & bonum, quæ sunt obiecta formalia, sunt idem entitatiuè, & prob. ratione D. Thom. Obiecta non sunt causa, seu ratio specificatiua potẽtiarum ratione entitatis materialis, sed ratione proportionis formalis, & coaptationis cum potentijs; ergo dum fuerit diuersa ratio coaptationis, & proportionis formalis, inferet diuersas potentias, etiam realiter diuersas: materialiter se habente identitate materiali, prob. conseq. nam quod de materiali, & per accidens se habet, etsi desit, non obest effectui, ac entitas, & distinctio entitatiua, per consequens se habet, de materiali, & per accidens ad distinguendas potentias, & solum diuersa ratio obiectiua se habet de formali; ergo si rationes obiectiuæ in illa entitate sunt diuersæ, nihil obest identitas entitatiua. §. Si dicas, quod nihil obest ad diuersitatem formalem potentiarum, obest tamen ad hoc, quod potentiæ specificæ sint distinctæ realiter. §. Contra est. Obiectiua ratio causat diuersitatem in potentijs, eamque infert per modum causæ, & mensuræ, at quo perfectior est causa, plures potest identificare rationes agẽdi diuersas, & potest inferre effectus diuersos in specie, & realitate, vt patet in causa æquiuoca; ergo identitas diuersæ rationis obiectiuæ in eadem entitate, non obest quin inferat potentias specie, & realiter diuersas. §. Tum etiam, quia sicut quo aliqua sunt idem cũ vno tertio sunt idem inter se: sic quæ sunt diuersa vni tertio debent esse diuersa inter se; sed ratio ob quam potentiæ vitales distinguuntur realiter ab anima, est quia specificantur ab actibus, & obiectis, non materialiter, sed formaliter sumptis; ergo etiam ratio quare inter se distinguuntur realiter illæ potentiæ est, quia actus, & obiecta sunt formaliter distincta. §. Denique. Immediatè specificantur potentiæ per actus, sed per hoc solum, quod obiecta formalia sint distincta formaliter, etsi entitatiuè non sint diuersa, sunt actus formales, & adæquati, ne dum formaliter, verum realiter distincti; ergo etiam potentiæ erunt realiter diuersæ; ergo distinctio virtualis, seu formalis in obiectis infert distinctionem realem potentiarum.

Si inquiras, qua via cognos-

noſcatur obiecta eſſe formaliter adæquatè diſtincta in ratione obiecti, cum diuerſitate ſufficienti ad diuerſificandas, & variandas potentias vitales? Reſpondet D. Tho. quod genus diuerſum obiectorum in quantum obiecta ſunt, diuidit genus potentiarum; v.g. ſenſibile, & intelligibile; at differentiæ eſſentiales obiectorum in quantū talia ſunt, diuidunt ſpecies potētiarū intra idem genus; v.g. quia viſibile, & audibile intra genus ſenſibile importāt differētias eſſentiales differre faciunt viſum ab auditu ſpecie in ratione potentiæ intra genus potentiæ ſenſibilis; quod ſic prob. Propriū, & formale obiectum potentiæ eſt illud ſub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam, & hac ratione ſpecificat potentiam eſtque de eius diffinitione, quia etſi non ſit eius genus, aut differentia, eſt tamen id ad quod tota eſſentia dicit ordinem; vt explicat Cai. p. p. q. 77. art. 3. & 3. de Ani. cap. 3. ergo quia ratione aliqua obiecta cōueniunt, aut differunt in ratione immutandi potentiā, aut reddendi rationem referendi omnia obiecta ad potentiam, ſeu potentiam ad obiecta, differunt potētię; ergo ſi obiecta afferūt rationes eſſentialiter differētes, ſub eadē ratione generica, faciunt potentiam ſub eodem genere diſtinguiſpecificē, ſi autē ratio obiectiua ſit diſtincta genericē, ſeu in diuerſo genere, ipſæ potentiæ genere differunt; inde quia bonum, & verūm non ſunt rationes genericè differentes, ſed quaſi primo diuerſæ, vel totam habēntes ſubordinationē tranſcendentalem in ratione entis: tanquam eius proprietates; ideō intellectus, & voluntates ſunt potentiæ ſubordinatæ, quidem, ſed quaſi genere diuerſæ, ſicut intelligibile, & appetibile differunt, vt docet D. Tho. q. 22. de verit. ar. 10. ad 2.

12 Inquires 2. Si verum eſt, quod actus per obiecta ſpecificantur, & per conſequens, etiam potentiæ per obiecta ſpecificantur, & diſtinguuntur, quomodo verum eſt id quod pluries repetit D. Tho. quod actus ſpecificantur à principio agendi, ſeu à motiuo, quo agit potētia? Reſp. in primis in idem recidere; nam obiectum duo habet munera, reſpectu potentiæ, & mouere ad agendum, & terminare eius actum, & ſic habet rationem principij, & finis; & ſub vtraque ratione ſpecificat potētiā, ſic enim obiectum habet rationem formæ, ſeu formalis principij ſpecificatiui, & ſimul rationem finis formalis, vt docet D. Tho. p. 2. q. 9. art. 1. in fine corp. & q. 18. art. 5. Itaque potētia dupliciter poteſt conſiderari, vt mota, & vt mouens, vt paſſiua, & vt actiua, 1. modo principium eius eſt obiectum mouens; 2. modo obiectum eſt eius terminus; quia ſic mouetur ipſa potentia, & terminus ſpecificat motum, & potētiam vt motiuam, vt dicitur 5. Phyſ. tex. 4. omnis autē potentia

operatiua creata habet vtrumque, scilicet, esse passiuam, & actiuam; quia sicut nihil datur in creatis, quod sit purus actus, sic nec datur potentia purè actiua; ideoque nō habet in se adæquatū principiū formale agendi, sed dependenter ab obiecto extrinseco, & sic finis eius est coniungi cum suo obiecto, & principio, quia perfectio cuiuslibet rei, est cōiungi cū suo principio actiuo, à quo habet æqualitatem, vt docet D. Tho. p. p. q. 12. a. 1. in corp. ratione 2. & sic actio ex principio, & termino speciē desumit, id est, ex obiecto motiuo, & terminatiuo, & per prius ratione inadæquata à principio, quam à termino; quia prius est esse ab aliquo agēte, quā ad aliquid, licet ex vtroque adæquetur. Vide D. Tho. q. 6. poten. a. 8. & p. p. q. 77. art. 3.

13 Sed con. 1. concl. arg. 1. ex D. T. 2. lib. de Anima, l. 6. ad tex. 33. vbi docet, ideò ad cognoscendam animam sumi notitiā ab actibus, & obiectis, quia non cognoscit intellectus animam per seipsam, nam si hoc posset, contrarius ordo esset seruandus, in cognitione animæ, quia quanto aliquid est propinquius animæ, tanto perfectius cognosceretur ab ea: ergo sentit potētias animæ nō specificari per actus, & obiecta, nec ex natura rei diffiniri per illa, tanquam per rationem à priori, sed solum quoad nos pro hoc statu, & ratione cognitionis imperfectæ. ℣. Resp. Quod potentiæ animæ possunt considerari, vel in quantum sunt proprietates eius, & sic ordine naturæ, per animam in se directè cognitam, cognoscitur prius potentia, & deinde actus, & tandem terminatio ad obiectum, quia hoc ordine dimanant ab anima, & hoc est, quod docet D. Thomas, at si considerētur potētiæ quatenus ad obiectū dicuntur, & ad operationē; sic à priori specificantur, & diffiniuntur, & cognoscuntur quidditatiuè potētiæ per actus, & actus per obiecta, & hanc esse mentem D. Thom. constat, quia vbicumque agit de specificatione, & distinctione potentiarum, hoc probat ex illo text. 33. eo quod Philosophus ait obiecta, & actus, esse priora potentijs, & per ea diffiniri, & cognosci, quod quid est potentiarum, vt videre est p. p. q. 77. art. 3. & alibi passim.

14 Arg. 2. Ad idem. Potentia actiua est independens, ab actu, & causa illius; actus autem pendet essentialiter à potentia, tanquam à causa in qua eminenter continetur; ergo potentia actiua perfectior est, & natura, ac diffinitione prior actu; non ergo specificatur per actus, sed potius è conuerso. ℣. Conf. qui comprehendit potentiam actiuam, & eius virtutem actum cognoscit, & eius naturam à priori, & perfectissimā demonstratione comprehensiua: qui autem comprehendit effectum, non ideò comprehendit causam; siquidem probabile est, quod ex com-

comprehensione collectionis omnium possibilium, non sequitur comprehensio diuinæ Omnipotentiæ (quod, & defendit M. Arauxo tom. 1. in p.p.) ergo potentia actiua ex natura rei, potius specificat actũ, quã ẽcontra; at potentiæ vitales, vt respiciũt actus sunt actiuæ; ergo vt sic non specificantur per actus, & obiecta, §. Resp. quod actus sunt depẽdentes à potẽtia actiua, & posteriores illa, & eriã obiecta, si fiant operata quædã, vt est domus respectu artis domificatiuæ, & termini actionũ trãseuntiũ; sed sunt dependentia, & posteriora in genere causæ effectiuæ, non autem in genere causæ formalis, & finalis, sic enim quoad exercitium, & exequutionẽ finis pendet à medijs: sed ordine intentionis, & specificationis medium pendet à fine, & à forma, etiam extrinseca, quod formatur ab illa: potentias autem esse quasi instrumenta, quorum finis est actus, & obiectum, docet D. Thom. p. p. q. 77. art. 3. & Arist. quod visus est propter visionem, de quo in l. 3. §. Ad conf. Resp. instando, nam etiam, qui comprehendit potentiam passiuã ex vi cõprehensionis eius cognoscet actum, & tamen actus est prior diffinitione potentia passiua, & diffinit eius quidditatem: dicendum ergo est, quod comprehendens potentiam operatiuam, quæ dicit ordinem dependentiæ ab actu, & obiecto, non ideò comprehendit obiectum, & actum, nisi quoad an est, quia solum continetur in virtute causæ in genere causæ effectiuæ, vnde si comprehendit potentiam operatiuam, vt est in determinata specie, & ordine specificationis, necessario debet incipere ab obiecto, & actibus, vt sic comprehendat quidditatem causæ: ita quod illis semel cognitis, quoad an est ex comprehensione virtutis effectiuæ reflexione virtuali, conuertatur ad causam per actus, & obiecta secundum suam quidditatem comprehendam: vnde nego, quod comprehendens huiusmodi actus, & obiecta potentiæ operatiuæ, quæ ad actum est, non comprehẽdat magis à priori ipsam potentiam operatiuã. Nec est idem de omnipotentia Dei: hæc enim non dicit ordinem dependentiæ à possibilibus: sed eminentiam, quandam independentem ab illis, ideòque qui cognosceret collectionem possibilium, solum quoad an est cognosceret adæquatẽ omnipotentiam (in illa hypothesi) non autem comprehenderet quidditatiuẽ omnipotentiam Dei.

15 Arg. 3. Ad idem. Potentiæ operatiuæ sunt qualitates, quædam absolutæ, & non relatiuæ; ergo suam essentiam, & quidditatem non habent ad aliquid extrinsecum: ergo non dicunt ordinem transcendẽtalem ad actus, & obiecta: alioquin totum esse potentiæ operatiuæ esset, an aliud se habere, nempè ad actum, & obiectũ: ergo potentia operatiua, non

esset aliquid absolutum, sed esset relatiuum prædicamentale: & sic ordo transcendentalis esset prædicamẽtalis, qui nec debet cõcedi, nisi in purè relatiuis. Tum etiam si potẽtiæ specificarentur, & diffinirentur per actus; ergo in suo esse quidditatiuo ordinẽ dicerent ad aliquid extra se; ergo non essent, quid absolutũ, sed essentialiter essent, quid relatiuũ; nã relatio ordo est ad aliud. Tũ etiam. Ex quo potẽtia respiciat actũ, & obiectũ per modum finis, non requiritur, quod specificetur ab illis, quia finis mouet solum quoad exercitium: sicut efficiens, solum enim dant esse existentiæ, quod est diuersum ab essentia; ergo ratio fundamentalis D. Th. cessat.

16 Resp. Quod etsi potentia operatiua, sit absoluta entitas, & ad se, non tamen independens, sicut entitas creata substantialis, ad se est, dependens tamen à creatore, & idem est de entitatibus supernaturalibus, quæ sunt formales participationes Dei: sed tamen, quia ordo ille est dependentiæ, non constituit eam entitatẽ in esse relatiuo, sed in esse absoluto, ita quod vt ait D. Thom. p. p. q. 13. art. 7. ad 1. primo, & per se importat entitatẽ absolutam, & ex consequenti hãbitudinem, at relatiua secundum esse, 1. respiciunt habitudinem ad terminum, vt terminus est, ideſt, prout nullam causalitatem, & prioritatem in re ordinata ad ipsum, sed præcisè terminare, & sic ex cõsequenti respicit entitatem à qua possit habere esse in se, tanquam à forma, vel à causa: & sic etiam ex consequenti dicit suum esse, & hoc non tollit, quod potentia specificetur ab obiecto, & actu, quia essentia illa absolutè à termino in se habet dependentiã intrinsecam, ad aliquid vt absolutũ est, nempè vt specificatiuum, aut causa, aut finis: at relatiua præcisè sunt ad aliquid vt terminant habitudinem, & sic primario dicunt habitudinẽ, siue illud, quod terminat sit absolutum in se, siue correlatiuum: tamen de materiali respiciunt entitatem, & formam, & solum vt rationem terminandi, non verò dantis esse in se, & ad se, & in hoc cõsistit, quod aliqua res dicens ordinem ad aliud sit absoluta, & solum dicens ordinem transcendentalem, & non prædicamentalem, quia ipsum ordinem in linea essendi transcendentalis dicit, ideſt, vt sit in se respicit aliud, quia suum esse, vt sit ab illo pendet, quia est ab illo, vel propter illud: at relatiuum secundum esse, suum ipsum esse ad aliud habet, non vt sit ad se, sed vt sit ad aliud, & hoc est respicere aliud, non tam vt specificatiuum, quam vt purum terminum: & hoc est dicere ex consequenti habitudinem ad aliud, & hunc respectum habet potentia ad actũ, & obiectũ, & ideò ab illis nõ ad illa (sicut relatiua secundum esse) specificatur: & ideò etsi potentia respiciat per suam essentiam obiectum,

vt mẽsuram, & addita relatione prædicamentali, etiam respiciat obiectum, vt mensuram, tamen ly vt diuerso modo accipitur in 1. & 2. consideratione: nam in prima cõsideratione, respicit obiectum, vt mensuram sui esse, vt sit ad se: at vero in 2. consideratione respicit, vt mensuram ad quam sit, & sic sub ratione termini puri 1. modo mensura est prius natura, & cognitione, & est ratio diffiniendi potentiam, 2. modo sunt, simul natura, & cognitione, 1. respectus fundat 2. & est absolutus, & tantum transcendentalis, & sic ad 2. replicam. Ad 2. resp. quod finis dupliciter considerandus est, & vt causa est, & vt perfectio & forma est, seu mensura eorum, quæ sunt ad finem, 1. modo mouet ad exercitium, & est causa existendi, nec terminat respectum constitutiuum essentiæ; 2. vero modo specificare potest, vel dic quod finis est mouens ad exercitium, at existat finis, & ratione finis media, at quatenus mensurat rationem, eorum quæ sunt ad finem specificat, & sic actus specificantur ab obiecto, tanquam à specificatiuo, à fine, vt ait D. Thom. p. 2. q. 8. art. 5. quatenus est tota ratio proportionis, quæ est in actu, vel in potentia, quæ est ad ipsum.

20 Con. 2. concluſ. Arg. 5. Actus, & potentiæ per se ipsas respectu transcẽdentali, respiciũt non solum obiectum formale, sed etiam materiale; nam potentia visiua potest etiam videre album, & nigrum, & non solum colorem, & visio albi non est visio nigri, sed tendentia ad album; ergo essentialiter respiciunt potentiæ, & actus obiecta, etiã materialia, ergo specificãtur ab illis; nam quod per respectum transcendentalem, & essentialem respicitur, tãquam obiectum necessariô respicitur, tanquam specificatiuum. §. Tum etiam, quia si obiectum materiale essentialiter respicitur à potentia, & actu, & tamen non specificat; ergo non est ratio ad persuadendum obiectum formale essentialiter inspectum specificare. §. Tum etiam. Ideô obiectum formale essentialiter diuersificat actus, & etiam materialiter, quia cum vtraque ratio sit coniuncta, non potest sub vna ratione, sine altera diuersificari; ergo ob eandem rationem, obiecta materialia formaliter, & specificè facient differre actus. §. Nec obstat, quod actus, & potentia primario specificẽtur, & diuersificẽtur per obiecta formalia; nam etsi minus principaliter, poterũt tamẽ specificare, & diuersificare essentialiter potentias, & actus ipsa obiecta materialia; nam cum diuersitas sit de genere mali, ex quacumque defectu contingit, & vt homo varietur specie, sufficit quod materia sit diuersi generis, v. g. si ex materia cœli fieret homo. §. Conf. 1. Actus qui ob amorem Dei intendit vitam profundere, & qui solum intendit largire eleemosynam; eundem finem, & motiuum

formale habent, & tamen in prudenti æstimatione specie differūt; ergo ab obiecto materiali sumitur species actuum. §. Confirm. 2. etiam discursus, qui ex eisdē principijs diuersas cōclusiones infert, habet idem medium, & motiuum formale, & tamen secundum diuersas veritates attactas specie diuersificatur, ergo.

21 Resp. instando in obiecto remoto, & in sensibile per accidens, certum est enim per suam entitatem respicere actum quidquid est in obiecto, & visionem respicere substantiam; sed quia nō ratione sui, sed ratione ordinis ad coloratum, ideō non specificatur visio à substantia, neque à sensibili communi. Ad argumentum ergo distin. potentia, & actus per ordinem transcendentalem, sibi essentialem respiciunt obiectum materiale ratione sui per se 1. nego: ratione obiecti primarij, & formalis, concedo; & ideō obiectū materiale non specificat, quia non est actus 1. respectus; nam de ratione actus dantis speciem, est esse primum actum, & primā formam essentiæ, ideōque nec existē tia, neque aliæ actualitates non primæ, dant speciem essentialem in rerum constitutione: ergo neque in esse specificatiuo, & obiectiuo. §. Ad 1. probb. iam reddita est ratio disparitatis; ideō namque obiectum materiale non specificat, quia non per se primo inspicitur, at obiectum formale per se primo inspicitur, estque ratione cuius cætera obiecta inspiciuntur à potentia, & attinguntur ab illa, & ideō specificat. Ex quibus etiam negari potest, quod obiecta materialia inspiciātur à potē tia essentiali ordine, hic enim ordo essentialis in potentia, & actu solū est ad obiectum formale, ad materiale autem solum per accidēs tēdit, & ratione obiecti formalis ibi reperti. §. Ad 2. probat. resp. non ideō obiectū formale variare materialiter, quia vnum est alteri coniunctum; sed ex modo, quia principalis est ratio formalis, & accessorium sequitur naturam principalis; ideóque variata forma variatur materia, & non ē cōtra, vt constat in variatione specifica, quæ infert variationem individualem, cum tamen variatio individualis, non afferat variationem specificam in natura humana. §. Ad 3. patet ex dictis, nec illa instantia aliquid probat. Tum quia implicat hominem esse eiusdem speciei, si materia esset cœlestis, quia eo ipso esset diuersi generis, nam genus sumitur à materia, nec esset sensitiuum animal; nam sensus exigunt temperamentum, ex quatuor primis qualitatibus contrarijs resultans, vt ex Arist. dicemus, agendo de sensibus in particulari, specialiter de sensu tactus, & materia, quæ prescindit à conditionibus individuantibus formaliter se habet in ratione partis essentialis constituentis animal, & ideō ea variata, variatur genus, quod est prædi-

prædicatum formale; at obiectū materiale non est pars essentialis obiecti formalis, nec dat rationē genericam, aut differentialem obiecto, in ratione obiecti, & ideò non specificat, nec facit variationem formalem, sed tantum materialem. Ad reliquas conf. optarem ego, vt oppositi auctores ex concessis à nobis, procederent ad confutandam nostram sententiam efficaciter: non autem quod ex negatis à nobis procedant: nā syllogismus ex quibusdam positis, & concessis, procedit; numquam vero ex negatis, qua ergo arte conclusiones, à tot sæculis in omnium mēte radicatas, euellere poterunt aduersarij, & nouas suas adinuentiones adstruere? Resp. ergo ad 1. conf. quod illi actus, si ex parte actus imperantis, qui est actus charitatis considerentur, eiusdem specie sunt, si vero ex parte actus imperati, scilicet, martyrij, aut misericordiæ, diuersæ specie sunt, quia habent diuersa obiecta formalia, & sic illi actus imperantes, formaliter conueniunt, specie vero materiali differunt, quia finis idem est, media vero diuersa, de quo D. Tho. p. 2. quæst. 18. art. 6. §. Ad 2. quod si discursus illo eodem medio vtitur veritates, seu conclusiones elicitæ sunt eiusdē speciei, quia solum materialiter sunt diuersæ, & ratio assentiendi est eadem, est autem medium ratio, & formale motiuum assentiendi cōclusioni; si autem media sunt diuersa formaliter, idest, non reducibilia ad aliud prius medium eiusdem scientiæ erunt scientiæ specie diuersæ, quia obiectum formale est diuersum.

22 Contra reliquas conclus. Arg. 6. si formalis, & realis diuersitas potentiarum desumeretur ex diuersitate obiecti, non posset idē obiectum realiter in distinctum quale est verum, & bonum, diuersas realiter potentias, scilicet, intellectum, & voluntatem efficere, quia effectus non excedit proportionem causæ; ergo diuersitas potentiarum non desumitur ab obiecto. §. Conf. 1. eadē potētia verbatur, circa obiecta specificè diuersa in ratione obiectiua, v. g. visus circa albū, & nigrum, quæ in ratione coloris sunt specie diuersa, & elicit actus specie formali diuersos, v. g. intellectus actum scientiæ, opinionis, & fidei; ergo vnitas potentiarum non sumitur ab vnitate obiecti, & actus, ac per consequens, nec distinctio. §. Conf. 2. Contraria sunt, quæ maximè distant sub aliquo genere, sed album, & nigrum sunt contraria in ratione coloris; ergo maximè distant in ratione obiectiua: & tamen vna est potentia ad vtrū que, scilicet, visus ergo diuersitas formalis obiecti non facit potentias differre essentialiter. §. Confir. 3. Idem obiectum, vt sensibile, v. g. sonus, & odor, pertinet ad diuersas potentias, scilicet, ad sensus externos, & ad imaginationem; ergo ex identitate, aut diuer-

uersitate obiecti non solum in esse entis, sed etiam in esse obiecti considerati non sumitur vnitas, vel diuersitas potentiarũ. §. Cõf. 4. Intellectus agens, & possibilis habent idẽ obiectum, v.gr. omne ens intelligibile, & tamen sunt diuersæ potentiæ realiter, & essentialiter; ergo distinctio potentiarum non sumitur ab obiecto, §. Conf. 5. quanto aliqua forma est altior, tanto virtus eius est vniuersalior, sed anima est perfectissima forma; ergo eius virtus operatiua, erit vna; & vniuersalis ad omnia obiecta cognoscenda, ergo ex diuersitate obiectorum, non sunt purificandæ potentiæ animæ, §. Conf. 6. Si potentiæ specificantur, & diuersificãtur ab obiectis, etiam habitus in potentijs existẽtes, hoc idem haberent, at hoc est falsum, nam alias, sicut obiecta habituum sunt partes subiectiuæ, & species obiecti adæquati potentiæ, sic habitus specificati essent partes subiectiuæ potẽtiæ, & sic potentia diuideretur in habitus, tãquam in species, quod est falsum; cum potentiæ, & habitus sint genera distincta subalterna in prædicamento qualitatis; ergo non specificantur habitus ab obiectis, ideſt, non sumunt speciẽ ab illis nam si hoc esset verum, sicut se habent obiecta habituum respectiuè ab obiectum potentiæ, sic se haberet species habituum ad speciem potentiæ. §. Denique visus hominis, & equi habent idem obiectum formale, & tamen specie distinguũtur cum sint proprietates naturarum, quæ specie distinguuntur, ergo vnitas potentiarum, & diuersitas, non sumitur ab obiecto formali.

23 Ad arg. Resp. ex D. Tho. p. p. quæst. 59. art. 2. ad 2. & alibi quod etsi verũ, & bonum sint idẽ in esse entis, in esse obiecti sunt diuersa, & hoc sufficit, vt causent realem distinctionem in voluntate, & intellectu, in ratione potentiæ, quia ratio causæ maiorẽ vnitatem, & eminentiam dicit, quam effectus, & sic illæ rationes veri, & boni, virtualiter sunt diuersæ realiter, seu causaliter, sicut in alijs plurimis causis constat. Vide D. Th. q. 21. de verit. art. 10. ad 1. & Caiet. p. p. q. 39. art. 1. §. Ad 1. Conf. Resp. illi actus in ordine ad potentias solum differunt specie materiali, quamuis in ordine ad habitum differant specie formali, quia habitus habent obiecta magis restricta, quam potentiæ. §. Ad 2. Resp. D. Thom. p. p. qu. 77. art. 3. ad 2. quod album, & nigrum sunt contraria in esse qualitatis, & entis, non verò in genere cognoscibili, quia sic potius vnum contrarium est ratio cognoscendi alterum, & ideò in intellectu, qui est potentia cognoscitiua, absque contrarietate recipiũtur. §. Ad 3. Resp. D. Tho. ibidẽ ad 4. quod idem sub diuersa ratione potest ad diuersas potentias pertinere, cum autem quo potentia est superior, eo sub ratione vniuersaliori attingat obiectum,

sic

sit cõsequẽns, quod visibili, & audibile, quod sub ratione quadã inferiori specificat sensus externos, sub alia superiori attineat, etiã ad superiores potentias cognoscitiuas. §. Ad 4. Resp. ex D. Tho. q. de Anima, art. 13. ad 20. quod idẽ intelligibile in actu pertinet ad vtrumq; intellectum sub diuersa tamen ratione, nam ad intellectum agentẽ pertinet, vt factũ actu intelligibile; ad possibilem autem vt motiuum ipsius. §. Ad 5. ex D. Tho. ibidẽ ad 9. quod anima eo ipso, ac est forma altior, ea qua constituitur compositum merè naturale, per vnam potentiam ad multa plura se extendit, quam res naturales, nam per visum, v. g. plures differentias attingit, sed non sequitur, quod sit tãtum vna potentia eius operatiua, quia habet eo ipso quod vitalis est, operationes diuersi generis, & ideò secundum obiecta ad quæ per se ordinantur potentiæ operatiuæ; debent multiplicari virtutes operãdi. §. Ad 6, respondẽt PP. Cõplut. disp. 7. de Anima q. 1. num. 18. quod licet obiecta specificatiua habituũ in esse rei sint species obiecti adæquati potentiæ, in esse obiecti nõ sic, sed comparantur, sicut obiectum proximum ad vltimũ, materialiter se habente subordinatione entitatiua, & ideò cum habitus non specificentur à suis obiectis in esse rei, sed solum in esse obiecti; non sequitur habitus fore species potẽtiæ, & comparari ad illum, vt ad genus, sicut patẽt in visione albi, & nigri, quæ sunt species colorati in esse entis, & tamen visionis albi, & negri non sunt species potentiæ visiuæ, §. Ad vlt. Resp. quod potentia visiua hominis, & equi non differunt specie essentiali, nequeratione proprietatis, neque in ordine ad specificationem vt potentiæ sunt, quia sub prima ratione consequantur ad gradum genericum viuentis perfecti, sicut potentia nutritiua, & generatiua & specificatiuum earũ est idem, nempè lucidum coloratum, sic Bannez p. p. q. 77. art. 3. dub. vnico ad 2. & Ioan. à S. Thom. qu. 2. de Anim. art. 3. ad 3. qui addit, quod specie accidentali differunt, quatenus gradus genericus diuersimode reperitur contractus, cum diuersa perfectione in determinatis speciebus. §. Aliter resp. Cajet. hic q. 7. & 10. quẽ sequuntur Cõplut. disp. 17. de Anima q. 1. §. 5. quod visus hominis, & leonis in esse rei sub inadæquato conceptu proprietatis specie differunt, quia anima est causa eius, & ratio dimanãdi, sed in esse potẽtia conueniunt essentialiter, quia habent idem specificatiuum, & quantum ad hoc benè fundãt, quod alia est species desumpta ab esse rei, & in esse proprietatis ab ea, quam habet in ratione potentiæ operatiuæ. Tum quia lux in Sole, & in aëre est eiusdem speciei, vt ait D. Thom. p. p. quæst. 104. art. 1. & quæst. spiritual. creat. art. 3. ad 19. & alibi, & etiam ex D. Tho.

in 3. distinct. 17. q. 1. art. 4. vbi diuersam perfectionem dat intellectui, vt est proprietas naturæ, & vt est potentia attingens ea, quæ sunt supra nos, sic enim inquit imperfectior est, quam voluntas, etsi in ratione proprietatis sit prior. Sed semper vrget, quod etsi hoc verum sit, tamen visus non sequitur, tanquam proprietas ad gradum specificum equi, & hominis, sed ad gradum generícum, quia videre est actus viræ purè sensitiuæ, non autem rationalis, & ideò nunquam probatur, quod diuersitas specifica visus sit formalis in homine, & equo, quamuis possit concedi, quod sic visus hominis, & equi differunt specie materiali, nec amplius fortè intendit ille ingeniorum Caietanus de cuius acrimonia, & acumine suspicari non valeo, visum hominis sensisse subsequi, tanquam propriam passionem ad formam rationalē, cum proprium quarto modo, soli conueniant, visus autem non soli homini competat. Sed quia proprietates dimanant in esse rei ab anima, & animalitas equi physicè considerata, & in esse rei differt ab animalitate hominis; quo sensu dixit Aristot. quod in genere latent plures æquiuocationes secūdum esse physicum; ideò dixit acutissimus Caiet. quod visus hominis, & equi differunt specie materiali quidem, sicut animalitas hominis, & equi materiali specie differunt, non verò formali, quæ à logico, & metaphysico considerantur; nam physicè, sicut diuerso modo est animalitas, in equo, & in homine, sic etiam visus diuerso modo dimanat. Nec Ferra. cōtra gent. cap. 94. & 2. de Anima, q. 22. oppositum sentit. Si ad istū sensum reduci velit, & concordari cum Caiet.

## QVÆSTIO XX.

*Vtrùm videlicet potentiæ animæ dimanent verè, & propriè ab ipsa, tanquam à principio & quo ordinè?*

1 DIcendum est 1. Omnes potentiæ dimanant, seu fluunt ab anima, tanquam à principio. Sic D. Thom. p. p. q. 77. artic. 6. & communiter Thomistæ. Ratio est, quia vnumquodque agit in quantum est in actu per formam; ergo si in genere actiuo efluunt, seu dimanant potentiæ à substantia, ratione animæ dimanant ab illa.

2 Dicendum 2. Hæc dimanatio, seu effluxus, non est vera actio distincta ab actione generantis, sed ipsa actio generantis, quæ per se primo terminata ad formā substantialem, seu ad animam, media illa determinante terminatiuē actionem generantis, seu producentis, ex consequenti terminatur ad potentias, quibus substantia complcatur, & reddatur potens ad operandum. Dicuntur autem istæ potentiæ fluere ab anima, tāquam à principio effectiuo, non qui-

quidem ex eo quod anima, per propriam actionem mediam eas producat à se, sed quia principiũ, actiuum, & effectiuum dicitur, vnde primo incipit motus, & quia ratio ob quam motus generantis, seu producentis, determinatur ab actu primario, qui est anima, vt non ibi sistat, sed progrediatur ad producendas potentias operatiuas animæ debitas, reductiuè est anima principium effectiuum passionum, quatenus modo dicto ratione connexionis, quam ex se habet cum talibus potentijs, & realiter exigentiæ illarum, est ratio deducens actionem generantis ad productionem talium potentiarum.

3 Dicendum est 3. Ordinem seruant potentiæ animæ in dimanatione, & resultãtia. Sic D. Th. p.p.q.77.art.4.& 7, & ratio est, quia ordine naturæ, quæ confusionem naturaliter vitat, ab vno non venitur ad multa sine ordine: sed anima est vna, & potentiæ sunt multæ, ergo progressus potentiarum ab anima, cum ordine est. Ordo autem tripliciter potest considerari, aut ordine perfectionis, aut ordine generationis, aut secũdum ordinem obiectorum; primo modo imperfectum oritur à perfecto, ordine generationis imperfectum præcedit perfectum, quia natura incipit ab imperfectioribus, & sic primo ordine voluntas procedit ab anima intellectiua, medio intellectu, & sensus externi mediantibus internis, & potentiæ vegetatiuæ. mediantibus potentijs animæ sensitiuæ, & sensus externi secundum ordinem suæ perfectionis priores sunt, at ordine generationis è contra res se habet, vt docet Aristot. hoc 2. lib. cap. 3. Sed attento ordine obiectorum, vires sensitiuæ ad inuicem ordinantur; nam visibile est prius naturaliter sono, quia esse visibile est commune superioribus, & inferioribus corporibus. Sonus autem audibilis prior est commixtione elementorum, ad quam sequitur odorabile; ideò autem D. Thom. explicuit ordinem obiectorum in his tribus sensibus, & non in alijs potentijs, etiamsi in eis, etiam iste ordo reperiatur (nam intelligibile, prius est volibili, & hoc quam sensibili) quia in his tribus sensibus externis, solus hic ordo reperitur desumptus ex ordine obiectorum, quia nec vnus oritur ab alio dimanatiuè, nec vnum disponit ad alterum, nec generatio vnius ordinatur ad generationem alterius; patet autem, quod sensus tactus est fundamentum aliorum sensuum, vt docet Aristot. hoc 2. lib. text. 30. & 60. gustus quidem quidam tactus est, & ab illo oritur; at in illis tribus sensibus solum attenditur ordo obiectorum, de quibus vide Caiet. p.p.q.77.artic.4. *§. Ad hæc dicitur*, & sic ordo cansalitatis est inter ipsa obiecta illorum trium sensuum.

4 Aduertendum etiam ex D. Thom. quæst. de Anima, art. 13.

13. ad 7. & p.p.q.77.art.7. quod ordo obiectorum in potentijs habet ordinem finis, quia imperfectius obiectum ad perfectius ordinatur, & cū ordo finium sit ordo perfectionis. sic potentia imperfectius obiectum habens oritur à perfectiori in genere causæ finalis, estque propter illam, & sic ordine perfectionis, non solum potentia perfectior est principium dimanationis, quasi effectiuæ respectu imperfectioris; sed etiam est propter illam, & quasi effectus eius in genere causæ finalis.

5 Con. 1. conclus. arg. 1. ex Ianduno libr. 2. de Anima, q. 10. Augustin. Nipho ibi, text. 29. & alijs, quos suppresso nomine refert Bannez p.p.q.77.art.6. dub. 2. argum. 4. Idem non potest esse in potentia, & actu respectu eiusdem, sed anima est in potentia respectu suarum proprietatum, cum sit earum subiectum; ergo non potest esse in actu respectu earum, quod est esse principium dimanationis. §. Conf. Anima in eodem instanti, quo est habet suas potentias; ergo non est principium dimanationis earum, prob. conseq. nam secundum Aristot. 12. Met. text. 16. in hoc distinguitur causa effectiua à formali, quod hæc secū da, simul esse potest cum suo effectu; at prima prius tempore debet esse. §. Resp. Quod vt aliquid simul efficiat, & recipiat effectū, non requiritur componi ex materia, & forma, sed solum esse actum admixtum potentiæ, & potētiam actui admixtam, quod est non esse actum purum; sic enim non sub eadem ratione, sed sub diuersa efficit, & recipit; nam qua ratione est actus, efficit & qua ratione habet potentiam recipit, vt ostēdit D. Thom. p.p.q. 77. art. 5. & art. 1. ad 6. & q. 54. art. 3. ad 2. §. Ad conf. resp. cum D. Thom. ibidem ar. 7. ad 1. & Bannez ibi a. 6. dub. 2. in fine, quod cum causa efficit per veram subiecti transmutationem physicam de priuatione ad actum reducendo subiectum, tum causa debet præexistere; at cum solum est principium dimanationis, & resultantiæ, absque tali trāsmutatione, non requiritur præexistentia temporis in principio, sed sufficit prioritas naturæ cum simultate temporis, vt patet in Sole, qui in primo instanti sui esse lucere potuit.

6 Arg. 2. Ad idem. Si potentiæ animæ naturaliter resultant ab illa; ergo semel amisso visu, vel qualibet alia potentia vitali, posset naturaliter recuperari, sicut hac ratione resultat frigiditas in aqua postquam calefacta est, & motus deorsum in lapide postquā sursum detentus est, sed hoc est falsum: cum talis recuperatio sit miraculosa, iuxta illud Christi, quod adduxit in testimonium suæ diuinitatis, Matth. cap. 11. *Cæci vident, claudi ambulant*; ergo potentiæ animæ non dimanant ab illa. §. Conf. Eo potentiæ dimanarent ab anima, quia sunt actualitates posteriores illa, sed accidentia

tia

tia communia, etiam sunt actualitates posteriores anima, & nihilominus non dimanant ab illa; ergo ratio D. Thom. non probat intentum. §. Resp. Quod sicut aliquæ potentiæ non dimanãt ab anima, nisi vt coniuncta, sic nec dimanant, nisi in organo debitè temperato, ideôque corrupta organi tẽperiê, absque miraculo non possunt restitui, at frigus in aqua, & motus ad centrum in lapide, non pendent ab organo, sed solum à forma, ideôque ea stante, & sublato impedimento illicò resultant naturali dimanatione, sicut stante anima naturaliter resultaret intellectus, & voluntas, quia non pendent istæ potentiæ ab organo. §. Ad conf. respondet Caiet. non probasse D. Thom. eam dimanationem ex eo quod potẽtiæ, vt potẽtiæ animæ sunt perfectiones posteriores actualitate animæ, sed quia per se consequutæ, & connexæ sunt, quod non habent accidentia communia, & ideô nõ dimanant ad anima.

7 Arg. 3. cont. 2. concl. quam impugnant Suar. disput. 18. Met. sect. 3. & lib. 2. de Anima, cap. 3. & alij recentiores. Si creata anima, impediret Deus resultantiam intellectus cessante impedimento resultaret, & illa potentia per veram actionem animæ distinctam à productione creatiua causaret intellectum (hæc enim iam cessat) at eiusdem rationis est resultantia earum potentiarum in primo instanti, ergo est vera actio. §. Cont. Eò non esset vera actio, quia est sine motu, at stat dimanare frigiditatem in aqua (postquam calefacta est) per verum motum, & tempus expellendo calorem, & aduenientе sensim frigiditate; ergo ex natura dimanationis, & resultantiæ naturalis, non rectè colligitur, non esse veram actionem animæ. §. Resp. etiam in eo casu illam resultantiam fore actione Dei creantis, quæ licet transierit actu, remansit virtute in anima, & sic de nouo resultat, sicut motus in lapide sublato impedimento, & sic effluunt potentiæ ab anima, verê, & physicê, non ita vt anima sit instrumentum: quia non influit vt eleuata ad effectum perfectiorem se, sed vt medium virtutis actionis productiuæ sui. (quod nota propter aliquas obiectiones molestas quas hic ingeminant aduersarij) §. Ad conf. non negamus, quod illa dimanatio sit vera actio respectu agentis producentis animam, sed negamus esse propriã actionem animæ distinctam ab actione productiua animæ, & ideò etsi adsit motus in resultantia, non suadet quod resultantia illa sit actio propria formæ, & dato quod in aliqua dimanatione sit trãsmutatio, tamen in casu nostro non habet locum, quia potentiæ animæ non per motum producuntur, & ideò dato quod si esset motus, esset diuersa actio, adhuc manet incõcussa nostra conclus. Vide Caiet. p. p. q. 54. art. 3. in fine.

8 Arg.

8 Arg.4.ad idem. Anima nostra non est principium productionis sui, & tamen est principium productionis suarum potentiarũ; ergo dimanatio illa non est eadem productio, & actio qua anima producitur; ergo diuersa est, quæ ab anima, tanquam principio talis dimanationis procedit; ergo est actio propria animæ. Tũ etiam. Potentiæ educuntur, anima nostra non educitur, sed creatur; ergo dimanatio potentiarum non est creatio, sed eductio; ergo est diuersa actio à productione animæ. §. Respondetur, quod anima non est principium productionis sui, & est principium dimanationis potentiarum: & tamen non sequitur eam dimanationem esse diuersam actionem à productione animæ, quia esse principium dimanationis, non est esse principium diuersæ actionis: sed principium ne actio vltimo terminetur in anima, sed progrediatur in producẽdas potentias ex cõsequenti, quia exigit anima, simul cum ipsa comproduci. §. Ad conf. Resp. actionem creatiuam animæ ob suam eminentiam ex consequenti esse eductiuam potẽtiarum, vel quod non educuntur, sed concreantur, vt passim docet D. Thom.

9 Con.3.concl.contra quam etiam Suar. armatur, arg.5. Accidens oritur à subiecto, sed vnũ accidens non est subiectum alterius; ergo vna potentia accidentalis, non oritur ab anima mediãte alia; ergo. Tum etiam. Istæ potentiæ non pendent ad inuicem in operando, & alias ordines generationis, qui est ordo exequutiuus, potius perfectum pendent ab imperfecto: ergo si non dimanat potentia perfecta ab imperfecta; à fortiori neque imperfecta dimanabit ab perfectiori. Denique anima immediatè communicat tres gradus vitæ; sed potentiæ vitales consequuntur ad illos gradus, ergo potentiæ illæ immediatè, & non vna mediante alia procedunt ab anima. §. Resp. cum D. Thom. p.p.q.77.art.7.ad 2.& quæst. de Anim.artic.13.ad 8. quod vnum accidens non est subiectum alterius per se, & vt quod, sed est ratio recipiendi, sicut superficies est mediante, qua color recipitur in corpore, & sic vna potentia recipitur in anima, vel in coniuncto mediante alia, & etiam dimanat mediante alia, non tanquã à principio dimanatiuè quod, sed tanquam à principio quo. §. Ad respond. quod potentiæ intellectiuæ sunt finis sensitiuarum, & istæ vegetabilium, & hoc etiam ordine dimanãt potentiæ ab anima quatenus vnus gradus esset propter alium, & potentiæ vnius gradus ob potentias alterius; sic enim sensus est participatio intellectus, & vita vegetatiua sensitiuæ, & nutritiuum est principium materiale sensitiui, ob tẽperiem requisitam in organo, & sensitiuum intellectui ob dependentiã à phãtasmatibus, & sic in ordine exequutiuo, ordo est in his potentijs quoad

quoad dimanationem effectiuam, & etiam ob materialem dependentiam, vt cum D. Thom. docet Caietan. p.p. q.77. art.7. §. *Quoad secundum*. Ex quibus ad vltim. dico, quod gradus vitæ habent, etiam ordinem; nam via perfectionis prior est gradus perfectior, & sic etiam est dimanatio perfectioris potentiæ prius, sicuti via generationis passiuæ, & in genere causæ materialis est prior gradus vitæ imperfectioris, vt ibid. docet D. Thom.

10 Tandem obijcies. Potentia generatiua, & nutritiua sequuntur ad gradum vitæ vegetatiuæ, qui est imperfectior gradu vitæ sensitiuæ, & tamen sunt perfectiores sensibus, quia illæ potentiæ habent pro termino substantiam; ergo quo perfectior est potentia operatiua; non sequitur esse principium dimanationis potentiæ imperfectioris, prob. consequ. nam potentiæ vegetatiuæ oriuntur ab anima mediijs potentijs sensitiuis. §. Resp. cum M. Bannez p.p. q.77. ad art.4. quod licet potentia generatiua, & nutritiua habeãt pro termino substantiam, sunt tamen imperfectiores potẽtiæ sensibus, quia substantia, quæ terminat est perfectior in esse entis, quam obiectum sensibile, in esse tamẽ obiecti est imperfectior, quia sub modo magis materiali terminat, & specificat.

## QVÆSTIO XXI.

*In quo sint potentiæ animæ, tanquam in subiecto?*

1 DIcendum 1. Potentiæ spirituales, vt sunt intellectus, & voluntas, quæ consequuntur ad esse animæ, quatenus rationalis est, subiectantur in ipsa anima, vt in subiecto, quod etiam dum est coniuncta. Sic D. Thom. p.p. q.77. art.5. & in context. & communiter Thomistæ. Prob. Ibi est potentia accidentalis, tãquam in subiecto quod, vbi ponitur denominatio potentis operari; sed anima est que per se intelligere, & velle potest, sicut ea est, quæ de facto intelligit, & vult; ergo istæ potentiæ sunt in anima nostra, tãquam in subiecto quod. Conf. Anima nostra non ratione coniuncti intelligit, aut vult, quia istæ operationes non sunt affixæ organo: ergo nec ratione coniuncti intelligere potest; ergo istæ potentiæ non per se subiectantur in composito, sed in anima, quæ per se redditur potens ad operandum per eas potentias.

2 Dicendum est 2. Potentiæ materiales, & organicæ non sunt in anima, tanquam in subiecto quod aut quo, sed sunt in coniuncto, tanquam in subiecto quod; & nomine coniuncti intelligo compositum substantiale, ex materia, & forma resultans. Sic enim docet Aristot. 2. de Anima, tex. 122. has

has potentias in organo corporeo subiectari, constat autem corpus organicum esse illud compositum ex materia, & forma resultans.

3 Prima pars concluſ. (quod scilicet anima non sit subiectum, quod potentiarum materialium, sed hoc competat coniuncto) cõstat ex Aristot. lib. 2. de somno, & vigilia, cap. 1. ibi: *Sentire non est proprium animæ, sed coniuncti*; ergo neque posse sentire, ergo potentia sensitiua, non est in anima, tanquam in subiecto quod, sed in coniuncto. Prob. ex D. Thom. in illo recipiuntur istæ potentiæ, sicut in subiecto, quod potest operari per illas: sed solum coniunctum (vt terminatum subsistẽtia) potest operari vt quod, nõ autem anima; ergo solum coniunctum est subiectum quod, non autem anima, prob. min. operationes harum potentiarum exercentur per organum corporeum; ergo potentiæ sunt in organo; sed anima non est organica, vt quod, sed solum coniunctum; ergo. Cõstat etiam, quia si illæ potentiæ essent in anima, sicut in subiecto quod manerent in anima separata, & posset illa sentire, & vegetari, sicut separata potest intelligere, & velle, sed hoc esse falsum ostendemus in tractatu de anima separata; ergo.

4 Secunda pars, scilicet, quod huiusmodi potentiæ non sint in anima, tanquam in subiecto quo, (licet non sit ita certa inter nostrates) prob. quia D. Thom. p. p. q. 77. artic. 5. ad 1. & 2. concedit animam esse principium dimanationis harum potentiarum; & negat esse subiectum; at concedit esse principium tantum quo, non verò quod, nam hoc est coniunctum; ergo non tantum negat animam esse subiectum quod, sed etiam quo. Tum etiam subiectum spirituale, neque partialiter potest esse subiectum accidentis materialis, & corporei connaturaliter, & ideò Angelus, nec partialiter, potest esse subiectum inhæsionis talium accidentium; ergo cũ istæ potentiæ sint accidentia, corporea, & materialia, non possunt inhærere, tãquam in subiecto quo partiali in anima nostra: & idem est in anima materiali, quia licet non vrgeat ibi hæc ratio; tamen eodem modo comparatur ad suas potentias.

5 Arg. 1. contra 1. concl. ex testimonio Aristot. lib. 1. de Anima, text 64. ibi: *Melius enim fortasis est non dicere, animam misereri, aut addiscere, aut intelligere, sed hominem anima.* Sed cuius est agere vt quod, eius est posse agere vt quod; ergo potentia intellectiua non est in anima vt quod, sed in homine, prob. cõseq. nam eius est potentia, cuius est operatio. §. Præterea, etiamsi intellectus sit principium intellectionis, intellectio tamen non recipitur in intellectu, sed in anima, tanquam in subiecto quod; ergo etiamsi anima sit principium adæquatum dimanationis potentiarum, non erit subiectum quod,

sed

sed hoc competèt toti cõposito, §. Resp. cum D. Thom. ibi, & p. p. qu. 75. art. 2. ad 2. vbi nõ loqui Aristot. in propria sententia, sed eorum, qui asserebant, quod intelligere est moueri. Vel dici potest, quod homo intelligit per animam, ly *per* dicere rationem principij incompletè subsistentis, seu rationem subsistendi, & operandi non autem subiecti potentiæ operatiuæ: nam etsi anima sit adæquatum principium subiectiuum potentiæ, quia ad hoc non requiritur, quod est subiectum completè subsistens, tamen est per quod suppositum operatur vt quod, per modum subsistentis cõpleti, & personæ operantis, vt docet D. Thom. q. vnica de spiritual. creat. art. 2. ad 2. §. Deinde ad 2. prob. Resp. non ex eo præcisè animam esse subiectum quod passionum, quia est principium dimanationis, sed quia tali modo est principium suarum potentiarum, scilicet, principium substãtiale, & radicale per se, at intellectus solum est principium accidentale intellectionis, & ideò non est principium receptiuum intellectionis vt quod, sed solum vt quo, quia vnum accidens est mediante, quo alterum accidens recipitur in subiecto, non autem quod adæquatè recipit, vt patet in superficie respectu coloris, & hoc ideò, quia non habet actualitatem per se, vt possit alterum accidens subsistentare.

6 Arg. 3. cõ. 2. conc. Materia prima est subiectum adæquatum animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ; ergo, & potentiarum vegetabilium, & sensitiuarũ. Tum etiã. Potentia loco motiua est materialis, & tamen adæquata est in animata, tanquã in subiecto; alioquin anima separata, non posset moueri localiter; ergo. §. Conf. Anima mouet pedem primo, & per se; ergo in illa est potentia mouendi.

7 Resp. inficiando: materia prima est subiectum animæ intellectiuæ; ergo intellectus, & intellectionis; non bona consequentia; ergo non sequitur; materia prima est subiectum animæ, vt vegetatiuæ, & sensitiuæ; ergo potentiarum vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ. Ratio disparitatis est, quia illæ potentiæ non sequuntur ad animam, nec illi cõueniunt, nisi in coniuncto, & ideò in illo subiectantur. §. Ad 2. resp. quod potẽtia loco motiua proxima motu progressiuo corporali, est in coniuncto, & ad mouendũ se extra corpus est in anima, & fortè est indistincta ab intellectu, & voluntate, quæ in statu separationis pullulat, vt suo loco exactius dicam, & per consequens non sequitur vllam potentiam materialem esse in anima adæquatè, & non in toto cõiuncto; vnde ad cõfirm. dico, quod anima radicaliter mouet pedem, & alias partes corporis, sed mediante potentia exequutiua, quæ est in toto composito.

8 Tandem arg. coniunctum,

seu compositum realiter non distinguitur à partibus simul sumptis; ergo si potentiæ materiales sunt in coniuncto, tãquã in subiecto quod; erũt in partibus coniũcti, tanquam in subiecto partiali quo. ℣. Resp. quod sicut ex eo, quod compositum habeat esse vt quod, nõ sequitur quod materia habeat esse vt quo, sic nec sequitur quod si cõpositum est subiectũ, quod potentiarũ materialiũ, forma sit subiectum quo, & sicut ex eo quod compositum sit principium quod dimanationis, non sequitur materiam esse principium quo dimanationis, sic etiam non sequitur formam spiritualem esse subiectum, quo potentiæ materialis, & ratio est, quia, & si cõpositũ non distinguatur realiter à materia, & forma, simul sumptis, tamen ratione solius materiæ habet rationem recipiendi eas potentias, vnde forma, & si formaliter se habeat ad componendum, materialiter se habet ad recipiẽdum accidens materiale, & ideô nec vt quo est subiectum, sed hoc competit materiæ primæ.

## QVÆSTIO XXII.

*An potentiæ vitales, sint separabiles ab anima, & à coniuncto, & an ex inseparabilitate colligatur indistinctio realis?*

1 HOc dubium excitatur con. Scot. qui inde probat potẽtias vitales, nõ distingui ab anima, vel à cõiuncto, quia sũt inseparabiles ab illa dicẽdo ita tamẽ est, licet cõnaturaliter loquendo, & secundũ potentiam Dei ordinariã, potentiæ vitales non sint separabiles ab anima, vel à cõiuncto; tamen separari de facto, non repugnat de potentia Dei absoluta. Primum tenent communiter Philosophi, videriquè potest noster Sanch. in logica in 4. prædicab. & prob. quia quæ sunt per se connexa, non sunt separabilia connaturaliter, & de potentia Dei ordinaria, sed potentiæ vitales sunt per se connexæ cum anima, vel cum coniuncto (iuxta dicta q. antecedenti) quod constat, quia sunt propriæ passiones, quæ prædicantur de illis in secundo modo dicẽdi per se; ergo. Secunda vero pars defenditur à Ferrariẽ in 4. cõ. gent. c. 65. Soto in 4. distin. 49 q. 2. art. 5. & in Logica cap. de proprio. Prob. nihil potest denegari, aut denegandũ est diuinæ omnipotẽtiæ in quo non inuoluitur manifesta implicatio contradictionis, sed in eo quod anima, vel coniunctũ realiter separata maneant à potentijs vitalibus, nulla apparet repugnantia, vt constabit ex solutione argumentorum; ergo. Tum etiam prob. si ob aliquam rationem hoc repugnaret, maximè, quia tales potentiæ animæ, sunt passiones animæ, vel coniuncti, sed etiam quantitas est propria passio materiæ, & formæ substantialis, & tamen separatur à substantia panis, & vini, vt patet

in

in Sac. Eucharistiæ; ergo.

2 Dicendum etiam si huiusmodi potentiæ essent omnino inseparabiles ab anima, & coniuncto, non rectè colligitur esse realiter indistinctas. Sic Caiet. p. p. q. 54. art. 2. §. *Ad tertiam autem.* Quod probat con. Scot. in cuius sententia totũ distinguitur à partibus, simul sumptis, & tamen est inseparabile à partibus, sicut, & modus à re modificata, relatio mutua à termino correlatiuo, etiamsi essentia modi consistat in eo, quod sit inseparabilis, etiam de potentia absoluta à re modificata, & idem est de relatione mutua respectu termini; ergo expende Caiet. ibi con. Scot. pugnantem.

3 Contra 1. concl. arg. 1. ex D. Tho. q. de Anima, art. 12. ad 7. nam, *Animam esse, sine potentijs* (inquit) *nec est possibile, nec intelligibile*; sed quod non est intelligibile omnino repugnat, etiã de potentia Dei absoluta; ergo potentiæ sunt omnino inseparabiles ab anima. Idem ferè docet quæst. de spirit. creaturis, art. 11. ad 7. §. Resp. D. Thom. loqui de potentijs secundum exigentiam, non autem secundum esse, vel de eis secundum radicem, non autem in se, & hoc sonant verba secundi testimonij, non posse intelligi, quod homo non sit risibilis, quia si hoc posset intelligi, posset non petere risibilitatem, & hoc dicit esse in intelligibile; quia cum intellectus non possit intelligere connexionem necessariam inter duo extrema, non intellectus extremis, nec potest intelligere connexionem inter animam, & potentias vitales, & essentiam, & suis passionibus, nó eis intellectis per modum extremi connexi, non autem, quod non possit intelligere vnum posse existere, sine alio; vnde cum dicit animam esse sine potentijs non est intelligibile, loquitur de esse, quasi necessariæ cõnexiones, non autem de esse existentiæ.

4 Arg. 2. Relatio creaturæ existentis ad creatorem est inseparabilis, etiam de potentia Dei absoluta, quia ibi est origo sine motu, & per consequens debet esse relatio secundum D. Thom. & idem est in exemplis positis, con. Scot. in 2. concl. ergo etiam potentiæ vitales sunt inseparabiles ab anima, cum non sit minor dependentia, & connexio inter animam, & potentias, quam in alijs exemplis. §. Resp. ideô relationem non esse separabilem à creatura existenti, & à termino, nec modum à re modificata; neque existentiam ab essentia actuali, quia connexio illa essentialis est; at connexio inter essentiam, & passionis, & inter animam, & potentias solũ est connaturalis, & ideô non repugnat separatio de potentia Dei absoluta.

5 Arg. 3. secundum Arist. 1. post. t. 9. hæc proposito, *Homo est risibilis*, & idem est de illa; *Anima habet potentias vitales.*

Est necessaria, & æternæ veritatis; ergo infalsificabilis, & immutabilis veritatis; ergo nec de potentia Dei absoluta potest falsificari, ac si possent separari potentiæ ab anima, & passiones ab essentia, etiam de potentia absoluta; esset illa propositio falsificabilis, & non æternæ veritatis; ergo. §. Respon. eam propositionem esse æternæ, & infalsificabilis veritatis, quātū ad exigentiam radicalē, non verò quantum ad exercitium extremorum, & eorum positionē, sic enim solum est connexio necessaria connaturaliter. §. Con. est, quod illa connexio exigentiæ radicalis essentialis, est in primo modo dicendi per se, ac Aristot. loquitur ibi de necessitate, quam habet illa propositio, secundum quod est in secundo modo dicendi per se; ergo loquitur de connexione sumpta, quantum ad exercitium. §. Resp. illū non cognouisse, quid Deus possit miraculosè, & supernaturaliter facere, & ideò, quantum ad hoc eodem modo fuisse loquutū de his, quæ dicuntur per se de aliquo, siue in primo, siue in secundo modo. Vel dicendum quod attenta connexione connaturali est illa propositio infalsificabilis, etiam de potentia Dei absoluta, & æternæ veritatis, & hoc solum attendisse Aristotelē, maximè cum huiusmodi prædicationes abstrahant ab hic, & nunc, & solum respiciant modum connexionis.

6 Tandem arg. si intellectus possit separari ab anima sequeretur implicatio manifestæ contradictionis; ergo non est separabilis; prob. antec. sequeretur quod posset intelligere, & nō posset intelligere, ac posse intelligere, & nō posse intelligere manifestè implicat, ergo, prob. min. calor separatus a substantia in Eucharistiæ accidentibus potest calefacere, & operari; ergo etiā intellectus separatus posset operari, quod autem non posset dicunt Thomistæ, quia alias posset videre Deum, & beatificari sine anima; ergo. Resp. in primis dato, quod intellectus separatus posset intelligere, non sequi, non posse intelligere Deum in se; quamvis non posset beatificari, quia sicut meritum est substātiæ subsistētis, sic beatificatio, sed dicimus tunc intellectum non posse operari, quāuis maneret in esse entis, & qualitatis separatus ab anima, quia intellectio est vita, & dicit essentialem dependentiam ab anima, calefactio autem non est operatio vitalis, & ideò potest exerceri a calore separato, dummodo sit in quantitate subiectata; de quo hic amplius scrutari non licet, ne ad extranea divagari contingat.

## QVÆSTIO XXIII.

*Quot sint genera potentiarum animæ?*

1 DIcendum est. Quinque esse genera potentiarum animæ, scilicet, vegetatiuum, sensi-

tiuū

tiuum, appetitiuum, loco motiuum, & intellectiuum, sic Arist. li. 2. de Anima, t. 27. & D. Th. ibi, & p. p. q. 78. art. & alibi, & communiter cõsentiũt Philosophi. Prob. rat. D. Tho. Genera potentiarum debẽt distingui penes obiecta mouentia ad operandum, sed huiusmodi obiectorum sunt tantũ quinque genera; ergo tantũ sunt quinque genera potentiarum animæ, prob. min. Obiectum potens mouere animam ad operandum, vel est corpus animæ vnitum, & sic ponitur potentia vegetatiua, quæ nõ agit, nisi in corpus animæ vnitum, vel est corpus absolutè, & nõ solum, vt animæ vnitum, & sic ponitur potentia sensitiua, quæ respicit omne corpus sensibile, & non solum animæ vnitum, vel est ens, & sic ponitur intellectus, qui potest percipere omne ens, & non solum corpus vnitum, vel non vnitum animæ: Tunc sic, ergo obiectum non solum coniunctum, sed etiam extrinsecum potest mouere sensum, & intellectum, cum autem operans aliquo modo deberet coniungi, cum suo obiecto, circa quod operatur, eo modo variabitur potentia, quatenus poterit cõiungi tale obiectum cũ anima; sed potest obiectum extrinsecum vniri animæ per suam similitudinem, & sic sensibile vnitur sensui modo magis determinato, & intelligibile vnitur cum intellectu modo magis vniuersali, vel potest vniri, quatenus anima tendit per inclinationem in ipsum obiectũ, & trahitur ab illõ, tanquam à fine, & sic ponendus est appetitus, aut sensitiuus, aut intellectiuus secundum quod talis finis, aut est bonum sensibile, aut intelligibile mouens in intentione, aut trahit animam ad se, vt terminus motus, & cũ debet poni potentiam loco motiua; ergo tãtum quinque sunt genera obiectorum, quæ possint mouere animam ad actum vitalẽ; ergo & potentiæ animæ sunt quinque tantum in genere, nõ est enim imaginabile aliud genus obiecti. Cons. Potentiæ sunt propter operationem, tanquam propter finẽ, visus enim ad videndum datur, quinque autem sunt genera operationum animæ; ergo, & potentiarum, prob. min. nam vel operationes sunt contractæ ad ipsum esse viuentis in se, vel ad conseruationem in individuo, & specie, & sic est genus operationis vegetatiuæ, & petit potentias vegetatiuas: vel potest fieri alia à se, vel in singulari, vel in vniuersali; & sic sunt genera operandi, sensibiliter, aut intelligibiliter, & sic ponidebet sensus, aut intellectus; at posita forma sequitur inclinatio ad complacendum in illa, aut ad habendum eam perfectiõ, & sic ad intendendum eam perfectionem, est appetitus sensitiuus, vel intellectiuus, & potentia loco motiua ad consequutionem, in exequutione talis perfectionis, vt est in re; ergo quinque sunt genera operationũ animæ, & per consequens potentiarum.

2. Con. propositam concin. eiusque rationes. Arg. 1. Generabile non est coniunctum generanti, sed extrinsecum illi, & tamen attinet ad genus potētiæ vegetatiuæ, ergo potentiarū genera perpetā colliguntur ex eo, quod obiecta sunt coniuncta animæ, vel extrinseca illi. Tū etiam. Obiectum motus localis mouet, vt coniunctum appetenti, & per intellectū, vel sensum coniungitur illi; ergo vndique ruit ratio facta. §. Resp. quod licet genitum, seu generabile in fine, sit disiunctum, in principio tamen quoad substantiam ex qua fit coniunctum est generāti, & obiectū potentiæ loco moti uæ, licet sit coniunctū repræsentatiuē mobile, tamen non mouet, nisi ad hoc, quod per motū progressiuum, vt est extra coniungatur viuenti, & non vt habeatur in esse repræsentatiuo, quod si quandoq; aliquis intelligit se, & appetit se per complacentiam, ea cōiunctio, quam habet ipse ad animam in essentis, de materiali se habet admouendum; nam modus mouēdi intentionalis est, & de materiali respicit essentiarū (quod dixerim propter substantiam Angeli, quæ sine specie superaddita mouet ipsum, ad cognitionem, & appetitum sui) at respectu animæ semper fuit per speciē superadditā, quæ solum vnit obiectum per similitudinem, & non secundum esse Physicum, & sic esse Physicū, extrinseco modo se habet in mouendo ad intelligendum.

3 Arg. 2. Tantum sunt tria gē nera animarum; ergo tantum sunt tria genera potentiarum animæ. prob. conseq. potētiæ animæ sunt eius proprietates, at proprietates sumunt genus, & speciem ab essentia, quia diffiniuntur per illā, vt ex Arist. 2. post. dictum est; ergo si tantum sunt tria genera animarum, tantum erunt tria genera potentiarum animæ. §. Præterea. Tantū sunt quatuor genera modi viuendi; ergo, & operationū vitaliū, sed genera potentiarum animæ debent distingui secūdum genera vitæ, & operationum vitalium: ergo tantum sunt quatuor genera potentiarum animæ. §. Resp. negando consequentiā, quia licet essentia sit de diffinitione proprietatis, non tamen adæquatē, quia vna essentia potest habere diuersas specie proprietates, & vnū genus animæ diuersa genera proprietatum: vel cum aliunde sumatur ratio proprietatis, aliunde ratio potentiæ operatiuæ; nam ratio proprietatis ab essentia sumitur, ratio potentiæ ab operatione, & obiecto, dato quod istæ potētiæ, sint tres in genere proprietatis, poterunt esse quinque in genere potentiarum, quia etsi sint tantum tria genera animarum cuius sunt proprietates, sunt tamen quinque genera operationum, & obiectorum, in ordine ad quæ habent rationem potentiæ: sicut hac ratione dictum est supra, quod visus Aquilæ, & Leonis sunt vnius speciei in ratione potentiæ vi-

visiuæ, & diuersæ speciei in ratione proprietatis. §. Ad 2. Resp. quod modus viuendi non attendit genera operationum, sed excellentiam in modo operandi, & quia omne sensitiuum est appetitiuū, quantumuis sit non perfectū, vt docet Arist. 2. de Anima, text. 28. & 29. non ponitur quod appetitiuum constituat specialem modū viuendi, etsi constituat speciale genus operandi vitaliter, ideôque plura sunt genera potentiarū animæ, quam modi viuendi.

4 Arg. 3. Appetibile, siue sit sensibile, siue intelligibile, est perfectio sensus, & intellectus; ergo non constituit speciale genus vitæ, & potentiæ vitalis, nam quidquid addit perfectionem accidētalem, speciale genus non constituit. Conf. 1. in qualibet potentia vitali, est inclinatio, & appetitus ad suam operationem, & obiectum; ergo appetitiuum non debet constituere speciale genus vitæ, & potentiarum animæ. Confir. 2. Potentia quæ non addit aliquid supra modum operandi non viuentium, nec debet constituere speciale genus potentiæ animæ, ac conseruare speciem, vel individuum habent non viuentia, ergo potentiæ vegetatiuæ, quæ ad hoc tendunt, non constituunt speciale genus potentiarum animæ, §. Resp. quod sensibile, & intelligibile, perficiunt accidentaliter sensum, & intellectum, perfectione consequuta in diuerso genere, & ideò diuersi generis potentia debuit constitui ad hoc obiectum attingendum, §. Ad 1. confir. Resp. D. Tho. p. p. q. 78. art. 1. ad 3. & q. de Anima art. 13. ad 11. quod cæteræ potentiæ inclinétur ad suam operationem, & obiectum, inclinatione innata, non elicita, & ad hanc ponimus potentiam diuersi generis, quæ sit appetitiua, non autem ad appetendum innato modo. §. Ad 2. ex D. Thom. loc. citato ex p. p. & q. de Anima art. 13. ad 14. & 2. de Anim. lect. 5. quod non viuentia, nec propriè nutriuntur, nec augentur ab intrinseco, sed per iuxta positionem, nec generant per motum à se, & ideò quia se motū do viuentia conseruant suum individuum, & speciem, ideò altiori modo hoc præstant, & ideò egēt potentijs generis vegetatiui, quæ sint potentiæ animæ.

5 Arg. tandem. Sic se habet appetitus sensitiuus ad intellectiuum, sicut sensus ad intellectum, sed intellectiuum constituit diuersum genus potentiæ animæ à sensitiuo; ergo appetitiuum sensitiuum debet constituere diuersum genus potētiæ ab appetitiuo intellectiuo; ergo sex sunt genera potentiarum animæ. §. Præterea non est ratio, cur memorativum non constituat speciale genus, nā est ad præteritum, sicut corpus non coniunctum animæ constituit sensitiuum supra vegetatiuum. §. Resp. cum Ferrara hoc 2. lib. de Anima, qu. 5. quod appetitiuum tam sensitiuum, quàm intellectiuum

tum respicit suũ obiectum, vt est in se finis, & in singulari, ideôque non constituunt diuersum genus potentiæ; at sensitiuum tendit ad obiectum in singulari, & intellectus in vniuersali, & ideò constituunt diuersum genus potẽtiæ.

§. Ad confir. resp. cum Bannez, quod memoria sub genere potentiæ cognoscitiuæ, siue sensitiuæ, siue intellectiuæ continetur, sicut etiã intellectus agens sub potentia intellectiua, & ideò nõ potest multiplicare genus potentiæ, at corpus non coniunctum specialẽ modum immutandi habet diuersum genere in ratione obiecti, & ideô constituit speciale genus potentiæ.

## QVÆSTIO XXIV.

*Quot sint potentiæ animæ vegetatiuæ, & an specificè, & realiter distinguantur inter se?*

DIcendum est 1. Tres sunt potentiæ animæ vegetatiuæ, scilicet, Nutritiua, Augmentatiua, & Generatiua. Sic Aristot. hoc 2. lib. cap. 4. & D. Thom. ibi lect. 7. & p. p. q. 78. ar. 1. & q. de Anima art. 13. & prob. Quia cum vita vegetatiua ad obiectum coniunctum animæ terminetur: ordinatur ad conseruandũ individuum, reparando partes, quæ actione caloris deperdũtur, & ad perfectum statum perducẽdo, & ex residuo alimenti, generando simile ex sua substantia, sed ad hoc triplex potentiæ operatiuã requiritur, altera nutritiua, quæ conuertendo alimentum in substantiam aliti, reparet partes substantiæ deperditas: altera quæ ad debitam quantitatem perducat, altera quę generet sibi simile, qui termini cum sint diuersi, & diuerso modo attingibiles, hasce exigunt tres potentias.

2 Dicendum 2. Istæ tres potẽtiæ sunt species completa diuersæ adæquatè diuidentes genus potentiæ animæ vegetatiuæ. Prob. Illæ potentiæ sunt species completa diuersæ, quæ habent obiecta formaliter, & ex æquo sub diuersa ratione reducibilia ad potentiã, & immutantia ipsam, vt supra dixi cum Aristot. hic text. 33. & D. Thom. ibi, sed istæ potentiæ habent obiecta formaliter diuersa; ergo sunt species completa distinctæ, prob. min. secundum Aristot. tex. 47. Alimentum quo viuens habet, quo possit reparari partialiter substantia alicui, & potest informari eius forma, specificat potentiã nutritiuam, qua habet quantitatẽ, vel eam recipere potest perducendo viuens in debitam magnitudinem, & statum, est obiectũ augmẽtatiuæ potentiæ; qua vero potest habere residuum post deperditæ substantiæ partialis reparationem, & sic propagare speciem, est obiectum potentiæ generatiuæ, sed istæ rationes obiectiuæ sunt diuersæ formaliter, & sub diuersa ratione terminãt actionem, & mouent; ergo vera est minor.

nor. Tum potentiæ specificantur per fines formaliter diuersos, at fines (vt per se patet) nutriendi, augendi, & generandi sunt diuersi formaliter in esse finis, & termini; ergo.

3 Ex his facile est colligere, quod istæ tres potentiæ adæquatè diuidant genus potentiæ vegetatiuæ, quia talis vita nō habet alia officia, quam nutrire, augere, & generare, nam immutatio, quæ fit per calorem, & alias primas qualitates, digerendo, aut expellendo, aut fit per actus, quasi secundarios, & præuios dispositiuè vtendo actiuitate primarum qualitatum, vt docet Arist. hic text. 40. & ideò illæ tres potentiæ sufficiunt.

4 Dicendum est 3. Istæ tres potentiæ realiter inter se distinguūtur. Sic communiter Thomistæ cum D. Thom. p. p. q. 78. art. 2. & alibi cum Cajet. Banniz Complur. & Mag. Ioa. à S. Th. Prob. ex dictis supra. Realis distinctio potentiarum, sumitur ex diuersitate formali obiectorum, vt est dicitur obiecta istarum potentiarum, licet coincidāt in eadem entitate alimenti, formaliter distinguuntur in ratione obiecti; ergo. ℣. Conf. Istæ potentiæ habent diuersa organa specialiter nutritiua, & generatiua; ergo realiter distinguuntur, sicut hæc ratione, sensus externi distinguuntur, quia huiusmodi potentiæ materiales residēt in organo, & per illud distinguūtur. augmētatiua autem est specialis ratio, quia habet pro termino quantitatem, non quidem vt consequitur ad substantiam nutrientem, sed quatenus perducit ad debitum statum per specialem transmutationem de non esse, ad esse perducendo.

5 Si dicas sufficere vnam potentiam, quæ habeat illos tres actus augēdi, nutriendi, & generandi, quorum vnus ad alterum ordinetur, sicut in intellectu ad tres operationes, quæ sūt diuersæ specie, & vna ad alterā ordinatur.

6 Con. est, quod D. Th. loco citato ex p. p. qu. 78. docet non quod vnus actus ad alterum ordinetur, sed vna potentia ad alteram eique deseruiat, sed si non essent potentiæ diuersæ hoc verificari nō posset; ergo. ℣. Tum quia. In intellectu non est ratio diuersificandi potentiam pro illis actibus; tum quia ea potentia est vniuersalior, ideoque quod sufficit ad diuersificandas potentias sensitiuas, vt cognoscant sensibile, aut simpliciter, aut cum aliqua comparatione, aut discursu imperfecto, nō sufficit ad diuersificā dum potētias intellectiuas, at potētiæ vitæ vegetatiuæ in linea vitæ sunt imperfectiores, nec sunt vniuersales, nec habēt semināriā, quæ sequuntur ad perfectionem; ergo non sufficit vna potentia ad illos actus. ℣. Tum quia in intellectu omnes illæ cōsiderationes obiecti simpliciter, aut cōpositiuè, vel discursiuè attacti, nō extra hūc obiectum à modo immutan-

di intelligibiliter, at alimentum non auget modo nutritiuo, neque generatio fit modo augmentatiuo; ergo ex parte obiecti adest ratio diuersificandi has potẽtias: nam partialis substantia, & debita quantitas, vt maior, & substantiæ totalis de nouo producenda diuersa obiecta sunt. §. Tum quia isti actus, non dicunt ordinẽ formalem inter se, sed sunt fines proximi primo diuersi; nam quod finis vltimus sit idem, nõ obstat ad hoc, vt sit vna potentia, siquidem omnes potentiæ hominis habent pro fine bonum animæ, vt docet hic Aristot. tex. 36. sed substantia vt reparata, quantitas vt ad debitum finem perducta, & propagatio speciei diuersi fines sunt, non minus, quam obiecta sensuum externorum, quæ ad sensum interiorem, & intellectum possunt ordinari; ergo. §. Denique, quia subseruire etiam potentiam alteri, vt sensum intellectui, & vnam autem alteri, vt fræna factiuam militari, non arguit vnam esse facultatem, sed potius diuersas, quia fines proximi diuersi sunt, & instrumenta etiam diuersa; ergo eadem dicendum est in nostro casu.

7 Arguitur 1. Non potest dari species potentiæ, quæ excedat rationem generican, & eius obiectum, sed obiectum animæ vegetatiuæ in genere est corpus cõiunctum ipsi animæ; obiectum autem potentiæ generatiuæ, est viuens diuersum; ergo potentia generatiua, non est animæ vegetatiuæ potentia. §. Resp. quod licet in termino sit diuersum, tamen in principio est coniunctum, & materia generationis, vt patet ex eius diffinitione: quamuis nec in termino sit diuersum omnino, quia finis generationis est conseruare speciem, & ipsum individuũ, non idem, sed vt idem, vt ait Aristoteles hic text. 35.

8 Arg. 2. Ad probandũ plures esse, quam tres potentias animæ vegetatiuæ, quia nutritiua attrahit, decoquit, digerit, & expellit superflua: generatiua autem est attractiua superflui, formatiua seminis, seminatiua, & formatiua fœtus, vt cum Auicenna docet D. Thom. opus. 43. cap. 1. sed diuersi actus diuersæ rationis, diuersas potentias arguunt; ergo. §. Resp. ad summum hoc probare has tres potẽtias, non esse species infimas, sed genera quædam, vt censet satis benè Caiet. quod non est directè contra intentum nostrum: quamuis certius sit hos actus, ob ordinem quem dicunt ad vnum finem, attinere ad eandem potentiam athomam, ob vnitatem finis proximi perfectè assequuti, vt nõ obscurè insinuat Arist. hic text. 46. quod & docet Bannez p. p. q. 78. art. 2. dub. 2. & 3.

9 Contra 2. & 3. concl. arg. 3. ex Arist. 2. de Anima, tex. 42. eadem potentia animæ, est vegetatiua, & generatiua, & lib. de genet. animal. cap. 4. eadem enim materia est ex qua augetur, & ex qua constituitur primum. Itaque fa-

facultas quoque augens, eadem quæ in principio est, sed maior: sed nutritiua est, quæ primo constituit substantiam: ergo eadem est facultas augmentatiua, sed maior, sicut iuuenis infante maior est, sed idem. Resp. cum D. Tho. ibi, quod nomine vegetatiuæ intelligitur ibi potentia nutritiua, quia nomen generis illi attribuitur, sicut & pluribus alijs, & solũ docet generatiuam esse idem genere cum illa, & ideô prius agendum de alimento, quam de potentia generatiua, quia est communis materia respectu generis potentiarum animæ vegetatiuæ. §. Ad 2. testimonium resp. falsò citari, nam in illo cap. 4. potius dicit, quod alimenti duplex ratio est, altera nutriendi, augendi altera: nutriẽs est, quod esse præbeat, & toti & partibus: augens quod accessionem ad magnitudinem faciat, docet etiam generationem fieri ex residuo alimenti; vbi autem alia, & alia ratio est in obiecto, alia, & alia potentia datur: sicut in ente, & bono cõtingit, ergo ex doctrina Arist. in eo capite potius oppositum debet colligi.

10 Arg. 4. Potentiæ nõ multiplicantur in specie, & entitate, nisi per actus adæquatos, quorum vnus non reducitur ad alterum, sed nutrire, augere, & generare sunt actus inadæquati, & ad invicem reducibiles; non autem adæquati, ergo potentia vegetatiua vna est in specie athoma, & entitatiue, nec diuiditur, tanquam genus in tres potentias specie diuersas, & realiter; scilicet, in nutritiuam, & generatiuam. Prob. min. eadem virtus sufficit ad nutriendum ex substantia alimenti, augendum ex eius quantitate, & generandum ex residuo: ergo actus illi sunt inadæquati. Prob. ant. nec. eadem facultas, quæ transmutat alimentum in substantiam, ex consequenti nouam partem quãtitatis potest in viuente producere, quia noua pars substantiæ aggenerabilis, non est sine noua parte quantitatis: sicut nec de nouo generatur, nisi ex consequenti noua quantitas generetur ab eadem facultate generatiua: alias etiam facultas nutritiua, quæ in alijs partibus corporis conuertit alimentum in propriam substantiam: in vbere producit lac ex residuo alimenti, ad alimentum fœtus: poterit in vasis genitalibus, etiam ex residuo alimenti, generare semẽ, & simile sibi generare. §. Conf. 1. Nutritio est transmutatio substãtialis, ergo ad illam reducitur generatio, & per consequens facultas potens nutrire, potens est generare. §. Conf. 2. Motus adæquatè diuiditur, in alterationem, lationem, augmentationem, & generationem: sed nutritio non est alteratio, latio, aut augmẽtatio, quia hi motus terminãtur ad accidẽs, ergo erit generatio: at vbi operatio non est diuersa, nec potentia operatiua potest esse diuersa; ergo potentia nutritiua, non distinguitur à generatiua.

11 Respon. negando min. ad probat. Resp. cum D. Tho. q. 78. art. 2. ad 3. quod ad producēdam quantitatem, sine qua non potest esse substantia, non requiritur noua facultas, siue potentia, sed sufficit ea, quæ est ad producendam substantiam, siue partialem, vt cōtingit in nutritione, siue totalem, vt contingit in generatione; sed ad hoc quod habeat debitum terminum augmenti, & vt maior est; ad hoc datur facultas diuersa, scilicet, potentia augmētatiua; quia sicut substantia non est maior, vel minor; ita neque motus, aut potētia per se primo tendens in substātiam potest hoc respicere in quātitate, quia quidquid attendit in termino secundario ratione primam attendit, & idcō licet nutritio, & generatio consequenter ad substantiā possint producere quātitatem, vt contingit in generationē; & cessante augmento in senibus, tamen producere quantitatē sub ratione propria quantitatis, scilicet, maioris, aut minoris, petit motum, & facultatem animæ per se primo tendentem in quantitatem, & non tantum secundario, vel ex consequenti. & ideō ponimus potentiam augmētatiuam esse primo diuersam, à nutritiua, & generatiua, & actus vtriusque esse adæquatē diuersos. Quod autem nutritiua facultas possit conuertere substantiam alimenti in lac in vasis mammillaribus; non arguit posse conuertere residuum alimenti in semen. Tum quia posset negari, quod illa conuersio in hæc, sit à potentia nutritiua; nam potius est à generatiua, quæ hoc ipso quod fœtus est in matrice, producit lac in vberibus, ad eius substentationem, & non alias, & cum existime sint actus assignandi potentijs, & productio lactis non sit conseruatio proprij individui, sed alieni, sit consequens, quod nō sit istæ actus potentiæ nutritiuæ, sed generatiuæ. §. Tum quia gratis admisso, quod nutritione conuertatur alimentum in lac, nō sequitur quod generatio, quæ incipit in productione seminis, & terminatur in generatione alterius viuentis, sit à potentia nutritiua, quia productio lactis semper est ad partialem substantiam, siue in se, siue in alio; at semen virtute, est totalis substantia, & diuersa facultas requiritur ad totum, aut ad partes producendas. §. Ad 1. conf. Resp. ex Caiet. hic lib. 2. de Anima, cap. 4. §. *Ad differentiam*, quod nutritio est transmutatio substantiæ per se primo ad partialem substātiam, concedo; ad totalē per se primo, nego; & cum hoc secundum habeat generatiua potentia, distinguitur à nutritiua. §. Ad 2. respond. quod etiam nutritio est species motus, vt sic cōdistincta à generatione, latione, augmento, alteratione. Vide circa dicta ad hoc argumentum lib. 1. de Generat. à q. 53.

QVAE

## QVÆSTIO XXV.

*An potentia nutritiua, augmentatiua, & generatiua distinguantur à calore naturali, & à temperamento primarum qualitatum?*

1 DIcendum 1. Calor naturalis non est principiũ, nutritionis, augmentationis, & generationis. Sic Aristot. hoc 2. lib. text. 38. vsque ad 41. quia ille calor solum posset agere, vt virtus ignis, non vt virtus animæ vegetatiuæ, at vt virtus ignis non potest vitaliter augere, aut nutrire, aut generare; ergo cũ potentiæ positæ in animali ad istos actus exercendos, debeant esse potentiæ vitaliter exercentes, istas functiones, sequitur calorem, vt elementatum, seu quatenus elementa manent virtute, in mixto corporeo, quatenus manent primæ qualitates, non habere vim potentiæ nutritiuæ augmentatiuæ, aut generatiuæ. §. Præterea in termino nutritionis, augmentationis, & generationis requiritur certa magnitudo, & finitio ad certos terminos; quia animal non salvatur in quacumque materia minima, cum ibi non possit habere apta organa; neque in quantumuis magna, cum eam non possit mouere, & animare, at ignis, & calor non habens terminum; ergo calor elementarius ex se, non potest esse potẽtia vitæ vegetatiuæ, quam rationem vt melius intelligas, & radicitus penetres, vide Caiet. hic cap. 4.

2 Dicendum etiam 2. Nec consistit in temperamento primarum qualitatum potentia vegetatiua, quæ in nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam dividitur. Sic expresse Aristot. lib. 2. de generat. animal. cap. 4. vbi docet, quod sicut quæ arte efficiuntur, per instrumenta, & eorum motum efficiuntur, ita virtute (id est, potentia) animæ vegetatiuæ, fit augmentum vtendo caliditate, & frigiditate, tanquam instrumento; sic etiam D. Thom. p. p. q. 78. art. 2. ad 1. & q. 118. art. 1. ad 3. vbi reddit legitimam intelligentiam verborum Arist. hoc 2. libr. text. 50. vbi docet huiusmodi calorẽ esse instrumentum coniunctũ animæ ad alterationem, & decoctionem alimenti: nam & si virtus vegetatiua vtatur calore ad alterationem decoctiuam alimẽti, sicut artifex, seu coquus ad decoquendas carnes, tamen calor ipse non est, qui nutrit auget, aut generat, vt latius explicat Arist. videndus citato lib. 2. de gener. anim. c. 4. vide D. Th. 2. cõt. gen. c. 68.

3 Ratio est, quia temperamentum non est virtus animæ vt talis, sed vt est forma mixti, at potẽtiæ istæ vegetatiuæ sunt formaliter vitales, & proprietates animæ, vt vegetatiua est, vt toto c. 4. huius libri, & specialiter tex. 46. docet, sequitur, ergo quod, & si virtus vegetatiua, vtatur tẽperamẽto

to,& motū alterativo earū qualitatum,ad præparandum,& disponendum alimentum, vt ex eo producat substantiam partialem, aut totalem,aut debitam quantitatem,at talis potentia est qualitas diuersa ab eo temperamento; ex quo liquet quod cum temperamentum (etiam ex coniunctione ad animam) non reddatur vitale, non potest esse facultas vegetādi. §.Conf. virtus vegetatiua habet organice formare membra, aut secundum substantiam, aut secundum quantitatem partialem,aut totaliter,sed hoc excedit virtutē radicalē formæ substantialis mixti,ad quam sequitur temperamentum,estque proprium animæ,quæ essentialiter est actus corporis physici, & organici potentia vitam habentis: quæ potentia non abijt animam, sed ab ea prouenit, vt ait Aristot. hic text. 10. ergo potentia vegetatiua,non est entitas temperamenti,seu primarum qualitatum:sed diuersa qualitas,sequuta ad animam,vt anima est vegetans,per modum proprietatis.

4 Dicendum 3.Satis probabile est,quod potentia vegetatiua in calore consistat,non quidem elementari, qui pertinet ad temperamentum primarum qualitatum,sed calori naturali,qui specie distinguitur ab illo elementari,vt ait D.Thom. 2. cont.gent. cap.73.qui vtitur calore elementari,tanquam instrumento ex p. p.q.115.art.3.ad 2. & q.118.ar. 1.ad 3.& in 2.dist.18.q.2.art.3. qui calor naturalis ibi dicitur vnificans, quod vero isti calores specie distinguantur, tenet Ferrar.2.cont.gent.cap.73.§.Circa multiplicitatem,& prob.ex Aristot.hic text.60. *Est autem quo alitur duplex, sicut ex quo gubernatur*(nauis)*manus,& temo,hoc quidem mouens,& motum* (scilicet,temo)*omne autem alimētum necessarium est decoqui, operatur autem decoctionem calidum, vnde omne animatum habet calorē.* Ergo quo alitur calor est proprius animati per modum coniuncti instrumenti,& solum mouentis,sicut manus est,quo gubernator gubernat nauim: alimentum autem se habet, sicut temo, seu instrumentum separatum,& mouens motum;ergo sentit quod nutritio,seu alitio labore animæ fit, tanquam instrumento coniuncto: sed quo anima operatur,vt instrumento coniuncto,est potētia propriè operatiua animæ;ergo calor naturalis,vt distinctus specie à calore elementari est potentia nutritiua secundum Aristotelem,nō enim aliam qualitatem assignat in qua potentia alitiua consistat: vnde,& D.Tho.ibi docet, quod nutritionis alimentum coniunctum,est calor naturalis.§.Conf. quia licet ad alterandum alimentum, vtatur potentia vegetatiua calore naturali; tamen vt calor vitalis est, & naturalis, potest præstare effectum nutritionis,generationis, & augmenti; ergo in illo

illo calore consistit potentia vegetatiua, & sic potest intelligi Aristot. de sensu, & sensat. cap. 4. & lib. 3. de part. animal. cap. 6. *Calidum augmentat. Calor est, qui primum obtinet augendi*; intelligendo de calore naturali: sed sicut alterius speciei est calor cœlestis, naturalis, & elementaris, vt ex auctoribus relatis, & ex testimonijs adductis ex D. Thom. (si integrè legantur) constat; sic calor naturalis in tres species caloris partiri potest, quatenus operatur in ordine ad specie diuersos terminos, nutritionis, augmentationis, & generationis.

5 Con. 1. & 2. conclus. tenet Suar. 2. t. Summ. Theolog. tr. 4. lib. 2. cap. 9. & alij, & prob. quia calor naturalis concurrit ad opera vitæ vegetatiuæ, vt instrumentum coniunctum animæ; ergo habet rationem potentiæ vegetatiuæ in ordine ad omnem vegetationem, prob. conseq. Tum quia instrumenti, non datur instrumentum. Tum, ne sit processus in infinitum. Tum quia instrumentum per coniunctionem, & subordinationem ad causam principalē, potest id quod causa principalis intendit, etiamsi excedat virtutem naturalem, & propriam instrumenti; nam illa coniunctio, & subordinatio eleuat instrumentum, & facit ipsum trāseunter habere virtutem causæ principalis; ergo, & si calor naturalis ex se non possit vitaliter producere terminū augmenti nutritionis, & generationis, tamen quatenus est instrumentum coniunctum animæ vegetatiuæ, hoc poterit, ergo erit potentia vegetatiua: hæc enim secundū nos, nil aliud est, quam quædam qualitas, quæ est instrumentum coniunctum animæ vegetatiuæ. Conf. etiam, si substantia partialis, aut totalis, excedat vim productiuam naturalem accidentis, tamen qualitas accidentalis coniuncta animæ est potentia nutritiua, & generatiua; ergo, & si calor naturalis ex se non sit vitalis, tamen vt animæ coniunctus erit potentia vitalis. §. Confirm. 3. calor illæ, vel ad summum temperamentum naturale animalis, secundum virtutes actiuas, potest vltimo immutare, & transmutare alimentum, vt transeat in substātiam alibi, aut vt transeat in formam geniti, sed ad vltimam dispositionem sequitur forma; ergo non est necessaria alia potentia, quæ introducat formam aliti, & geniti, in materiam alimenti: præter calorem elementarem, & temperamentum; ergo in his consistit potentia vegetatiua.

6 Resp. negando, quod vnius instrumenti, etiam coniuncti non possit dari aliud, nam manus mouetur brachio, & hoc à virtute motiua, quæ in determinata parte residet mouetur, & tamen non datur processus in infinitū, quia ex fine determinantur à natura huiusmodi instrumenta. Ad 1. confirm. dico, quod instrumētum aptum, & proportionatum habet

ex

ex coniunctione, & subordinatione ad causam principalem operari effectum eius; non enim ligno scribimus, neque manu videt anima: calor autem naturalis ineptus est ad opera vitæ, quia formaliter nō est actus organi, neque sequitur ad formam sub gradu animæ, sed solum vt est forma mixti, ideōque non est instrumentum formaliter coniunctum, & subordinatum animæ, sed solum illi materialiter cōiunctum, quatenus sequitur ad eius entitatem, vt est forma mixti, ideōque ex illa coniunctione, non recipit virtutem ad nutriendum, augendum, & generandum. §. Ad 2. confirm. quod si accidēs sit vitalis qualitas, substantia non excedit virtutem eius eleuatiuā: at si non sit vitalis excedit; vt autem accidens sit virtus operatiua substantiæ, requiritur quod effectus, licet excedat eius vim natiuam activam: non tamen excedat proportionem eleuatiuam, vt patet in instrumētis separatis, quorum aliqua nequeunt assumi, sicut nec lignum ad pingendum assumi potest, cum autem calor naturalis, non sit vitalis virtus, assumi nō potest, vt potentia operatiua substantiæ, nutriendo, aut generando per illum. §. Ad 3. Instatur in potentia alteratiua, quæ vltimo disponit ad generationem, & tamen non est potentia generatiua: vel nego, quod ille calor vltimo disponat ad formam introducendam, quia non habet vim organizandi materiam, vt requiritur ad nutriendum, & generandum: neque modo vitali disponit, vt requiritur ad illas functiones.

7 Con. vltimam concl. arg. 2. quod si semel calor naturalis vnificus, est potentia nutritiua: videtur falsum, quod ad immutanda alimenta, vtatur calore elementari, seu temperamēto qualitatum, quia eo ipso eminentius præstabit ille calor, quod elementaris posset præstare in alteratione requisita ad concoctionem digestiuam; ergo si certum est, quod virtus vegetatiua vtitur calore elementari, tanquam instrumento, vt expresse docet Arist. hic text. 41. nō potest consistere in calore naturali ipsa potētia vegetatiua. §. Præterea secundum D. Thom. in 2. dist. 18. q. 2. art. 3. ad 5. expresse docetur virtutem, quæ est vim semine formatiua fœtus operari, quatenus illi coniungitur triplex calor; elementarius, resoluens, & cōsumens: calor animæ, qui est vnificans, & calor cœlicus, virtute cuius mouere ad speciem determinatam; sed illa virtus est participatio potentiæ generatiuæ, quæ restet in generante; ergo illa potentia virtus distincta est à calore elementari, naturali, & cœlesti. §. Resp. quod sicut in genito nō superfluit, quod calor elementaris producatur, qui attinet ad eius temperamentum, & etiam calor naturalis, sic neque in generante, neque in nutriente, quia vterque calor diuerso modo, & diuerso fine operatur calor elementaris re-

sol-

soluendo, & consumendo alimentum, & naturalis formando illud, & organizando. §. Ad Conf. resp. quod virtus illa, quæ est in semine, dicitur habere cõiunctos tres illos calores, quia est vna virtus virtute continens omnes illos, non autem quia ut entitas diuersa, cui accidant illi tres calores est enim instrumentum triplicis, quasi virtutis agentis, ignis, scilicet, generantis, & cœli, & in ordine ad diuersos fines, quos præstat, habet in virtute sua omnes illos calores ad immutandam materiam, in qua forma geniti est introducenda, cum triplici illo calore.

## QVÆSTIO XXVI.

*Quomodo sint diffiniendæ istæ tres potentiæ, & in quo subiecto resideant.*

1 POtentia nutritiua secundum Arist. text. 48. diffinitur sic, est *Principium suæ operationi possibile conseruare, quod ipsam habet.* Quod explicat D. I. n. quia cum medio calore soluuntur partes viuentis, & medio alimento conuerso in ipsum, conseruetur, quia reflaurat partes deperditas potentia, quæ hoc facit, & hunc habet finẽ, nutritiua est, ac per consequens benè per hoc ipsum diffinitur. Potentia augmentatiua potest diffiniri ex Arist. lib. 2. de generat. animal. c. 4. *Est principium, quod facit accessionẽ ad magnitudinem debitam, ad perfectas operationes eliciendas, & perfectum robur habendum; Generatiua autem. Est principium producendi simile sibi, ex vi productionis, & à principio coniuncto.* Quod ex Arist. & ex dictis in primo lib. de generatione facile intelligetur, vel ex Arist. hic text. 34. & 47. est principium factiuum non eius, quod alitur, sed quale id quod alitur.

2 Sed deueniendo ad subiectum istarum potentiarum dicendum est: potentiam nutritiuam, & augmentatiuam subiectari in omnibus, & singulis partibus corporis; generatiuam vero solum in vasis, & organis seminalibus. Prima pars prob. secundum Arist. text. 33. Omnes partes corporis nutriuntur, & augentur; ergo in illis est potentia nutritiua, & augmentatiua; prob. conseq. nam actio nutriendi, & augmentandi, debet esse in illo, quod augetur, vt docet Arist. quia est actio nutriendi, & generandi à principio cõiuncto, ergo; & hinc etiam probatur potentiam generatiuam solum esse in vasis genitalibus, quia ibi solum decoquitur alimentum, & recipit formam, media qua est potentia viuens, per modum principij coniuncti, ergo ibi solum est potentia generatiua ex qua procedit genitum, tanquã à principio viuente coniuncto genito; quantum ad principium ex quo fit genitum: comprobari potest experientia seminum, quæ

ex arboribus decidunt, quæ in determinata tantum parte habent vim generandi, & in determinata parte arboris elaborantur: vnde nostram sententiam tenet Aristot. lib. 1. de generat. animalium cap. 17.

3 An autem in Testiculis resideat huiusmodi potentia, an vero in vena, seu arteria, quæ recta via tendit ad vasa seminis, quæstio anatomica est, de qua late Valles lib. 2. de controuer. medic. cap. 5. mihi magis ad mentem Aristot. lib. 2. de generat. animal. c. 4. apparet esse in testiculis, quia ibi ponit virtutem vltimo, elaborandi semen, & eiaculandi, in qua actione consistit generatio.

4 Con. 1. concluſ. sunt aliqui quos sine nomine refert Rubio hic cap. 3. tract. de potent. anim. vegetat. q. 3. asserentes esse plures specie potentias nutritinas residentes in determinatis organis, sicut partes componentes organicum corpus, sunt specie diuersæ, & hoc est totum illius sententiæ subsidium, & fundamentum, sed tamen respondetur ex doct. Aristot. cap. 4. sæpius cit. quod virtus, seu potētia nutritiua vna est, quæ velut Pater familias diuersas portiones separat nobilioribus membris; minus verò depuratas imperfectioribus, & partes excremētitias vnguibus, & capillis, sicut ex eodem frumento Pater familias, portionem farinæ filijs, quæ defæcatior est secernit, grossiorem seruis, furfures autem iumentis, & totum hoc præstat eadem prudentia Acconomica, quatenus ad diuersa quorumque domi suæ existentium attendit, sic natura mediante eadem potentia nutritiua, diuersas partes corporis accommodato alimento reficit, in vnum finem conseruandi individuum, ita vt illa diuersitas de materiali se habeat, quia attenditur reparatio vnius compositi substantialis æterogenei.

5 Con. 2. vero stat Hipocr. in lib. de loc. affec. & Magnus Albertus 2. de Anima tract. 2. cap. 7. asserentes potentiam generatiuam dispersam esse per totum corpus, nec in determinata parte residere, quia eius officium est generare viuens simile generanti, quoad omnes partes; ergo eius est emittere particulas seminis ex singulis partibus viuentis, quæ residuæ sunt, & non necessariæ ad cōsistentiam viuētis. §. Sed hæc ratio futilis est; non enim generans actiuè seminans, neque vir assimilat genitū sibi ex eo, quod det illi partes materiales; nam hoc potius competit fœminæ, quæ tribuit materiam informem magnitudinis, vt latè docet Arist. toto lib. de generat. animal. specialiter cap. 4. lib. 2. sed spiritū spumosum in semine mittere, qui per modum artificis formet in illa materia similia membra, quod etiam explicat D. Thom. 2. con. gent. cap. 89. & alibi pluries, ergo potentia generatiua, quæ istam vir-

tu-

tutem artefactiuam communicat semini, dum fabricat illud virtute animæ, non debet esse dispersa per totum corpus, sed residere in vasis generationis; quo residuum seminis defertur, vt ibi decoquatur, & fiat potentia viuens, & spiritum illum virtuosum accipiat in ipsa emissione à vasis in quo consistit generatio; ac per consequens ibi residet potentia generatiua, & nõ in alijs partibus corporis vbi nihil horum fit.

## QVÆSTIO XXVII.

*Vtrùm potentia generatiua, sit perfectior nutritiua, & augmẽtatiua, & finis earum, & qua ratione generatio sit naturalissimum opus viuentium?*

1 DIcendum 1. Potentia generatiua perfectior inter omnes vegetatiuas. Sic D. Thom. p. p. quæst. 78. artic. 2. & prob. Illa potentia est perfectior, cuius propria operatio perfectior est, omnibus operatiuis. cuiuslibet alterius potentiæ, quæ sub eodem genere est, sed generatio est huiusmodi respectu nutritionis, & augmenti; ergo potentia generatiua, perfectior est alijs potentijs vegetatiuis, prob. min. Illa est perfectior operatio in aliquo genere, per quã operans participat modum agendi superiorum agentium, sed per generationem agentia caduca, & corruptibilia, conditionem Diuinam quoad possunt subeunt, & quasi in æternũ durãt *animal non ipsum, sed tale quale ipsum numero quidem non vnum sed specie*, vt ait Aristot. lib. 2. de Anima text. 34. & 35. ergo. §. 2. prob. eadem mio. ex Aristot. ibi tex. 49. Per quod diffinitur genus potentiæ est perfectissimum intra genus potentiæ actiuæ, quæ per actum vt perfectio est diffinitur, tanquam per finem, sed potentia vegetatiua, imõ, & ipsa anima pergenerare simile sibi diffinitur, tanquam per finem, ad quem ordinat omnes operationes, vt ibi docet Philosophus, quia generare simile sibi arguit summam perfectionem; ergo generatio perfectissima operatio est inter omnes vegetatiuas.

2 Dicendum 2. Generare sibi simile dicitur naturalissimũ opus viuentium perfectorum (sic Aristot. hic text. 34) non autem imperfectorum, quales sunt pueri, nec orbarorum quales sunt eunuchi, aut muli, aut aliæ species animaliam sterilis, quas meminit Aristot. lib. 6. de histor. animal. cap. 25. neque sponte nascentium, & absque semine; quæ ex putrefactione tantũ, & influxu cœli generãtur, vt sunt plures herbæ, & arbusta, & animalia imperfecta, his exceptis docet Aristot. quod generare sibi simile, est naturalissimũ opus viuentium vita vegetatiua, non quidẽ quod ideõ sit naturale, quia viuẽtia, sed quia talia viuentia, scilicet, non imperfecta,

non orbata, non sponte nascentia, vt aduertit Caiet. hic cap. 4. in principio.

3 Cum autem naturale dicatur aliquid in quantum distinguitur à violento, idem est esse opus naturalissimum, ac esse viuentia magis prona, & inclinationem intentionem habere ad hoc opus, quam ad alia opera vitæ vegetatiuæ; vnde licet non sit magis proprium opus viuentis, quia nec omni, nec soli viuenti cõperit, si quidem etiam igni, licet diuersomodo conuenit, tamen generare sibi simile, & sic facilè prob. hoc opus esse opus naturalissimum, quia est maior inclinatio, quia est finis aliorum operũ, magis autem inclinamur ad finem, quam ad ea, quæ sunt ad finem; esse autem finem probat Arist. Tum quia finis imperfecti est participare perfectiones perfectioris, at per generationẽ consequitur species corruptibilis, & ipsum viuens perpetuitatẽ, & quasi æternitatem in simili genito; ergo generatio est finis aliorum operum. Tum quia individuum eiusque opera, sicut propter speciẽ sunt, sic ad eius bonum, & conseruationem, tanquam ad finem ordinantur, sed generatione consequimur bonum perpetuitatis speciei; ergo.

4 Potest etiam dici naturalissimum opus viuentium, vt notat D. Thom. ad cit. text. 34. quia etiam inanimatis competit ex inclinatione naturę, licet aliomodo generare sibi simile, quæ est ratio D. Thom. ibidem. Si respondeas, quod ea quæ insunt per communia, sunt minus connaturalia, quã quæ insunt per propria: ergo ex quo generare sibi simile cõperat, etiam inanimatis, non infertur, quod generare sit opus naturalissimum viuentium. Præterea hic non agitur de generatione æquiuoca, & analoga, quæ competit igni, sed de vitali, & propria viuẽtiũ; ergo ex quo insit igni generare generatione æquiuoca, nõ sequitur, quod generatio propria sit naturalissima viuentibus. Sed Respon. benè à PP. Complut. hic disput. 8. quæst. 2. num. 26. & simul roboratur expositio S. Tho. quod cum aliqua operatio secundum communia solum prædicata conuenit, & non secundum propria, minus naturalis est, quia non est, tam propriam naturæ illi, quod non ex proprijs conuenit: at si ex vtroque capite conuenit, magis naturalis est; quam si solum ex ratione propria conuenit: sed generare sibi simile conuenit viuenti perfecto, & ex ratione cõmuni ad ignem, qui verè generat, licet generatio sit communi tet dicta, vt dicit mutationem de non esse ad esse, nõ autem vt est vitalis, & ex ratione particulari viuentis, cum tamen, neque nutritio, neque augmentatio, sit communis viuentibus, & non viuentibus, etiam secundum rationem communem: ergo iure optimo dixit D. Thom. quod generare sibi simile, ideò est opus naturalis-

lissimum, quia conuenit etiam alijs naturis non viuentibus, & sic falsum est, quod generare sibi simile, conueniat æquiuocè igni, & viuenti: sicut igni augeri, & nutriri conuenit æquiuocè: nam etsi generatio viuentium vt talium, æquiuocè conueniat igni, sicut conuenit prudentia formicæ, tamen generare sibi simile, generatione vera, sed communiter dicta, quatenus dicit transitum de non esse, ad esse cum similitudine, verè competit igni.

5 Con. 1. concluſ. Arg. 1. Generare sibi simile, non conuenit viuenti in quantum viuens, vt docet Aristot. hic t. 34. & alibi, & cum eo Mag. Bannez, alioquin nullum esset viuens, cui non deberetur potentia generandi: quod tamen falsum est, vt iam dixi, sed conuenit illi, quatenus natura quædam est, & habet aliquid commune, etiam cum non viuenti; ergo potentia generatiua, & ipsum generare nō sunt perfectiora, quam potentia nutritiua, & augmentatiua, quæ sunt propriæ viuentis in quantum viuens, prob. conseq. illa enim potentia, quæ sequitur ad gradum perfectiorē, perfectior est, qua ratione potentia intellectiua, perfectior est, quam sensitiua, & hæc quam vegetatiua; ergo. Resp. quod etsi generatio communiter dicta, non competat viuenti qua viuens est, sed qua natura perfecta, at generatio vitalis, ex quo viuens est illi competit, sed non omni competit, sed in quantum perfectum est, quia generare sibi simile supponit esse perfectum in se, vt dicitur 4. meteor. text. 19. & ideo viuentibus non competit, nisi sint perfecta, aut habeant statum perfectū, ex quo potius arguitur potētiam generatiuam, esse perfectiorem nutritiua, & augmentatiua, quia illæ potentiæ, etiam imperfectis viuentibus competunt, & in ordine ad perfectionem individualem, quod minus est, quam bonum naturæ.

6 Con. 2. concl. arg. 2. Naturalius est viuenti inclinari ad esse proprium conseruandum, quam quod det alteri esse, sed per nutritionem conseruat esse proprium, per generationem autem dat esse alteri; ergo naturalior est nutritio, quam generatio, & per consequens generatio nō est opus naturalissimum viuentium, min. prob. Tum quia secundum Aristot. etsi absolutè sit amabile bonum, tamen vnicuique proprium est magis amabile, quam extraneum, sed vnumquodque magis inclinatur, ad illud quod est sibi magis amabile; ergo omne viuens magis inclinatur, & magis pronum est ad proprium esse conseruandum, quam ad dandum esse alteri, extra se per generationem, sed vt benè aduertit Caiet. cap. 4. lib. 2. de Anima, in tantum aliquid dicitur naturale, in quantum ad illud est inclinatio, & pronitas naturæ; ergo esse conseruatum in se est terminus maioris

inclinationis, & magis connaturalis, quam esse alteri communicatum, ac per consequens nutritio, quæ tendit ad conseruandum esse in viuente ipso, erit connaturalius opus, quam generatio. Tum quia quoties generatio impedit nutritionem, & conseruationem individui, vel eius augmentũ, cessat natura ab opere generationis, & ideô in pueris, & senibus, non defert materiam alimenti, ad vasa genitalia, quia necessaria est ad esse individui. Si autem naturalior esset generatio, & maius bonum, daret illi operam, etiam cum dispendio nutritionis; ideôque ne detur vacuum ascendit aqua cum incredibili vehementia, & brachium opponitur ictui capitis, etiam cum dispendio sui; quia prævalet in primo casu, inclinatio ad bonum vniuersi, & in secundo ad bonum totius suppositi; ergo maior est inclinatio ad proprium esse conseruandum, quam ad communicandum illud alteri.

7 Resp. cum Caiet. quod esse proprium connaturalis est, & terminus maioris inclinationis, quã esse extraneum, vt tale, at generatio vt talis, non tendit vt ad finem, ad esse alterius, hoc enim per accidens est, sed ad esse proprium, vt conseruandum in perpetuum, vt fieri potest; idest, non vnum numero, sed specie, per quod est participatio aliqualis immortalitatis; vnde quando Socr. generat Platonẽ, finis generãtis, non est Plato, sed Socrates, vt conseruandus in esse, licet non in se, quia est corruptibilis, in alio tamen, qui sit similis sibi, & qualis est ipse, ideôque appetit suum esse, meliori modo, quam habeat per nutritionem, nam per eã corruptibili esse conseruat: & sic generatio semper tẽdit ad esse, vt est maius bonum, & magis appetibile, & ad se attinens; non verô vt bonum alterius, & per consequens, generatio est opus naturalissimum. §. Ad illud de generatione respõdetur, quod etsi cessaret dum impedit nutritionem, neque tũc sit appetitus, & inclinatio ad illam, ideô est, quia generatio est opus naturalissimum non cuicumque viuenti, scilicet, orbato, aut spontaneo, sed perfecto, vt ait hic Aristot. & ideô si desit perfectio ex parte subiecti, cessat inclinatio, & naturalitas generationis, sed supposita perfectione, est opus naturalissimum. Neque est idẽ ad inclinatione partis vniuersi, ad totum vniuersum, seu partis individui ad totum, quia ea inclinatio non sequitur ad partem, vt perfecta est, sed quatenus pars, & ideô etiam cum dispendio sui prævalet, & hoc ideò, quia sine toto, nec pars, nec totum cõseruantur, at sine eo quod hoc individuum generet, conseruatur natura, alio generante, si autem non esset, nisi vnum individuum, tunc cum dispendio sui generaret, & ideô si verum est, quod detur auis, quæ Phœnix dicitur ipsa se com-

comburit vt alia renascatur, vt narrat Lactantius carm. de phœnice, §. Addit Caiet. quod nutritio; etsi sit naturalis viuentibus tamen naturalior est generatio: quia nutritio competit ratione imperfectionis, quatenus reficit, quod debilitatũ est, & ideò necessario supponit viuens imperfectum, at generatio supponit subiectum perfectum: sed naturalius est, quod conuenit alicui, quatenus perfectum est, quam quod conuenit, quatenus imperfectum; quia hac ratione bono, & perfecto conuenit esse diffusiuum sui naturaliter, quod, & Deo cum summa perfectione cõuenit, ergo naturalior, est generatio, quam nutritio, & augmentatio.

8 Quod si instes: naturalitatem fundari in appetitu, & pronitate secundum Caiet. sed appetitus fundatur in imperfectione, & priuatione, quæ est causa appetitus, quia nihil appetit impetu naturæ, nisi suam perfectionem, qua indiget; ergo videtur sequi oppositum doctrinæ Caiet. scilicet, quod quia generatio fundatur in perfectione sit magis naturalis, quam nutritio. §. Resp. quod maius bonum est perpetuitas in esse, quam consequitur generatio, quã esse caducum, quod affert nutritio, alias nutritio supponit esse imperfectum, & diminutum in individuo, & generatio supponit esse perfectum; & per consequens naturalitas, quã habet generatio maior est, quia supponit maiorẽ perfectionem, & consequitur maius bonum ad quod est capacitas mediante generatione, non mediante nutritione, & ideó cum priuatio supponat aptitudinem, & fundet appetitum naturalem sequitur, quod & generatione explicetur maior pronitas, & apperitus naturæ, quã in nutritione, §. Præterquam, quod naturale hic sumitur, quatenus distinguitur à violento: hoc autẽ naturale non fundatur in priuatione, sed in eo quod sit virtus ab intrinseco se mouẽdi, hæc autem cũ sit virtus actiua, in perfectione fundatur; ergo si generatio supponit viuens perfectũ, & nutritio imperfectũ, sequitur naturaliorẽ esse viuenti, vt viuens, & agens est generationem, quam nutritionem.

9 Arg. 3. Ad idem. Vnũquodque magis inclinatur in id, quod perfectius est, quia omnis inclinatio ad perfectionem est, sed sentire, & intelligere perfectiores operationes sunt, quam generare; ergo magis inclinatur viuens ad sentiendum, & intelligendum, quam ad generandum, at hic naturale dicit pronitatem, & inclinationem naturæ; ergo. §. Cõf, eo magis naturalis esset generatio, quia ad bonum perpetuum est, sed intelligere in se ipso continuatam, & intrinsecam perpetuitatẽ dicit; ergo maior est inclinatio ad intelligere; ergo intelligere est naturalissimũ opus viuentiũ, §. Resp. quod Aristot. hic solũ agit de generatione comparatiuẽ

ad viuens vegetatiuum, & ideò dato, quod sentire sit magis naturale viuēti, vt sensitiuo, & similiter intelligere viuēti intellectiuo nihil contra nos. Sed subtilitas Caiet. citato cap. 4. huius secundi lib. q. 1. non quiescit. Sed adhuc dato, quod loqueretur Aristoteles de viuēte vt sic, saluat, quod generatio sit naturalissimū opus viuentiū; quia etsi sentire sit operatio perfectior, quam generare, cæteris paribus: at non sunt cætera paria, quia sentire perficit non perpetuando, sicut generatio; intelligere autem etsi sit perpetuum, tamen non in hoc statu, nec conuenit viuenti, vt viuens est, idest vt totum, sed ratione partis, & per consequens non perpetuo, quia totum est corruptibile, at generare toti conuenit, ratione totius, & perpetuat totū, vt totum est, & ideò formaliter sumpto viuenti, vt debemus intelligere Arist. loqui (quia decet eius ingenium tanta formalitas) generatio est naturalissimū opus viuentium corruptibilium; quibus si addas, quod hic naturale nō tam sumitur prout dicit perfectionem individui, sed impetum naturæ, fiet consequens, quod generatio sit perfectior, & magis naturalis, quarenus dicit respectum ad esse ab intrinseco naturæ exigētis suā conseruationem, idest ab intrinseco individui, vt mouetur à natura ad perpetuitatem, quæ participationem diuinitatis dicit, quamuis sentire, & intelligere dicant maiorem perfectionem, comparatiuè ad individuum, & cum naturalis perfectio sumpta à natura sit maior simpliciter, quā quæ sumitur ab individuo fit consequens, quod generatio simpliciter, & non tantum secundum quid, sit naturalior, & perfectior, quam quodlibet aliud opus viuentium; & sic pullulantibus plurimis obiectionibus, viam facile præcludemus.

## QVÆSTIO XXVIII.

*Quid sensus sit; & an sit potentia actiua, vel passiua?*

1 DIcendum 1. Hæc est legitima diffinitio sensus in communi, seu potentiæ sensitiuæ. *Quod sensibile, sine materia formas suscipere potest.* Sicut annuli ignū nne ferro, vel auro suscipit cera. Sic Arist. quæ diffinitio communiter acceptatur à Philosophis, & bona est, quia explicat naturam sensus, seu potētiæ sensitiuæ, quæ dicitur ad sensibile, per recipere non vtcumque; hoc enim habent materia, & res materiales: sed sine materia, quod est proprium cognoscentium: fieri aliud à se recipiendo formas rerum sine materia, seu species rerum; relicta materia in ipso sensibili, ad eum modum, quo forma sigilli aurei imprimitur in cera, relicta materia, auri, aut ferri ex quo constat sigillum; Hæc est necessarium diffinire sensum exter-

ternum, sicut illum diffiniuit Ferrar. hic q. 20. *Potentia cognoscitiuæ receptiuæ specierum sine materia: non tamen sine præsentia materiæ.* Nam quod sensus sit potentia cognoscitiua, ostenditur per hoc, quod dicitur suscipere formam, sine materia si quis vellet negare sensus esse potentias cognoscitiuas: & cum subsit quæstio, an sensus externus possit etiam absentia cognoscere, nō debuit hoc poni in diffinitione, quæ debet per certissima procedere, & per terminos formalissimos tradi, vt docet Mag. Sot. in Dialec. agendo de diffinitione communi.

2 Dicendum 2. sensus externi sunt potentiæ passiuæ respectiuè ab obiectum, actiuæ autem respectiuè ad sensationem, sed antequam vtralibet pars conclusionis probetur, aduertit Arist. hic texta 57. quod sensus non est potentia passiua, passione corruptiua, quæ à contrario, & dissimili est, sed passione potius perfectiua, quæ nullum contrariū habet, neque requirit transmutationē Physicam, qua aliquid deperdatur existens in potētia, sed solum per hoc, quod ab obiecto existente in actu reducitur in actu, sicut cū diaphanum illuminatur; 2. aduerto ex D. Thom. q. 16. de ver. a. 1. ad 13. quod potentiæ non præcise dicuntur passiuæ, aut actiuæ per ordinem ad operationem, sed potius ad obiectum, vnde potentiæ nutritiuæ dicūtur actiuæ, quia actiuè versantur circa alimentum immutando ipsum, & transferendo in substantiam, aut quantitatem agentis, aut in substantiam sibi similem, at si alimentum ageret in potentias vegetatiuas, & sic operarentur, dicerentur passiuæ potentia, quia esset quo viuens pateretur ab obiecto talis potentiæ in hoc, ergo sensu debet dici sensus potentia passiua, quia est quo animal patitur ab obiecto, & alteratur ab eo, & fit in actu vt operetur.

3 His positis prob. concl. ex Arist. hic c. 5. & D. Thom. ibi vbi totus est in probando, quod sensus patitur ab obiecto sensibili, nec aliter potest operari; & hac ratione dicitur potentia passiua, quia non habet à se actum completum ad agēdum, nisi quatenus mouetur, & immutatur à sensibili, sic etiam D. Thom. passim, & communiter Philosophi, qui non negant species immissas ab obiecto requiri ad cognitionem sensibilem.

4 Probat Ferrar. hic q. 8. 1. partem concl. Sensus non agit in sensibile, in hoc enim distinguitur à potentijs vegetatiuis, sed potius patitur ab illis passione perfectiua; ergo patitur ab obiecto sensibili; ergo, est potentia passiua, nam potentia cum dicatur talis per ordinē ad obiectum, si habet ordinē principij passiua ad illud debet dici, passiua potentia. §. Confir. si sensus non esset potentia passiua semper esset in actu sentiēdi independenter à sensibili, sed hoc

hoc est falsum, ergo est passiua, & non actiua potentia, prob. mai. quod potentia non agat semper, aut prouenit ex eo quod est passiua, aut quia eius actio est trãsiens egens externo subiecto in quo recipiatur, quod quia non semper adest cum debita dispositione, nõ semper est actio, sed sensatio est actio immanens, vt dicitur 9. Metaph. text. 16. ergo si sensus nõ est potentia passiua, sed actiua, sequeretur quod semper ageret, & sentiret, etiam in absentia sensibili. 3. Confir. 2. ratione Arist. textu 51. si sensus non est potentia passiua ad sensibile, sed actiua potius ideò hoc esset, quia in se haberet sensibilia; Puta Ignem, aut Terram, ex quibus constat, quia simile simili cognoscitur, ideòque nõ egeret moueri, & pati ab externo sensibili sequeretur, quod sensus se actu semper sentiret, sed hoc est falsum; ergo, prob. min. si combustibile esset actu, seu actu comburens: vteret se necessario, sine igne, & ideò eget Igne, vt motore, quia est in potentia ad ignem, & potest comburi ab illo; ergo si sensus non sentit se ipso se, non est potentia actiua, sed est in potentia ad sensibile, & non habet illud à se actu.

5 Quod autem sensus in ordine ad operationem, non sit purè in potentia passiua: liquet, quia est potentia vitalis, & sensatio actio vitalis: sed viuere non est pati, sed producere à se, & ab intrinseco operationem; ergo non dicitur sensus potentia passiua respectiuè ad sensationem, sed ad sensibile; ergo nec est potentia purè passiua.

6 Si dicas cur, ergo sensus magis dicitur potẽtia passiua, quam actiua, aut cur non dicitur partim vtrumque, aut quare non dicitur actiua potẽtia respectu operationis?

7 Resp. ex Doct. D. Thom. adducta à Ferr. cit. quæst. 8. concluf. 2. quod potentia absolutè nõ denominatur actiua si sit operatiua actiuè, sed quatenus dicit ordinem ad obiectum, quod respicit media operatione, & quia sensus passiuè respicit obiectũ, etiam eliciendo operationem dicitur passiua, & non actiua, quia non elicit, nisi patiendo à sensibili, id est, quatenus informata eius specie.

8 Con. diffinitionem sensus traditam, arg. 1. Aër est susceptiuus specierum, sine materia, & similiter sensus, & intellectus; ergo per esse susceptiuum formarum, seu specierum, sine materia, non benè diffinitur sensus externus, prob. conseq. nam per id quod conuenit alijs à diffinito, non rectè explicatur natura diffiniti. 3. Respõd. quod intelligendo particulas diffinitionis formaliter, vt in omni diffinitione debent intelligi facile satisfit obiectioni; nam aer non recipit formas, seu species, vt formas sine materia, sed potius materiatas, & in esse entis, cum non percipiat formam re sensibi-

lis,

lis, quam repræsentant species; sensus autem internus, non immutatur formaliter à sensibilibus, ad extra, & in se, sed species accipit à sensibus externis, intellectus autem non percipit directè sensibilia, & singularia, sed solum vniuersalia, & ideò formaliter non recipit formas sensibilium, sed formas phantasmatum, quæ non sunt sensibilia ipsa ad extra.

9 Arg. 2. ad idem. Vnumquodque recipitur ad modum recipientis, sed sensus externi sunt materiales; ergo recipiũt formas sensibilium materialiter, ergo non sine materia, ergo non potest cõstitere ratio sensus externi in eo quod sit ratio susceptiua formarum, sine materia, sed eo dato saltem non est proprium sensus, sic recipere, at omne diffinitum per propria debet procedere; ergo hæc non est bona diffinitio sensus externi, prob. mai. omne patiens immutatur ab agente in quantum agens, & sic recipit ab illo quidquid recipit, sed agens agit in quantum est actu, idest, ratione formæ, & non ratione materiæ, secundum quam non est agens, sed patiens; ergo omne patiens recipit formam, sine materia, prob. cõseq. nam agens assimilat sibi passum in forma, & in actu ratione, cuius agit. §. Confir. ab exemplo; ager enim non recipit ab igne materiam, sed calorem, aut formam ignis, non autem materiã. §. Respond. quod sensus pro materiali sunt materiales, at formaliter sunt sensus in quantum aliquo modo eleuantur à materia per ipsciales dispositiones, vt ostendit D. Th. 1. p. q. 78. art. 1. & 2. & quæst. de Anima, art. 13. & cũ omne quod recipitur ad modum recipientis recipiatur, idest, secundum quod est dispositiuum ad recipiendum, sequitur, quod licet de materiali insit immutatio quædam materialis organi, vt contingit in tactu, & in alijs sensibus, quatenus species in esse entis, & accidentis recipitur, tamen formaliter vt species, & in esse repræsentatiuo recipitur species ratione formæ, sine materia, quæ est in obiecto sensibili. §. Ad conf. Resp. D. Tho. hic ad textum 121. quod impatiẽte naturali recipitur forma ab agente, sine materia eadem nũmero, quæ est in agente, sed non sine materia simili illi, quia per similes dispositiones recipiẽs recipit, & ideò forma habet eundem modum essendi in passo, & in agente, & ideò calor ignis receptus in aëre calidum reddit, at forma sensibilis recipitur in sensu, sine dispositione simili ad eam, quam habet in obiecto, & ideò in obiecto est naturaliter forma, & in sensu intentionaliter, & per consequẽs non habet similes dispositiones, nec modum similem essendi in sensu, & in sensibili, ac perinde ibi recipitur forma immaterialiter, & sine materia, & ideò calor in sensu non facit sensum coloratum, sicut in obiecto facit coloratum: ad eum modum quo forma sigilli,

quæ

quæ in eo est aurea, aut ferrea nō facit ceram esse aurum, aut ferrum; & ideō etiam Aristot. ait, quod forma sensibilis est in sensu, non secundum modum quo dicitur in sensibili, aut denominat ibi, sed præcisæ in quantum forma est.

10 Contra 2. concluſ. arg. 3. sensus externi sunt potentiæ consecutæ ad animam sensitiuam; ergo sunt perfectiores, quam potentiæ animæ vegetatiuæ, sed illæ potentiæ, v.g. nutritiua, & generatiua sunt potentiæ actiuæ, & passiuæ; ergo sensus sunt actiuæ potentiæ, & non passiuæ, alioquin ignobiliores essent potentijs vegetatiuis, quia actiuum nobilius est passiuo simpliciter. §. Resp. cum Ferrar. actiuum nobilius esse passiuo sibi correspondente, non autem absolutē, alioquin potentia nutritiua nobilior esset intellectu possibili, sed melius Resp. explicando hoc ipsum actiuum est nobilius passiuo, si sit actiuum materiale, & per actionem transmutatiuam, & passum patiatur passione corruptiua, aut abijciente aliquam perfectionem, conc. si passiuum solum patiatur: passione perfectiua, & intentionali, neg. Sic enim fit aliud à se immateriali modo, & perfectius est hoc quā sensum agere transmutando; sic enim collocatur in nobilioti ordine entium eleuatorum supra māteriam, & modum agendi materialem.

11 Arg. 4. si ob aliquam tactionem sensus esset potentia passiua maximē ob rationem Aristot. traditam text. 12. quia sentiret se, & sine obiecto ad extra sentiret; sed hæc ratio est nulla, nam ignis est potentia actiua, & tamē non comburit se, sed alia; imō voluntas, quæ agit actione immanēte amat dependenter ab obiecto, & etiam amat se, sensum autem sentire se, non est absurdum, quia tactus sentit in se calorem, aut frigus, & lingua febrici, tāris amarum percipit humoris cholerici quo abundat. Tum etiam esse, & denominatio potentiæ sumitur à fine per quem diffinitur, vt ait Aristot. hic text. 33. sed finis sensus est operatio (visus enim datur propter visionem) ergo non debet denominari sensus passiua potentia, sed actiua cum ad operationē actiuē se habent. Denique voluntas non est potentia passiua, sed actiua, etiamsi moueatur à bono trahente ad se voluntatem, cum tamen tractio trahentis sit actio, & passio tracti; ergo à fortiori sensus externi, qui sunt potentiæ apprehēsiuæ trahentes ad se obiectum non debent dici, potentiæ passiuæ, sed actiuæ. §. Respond. quod ibi Aristot. solum intendit, quod si sensus esset potentia non passiua, nō egeret obiecti præsentia ad sensationē, quia egere alio ad agendum, vel prouenit ex eo, quod sit potētia passiua, vel quod agat actione transeunti, cum autem actio sensus immanens sit, nisi demus esse potentiam passiuam sem-

semper sentiret independenter à sensibili, & hoc intendit ibi directè, non verò quod sentiret se, licet hoc ex consequenti colligatur. Vnde exemplum ignis non est ad rem, quia agit actione trâseunti non in se, sed in alterum, & voluntas amat se, quia est reflexiua, quod non habet sensus. §. Ad 1. confir. quod denominatio sumitur in potentia à fine vltimo, & per se, & non à medio, cum autem sensus respiciant pro fine vltimo obiectũ à quo patiuntur, & operationem, vt finem inter mediũ, fit quod absolutè denominentur potẽtiæ passiuę, quia operãtur ex motione obiecti. §. Ad 2. Quod & si sensus externus sit potentia apprehensiua, tamen apprehendit quatenus immutatur ab obiecto immittente speciem, & ideô non trahit obiectum ad se per aliquã virtutem actiuam, quam habeat in se, sicut intellectus agens hoc habet, & possibilis medio intellectu agente, & ideô sensus est potẽtia absolutê passiua, at voluntas trahitur ab obiecto non immediatê (finis enim solum monet me metaphoricæ) sed mediante ponderesuæ inclinationis, & impulsus, quæ sunt rationes actiuæ, sicut lapis trahitur à centro media grauitate, quæ est virtus actiua lapidis, & ideò voluntas debet dici potentia actiua, & non passiua. 11. Arg. denique con. 1. concluſ. ad probandum, quod sensus non operantur sensatione, sed sensatio est alterari sensum à sensibili, & prob. ex Arist. 2. de Anima, text. 52. vbi ait *actiuũ operationis est extra*, & loquitur de operatione sensus externi, at sensus est intra, ergo sensatio ab obiecto ad extra fit, & non à sensu. Tum etiã lib. 3. text. 138. *Operatio rei sensibilis, & sensus vna quidem, & eadem est.* Sed vna, & eadem actio non fit à duplici agente; ergo si fit à sensibili, non fit à sensu. Prob. ratione, sensatio, est perceptio obiecti sensibilis, sed percipitur sensibile à sensu, dum alteratione intentionali informatur eius specie, ergo sensatio passio est sensus, & non operatio eius. §. Resp. mentem Arist. esse quod actiuum sensus, & operationis per modũ obiecti est extra, non autem actiuum per modũ principij effectiui alias incongruenter refutaret Democritum dicentem, sensationem esse operationem sensibilis, quod tamen facit lib. de sensu, & sensato. Vnde mens eius in secundo testimonio non est, quod obiectum sit adæquata ratio sensationis, sed potius oppositum ab obiecto in sua linea, & à sensu in sua, & tamen vnica operatio est, quam à diuersis sub diuersa ratione procedere non est absurdum. §. Ad argumentum ex ratione formatum resp. quod sensatio est perceptio vitalis obiecti per modum quo subiectum in percipit formam qua informatur, nego ant. non enim sequitur quod sensatio sit passio, sed potius quod sit actio sensus, qua actiuè percipit obiectum.

12 Occasione huius difficultatis solet agitari, apud Philosophos dubium, an sicut datur intellectus agens, & possibilis, ita detur sensus agens, & possibilis, cui breui ser. cum D. Thom. lib. 3. de Anima, lect. 3. & 1. p. q. 74. a. 3. ad 1. & com. sen. eius discip. negatiuè resp. & prob. 1. auct. Aristot. sic quia ipsæ explicans, quomodo reducuntur sensus in actum (hic text. 73.) solum meminit sensibilis, & medij, non autem sensus actiui; ergo nil aliud concurrit ad sensum mouendum ad sensationem, ergo ex mente Aristot. non datur sensus agens, nisi dicatur diminutissimè processisse Aristot. qui intellectum agentem latè explicuit, & sensus agentis nunquam meminit: imò in hoc cap. 5. semper docet sensum esse potentiam passiuam ab obiecto, non autem à sensu agente, & quod *actiuum operationis est extra* text. 52. ergo non intra, ergo non datur sensus agens. §. Prob. 2. rat. sic. Non sunt multiplicandę entitates, absque necessitate, & ratione, sed ratio ob quam ponitur intellectus agens cessat in sensu, ergo non est ponendus sensus agens, prob. min. eo ponitur intellectus agens, quia sensibilia materialia, non possunt immutare intellectum imprimendo speciem uniuersalem, & spiritualè, & ideò ponitur intellectus agens, qui eam abstrahat à phantasmatibus, sed hæc ratio cessat in sensibilibus, quæ ex se habent proportionem ad immutandum sensus materiales cognoscitiuos rei singularis, vt sunt in se ad extra, ergo non datur sensus agens. §. Confir. sensus agens non posset formare species sensibiles abstrahendo species sensibiles ab illis, sed sublato fine neganda est potentia, quæ est medium; ergo, prob. non posset hoc facere per actionem immanentem, quia hæc non exit extra agens, ac per consequens, si non haberet obiecta intra se, non posset ex eis abstrahere species, at esse intra sensum agentem, non possent sensibilia, nisi medijs speciebus; ergo iam ex hoc capite superflueret intellectus agens, sed nec hæc posset facere per actionem transeuntem, quæ enim virtus sufficeret, vt oculus immutaret Cœlum, Solem, Lunam; ergo fictitius est sensus agens. §. Si dicas, quod sicut Sol, & Cœli immittūt species ad nos: ita oculus nostet virtute participata ab ipso cœlo, abstraheret species ab illo: hæc responsio etiam est ridicula, non enim eandem vim oculo, & cœlo, vel par actiuitas ad agendum indistans concedenda est: præterquam quod non est eadem ratio, quia obiectum immutat sensum intentionaliter: ac perinde distantia non se habet formaliter, ac si sensus agens immutaret obiectum alteratio illa esset naturalis ad modum quo nutritiua potentia immutat alimentum; at in quantitate oculi virtus naturalis transmutatiua naturaliter tanta esse

non

non potest, vt in cœlum vsque spatiari valeat; ergo.

14 Cont. nostrum assertũ militat hoc argumentum. Ex eo probat Aristot. intellectum agẽtem, quia est intellectus possibilis ad omnia fieri, & in linea in qua datur passiuum debet dari actiuum. Sed datur sensus externus porens fieri omnia sensibilia suæ lineæ, ergo debet dari sensus agens porẽs omnia facere. 2. Nihil potest agere vltra suam speciem, sed sensibile in se habet formam suam modo materiali, ergo non potest eam causare in sensu sine materia, ergo ad hoc debet poni sensus agens, vel in ipso sentiente, vel saltim in motore primi cœli, vt contendit Auer. hic text. 60. §. Resp. ex dictis non præcisè poni intellectum agentem, quia intellectus possibilis est ad omnia fieri; sed quia illa omnia ad quæ est potens fieri, nequeunt reduci ad actum ab ipsis obiectis habentibus esse materiale, & ideò necessarius est intellectus spiritualis agens: at obiecta sensibilia possunt sensum reducere in actum eorum, quæ potest cognoscere, & ideò nõ requiritur sensus agens. §. Ad 2. resp. ex Caiet. & D. Thom. quæst. de potentia, art. 8. quod sensibilia corporalia, ratione sui non possunt immutare sensum causando in illo intentionaliter formam sine materia: at quatenus attingunt ad ordinem substantiarum separatarum à quibus regatur vniuersum, optimè possunt hoc facere, sicut aqua maris habet motum fluxũs, & refluxus, etsi hoc tantũ intendit Auer. libenter illi assentimur, aõ enim negamus ex actiuitate virtutis motricis, tanquam ex primo agẽte in hoc ordine prouenire, quod species sensibiles causentur in sensu à sensibilibus materialibus.

## QVAESTIO XXIX.

*Vtrùm sensus externi sint tantum quinque?*

1 Concl. nostra est affirmatiua, & communis eãque approbat D. Thom. 1. p. qu. 78. art. 3. qui & videri potest in contextibus marginalibus, & Bannez, qui plures refert pro hac sententia SS. PP. A posteriori prob. ab Auic. & Mag. Alberto: quia organa sunt propter sensus, vt hic ait Aristot. sed solum sunt quinque organa sentiendi: ergo quinque sensus. Tum etiam medium ad sentiendum, aut coniunctum est, aut separatum, si coniũctum, est quo tangimus, & gustamus: si separatum est olfactus, visus, & auditus; ergo sunt hi tantum quinque sensus.

2 D. Thom. probat à priori. Distinctio potentiarum, & sensuum ab obiectis debet desumi, etsi sit potentia passiua ab obiecto, quatenus actiuum est, sed in obiecto sensibili externo est quintuplex tantum ratio mouendi, & immutandi ad sensationem; ergo sunt tantum quinque sensus externi,

ni,

ni, prob. min. vel obiectum tantum intentionaliter immutat, & sic est visibile immutans visum, aut realiter, & intentionaliter: Si hoc secundo modo, aut imprimit qualitatem, quam habet & sic tãgibile, immutat realiter tactum, seu organum; nam redditur calidum, aut frigidum, & sic immutat intentionaliter: gustabile autem esto requirat immutationem linguæ, aut organi gustus non est necesse, quod faciat dulcem, immutat ergo realiter, licet nõ imprimat eandem qualitatem, & sic intentionaliter mouet. Denique sensibile non immutat organum, sed tantum medium realiter, vt immutet organum intentionaliter. Et sic si præcisè alterat medium est odorabile; si autem solum motu locali est audibile: Sed nec dantur alij modi immutandi sensum, immutatione sensibili, nisi aut purè intentionali, aut intentionali, & reali, ita vt vel immutetur realiter ipsum organũ, aut medium sensus, ergo solum sunt quinque sensibilia externa, & quinque tantum sensus externi.

3 Sed quibus displicent, quæ à D. Thom. afferuntur sub prætextu suadendi hanc rationem esse tantum probabilem, & non demonstratiuam. Obijciunt contra illam non probari, quod non sint possibiles alij modi immutandi, aut purè intentionaliter, aut realiter ex parte medij, aut organi; ergo non demonstrat esse sensus externos tantum quinque. Confir. Aristot. cum sibi obiecisset à text. 106. posse dari plures species sensus tactus, nihil respondet ad rationes, quas obijcit inuens, non esse demonstratum, quod non sint plures sensus tactus: sed eadẽ ratio est de alijs sensibus, ergo nõ demonstratur, quod sub modis assignatis in tactu, & in alijs sensibus, non lateant plures diuersæ species sensibilium, & sensum. ℣. Conf. etiam sensus visus requirit ex parte medij illuminationem, sicut auditus, & odoratus alterationem, vel motum localem, ergo ratio D. Tho. ex falsis procedit. Denique non ostendit, quod non sint alij modi immutandi mediũ, aut organum. Etsi attente respiciatur ratio omnino per extranea procedit, quia obiectum, & sensibile non est agens immutatiuum sensus, naturali, & reali immutatione, vt ait Aristot. hic toto cap. 5. ergo male probatur multiplicatio sensuum per diuersum modum immutandi organum, aut medium sensus cum debuisset probari per diuersum modum intentionaliter immutandi sensum.

4 Sed hæc non debilitant efficaciam rationis D. Tho. Resp. enim ad 1. impugnationem, quod est impossibilis alius modus immutandi sensus externos, præter positos à D. Thom. vel qui ad eos non reducantur, nec oppositum hucvsque ostẽsum esse. Ad 1. probationem resp. D. Thom. p. p. q. 78. art. 3. ad 4. & q. vnic. de Anima,

wa art.5.ad 17.eò posse concedi, quod factus est vnus sensus genere quia attingit primas contrarietates primarum qualitatum, quæ nõ sunt ad inuicem reducibiles ad vnam, at in alijs sensibus omnes sunt ad vnam primam contrarietatem reducibiles, nam in genere coloratiad album, & nigrum reducuntur omnes; in linea soni ad acutum, & graue; in gustabili ad amarum, & dulce; in odorabili ad suaue, & offensiuum, seu fœtidum. Licet in tactu reducibiles sint omnes contrarietates ad vnam innominatam in ratione tangibilis, quamuis non in genere physico qualitates, & sic erit etiam vnus sensus specie ipse tactus. §. Ad 2. quod color, & medium illuminatum est obiectum visus, & ideo non ponit in numero illa immutatio cum obiecto visibili. Nec illuminatio, est immutatio alteratiua naturalis per modum transmutationis, quia in instanti fit, & sic reducitur ad intentionalem immutationem, & ideo non debuit specialiter condistingui a D. Thom. nego igitur quod sint alij modi possibiles immutandi sensibiliter. Sicut etiam nego quod D. Thom. probet distinctionem sensuum penes immutationes organi, aut medij formaliter tãtum enim causaliter hoc probat esse quasi ex diuerso enim modo immutandi realiter organum, & medium deducitur modus perfectior, aut imperfectior, immutandi intẽtionaliter, sub maiori, aut maiori immaterialitate: si non potest fieri sine concretione ad immutationem materialem. Quare autem isti modi sufficiant ad diuersificãdos sensus externos, & non sufficiant ad diuersificandum intellectum, aut sensus internos, docet D. q. de anima, artic. 13. ad 19. q. 25. de verit. art. 3.

5 Con. concl. arg. 1. Sensatio non fit in organis externis, sed in neruis pendentibus à cerebro quã obrem illis læsis non fit sensatio deficiente proprio sensorio etiam si externa organa sint illæsa, ergo sicut plectrum constans diuersis chordis est vnum: ita omnes sensus externi sunt vnus tantum. §. Ad probandum autem esse plures sensus externos quam quinque argum. etiam. Magnitudo est per se sensibilis, at nullus ex quinque sensibus assignatis eam per se attingit. Sed tantum, vt sensibile commune, ergo prob. conseq. nam ex per se sensibile debet colligi ratio sensus diuersi secundum Arist. Resp. sensus residere in organis, & non in cerebro, quamuis hoc teneat Galen. lib. 6. & 7. de placit. Hipocrat. & Platon. & ratio est quia alias non esset melior tactus in gemmis digitorum, quæ multum distant a cerebro: Sed quia spiritus quibus viuificantur à cerebro per illos neruos communicantur sensibus eis læsis organũ redditur inhabile, & sensus deficit. Sed de his infra agemus de singulis sensibus. §. Ad 2. Respond. cum Diu. Thom.

1.p.q.78.art.3.quod etsi magnitudo sit per se sensibilis non tamē per se 1. Sed per se 2. & per modū sensibilis communis: nam si per se esset sensibilis ab aliquo sensu non posset esse sensibile commune respectu aliorum: sed solum per accidens, ideoque ex eo quod est per se sensibile commune colligitur, nullius sensus posse esse sensibile proprium. Vide pro alio argumento Diu. Thom. q. de anim. artic. 13. ad 16.

## QVAESTIO XXX.

*An sensus externi sint reflexiui, & possint sentire suas sensationes.*

1. DVplici via explicari potest, quod sensus externi sint reflexiui, & cognoscitiui suarum sensationum, aut ita quod eodem actu, quod directè cognoscunt sensibilia, etiam indirectè, & ex consequenti cognoscant suā sensationē vt voluit Aegid. Simplic. hic text 136. Alexan. lib. 3. 3. q. 9. natural. Themist. hic cap. 4. aut ita quod per aliam sensationem cognoscat priorem sicut cōmuniter dicitur de nostro intellectu, vt alij existimarunt cum Platone in Theæteto. Et quidem si Aegid. solum intendat sensus tam externos, quàm internos cognoscendo obiectum simul sentire suā sensationem exercite, & experimentaliter à veritate non discrepat, nec a D. Thom. asserente, q. 10. de verit. art. 9. *Visus videndo colorem videt se videre*, & ad tex. 138. lib. 2. de anima: *Visus nō videt solum colorem vel sentit de ipso perceptione organi: sed sentit etiam visionem coloris*. Et hoc est quod dixit Caiet. lib. 2. de anima, ca. 13. quod sensus sentit suas sensationes, *quo ad an est*, nec in re dissentit Bannez par. p. q. 78. dub. 10. concl. 2. quantumuis dissonet verbis. Et cum instatur quod visus non videt nisi coloratum. Sed visio non est colorata, ergo non sentitur a visu. Resp. cum D. Tho. & Aristot. ibid. quod aliud est sentire, aliud videre, non videtur à visu nisi coloratum, quia visio signate tendit in sui obiectum: at sentiri potest experimentaliter, & exercitè quod non est coloratum, & ideo oculus sentit esse tenebras, sicut sentit etiam suam sensationem, licet non sit colorata, potest etiam dici esse coloratam visionem non physicè, sed intentionaliter, vt quo quatenus procedit a specie colorati, & in colorem ad extra tendit, & sic posse sentiri exercite, & experimentaliter; videatur ibi D. Tho. etsi hoc tantum intendit Aegidius vera profert; hautem velit quod signate, & per modum obiecti sentit sensus suam sensationem eodem actu, quo sentit sensibile admittendus non est cum nec hoc habeat intellectus, vt late explicat D. Thom. p. p. q. 87. art. 3.

2. Dicendum est igitur. Sensus externus non est reflexius verè, &

& propriè supra suos actus. Et idem est de sensibus internis: est communis sententia philosophorum sic Scotus in 4. dist. 42. Angelicus Magister p. p. q. 14. art. 2. ad 1. & q. 78. art. 4. & q. 89. art. 3 & alibi, & Aristot. sic vbi pro absurdo colligit quod sensus sentiat suam sensationem, & libr. 3. probat inde necessitatem sensus communis, vt discernat sensationes sensuum externorum easque percipiat, quod & facit lib. de sensu, & sensato cap. 2. de somn. & vigilia, & 4. meth. text. 25. docet *sensum non esse suimet.*

3 Prob. rat. Sensus externi sunt potentiæ passiuæ quæ mouẽtur ab obiecto ad extra, sed sensatio non est ad extra, ergo non potest sentiri a sensu per modum obiecti quamuis exercite; & experimentaliter possit sentiri, quia experientia, & exercitium non est actio tendens in obiectum, sed est ipsemet motus principij agentis, & tenet se ex parte subiecti quatenus immutatur actione, §. Confir. *Omne ad seipsum conuersiuum, seu reflexiuum est incorporeum, & spirituale, & per se subsistens.* Sed sensus tàm externi, quàm interni, sunt corporei, & materiales, ergo, non possunt habere veram, & propriam reflexionem supra suos actus.

4 Sed arg. 1. (contra id quod supposui cum Aegid.) Stat visio mente distracti, quæ non percipitur experimentaliter, quia non adest aduertentia sensus communis, & intellectus, ergo sensus externus se solo non sentit exercite suas sensationes, prob. cõseq. nam si experimentaliter sentiret moneret memoria. §. Respond. Dum quis apertis oculis est, aliquid videre, licet signatè non attendat, quia sensus communis est alias distractus, at re verò dum duravit visio experientia fuit: sed non manet memoria, quia hæc non attinet ad sensum externum, sed ad internum qui dum non attendit experientiæ externæ memoria nõ retinuit eam sensationem, §. Si rursus instes sensus communis datus est ad cognoscendas sensationes externas, at eas non percipit signatè, & quo ad quid est, sed solum vt exercitè sunt, & quo ad an est, ergo si hoc præstant sensus externi frustra multiplicatur sensus communis. §. Respon. nullum sensum attingere quidditatem: sed eatenus dicitur attingere signate quatenus, vt quod attingit ipsum exercitium, & per modum obiecti, & quatenus in linea sensibili vna sensatio, ab alia discernitur, & exercet sensum, & hc signate exercitium sensationis externæ attingit, sensus communis ideoque non superfluit, quia sensus externus sentit sensationem non vt obiectum etiam quo ad an est, sed subiectiuè esse experitur, & hoc est quod dicit Caiet. cognoscere quoad an est.

5 Arg. 2. con. concl. Vna pars organi materialis mouetur ab alia vitaliter ergo vnus actus in ea

dem potentia potest sensibiliter attingi, & quasi moueri cognoscitiuè per alterum, ergo ex quo sensus sint materiales non est cur denegetur, reflexio in priorem actū, per alium subsequentem. Tum etiam vna parte corporis tangimus, & sentimus aliam, ergo vno actu alterum intra eādem potentiā poterimus cognoscere. §. Respon. quod in illis casibus reperitur in vna parte respectu alterius ratio obiectiua, & terminatiua actionis alterius partis, ratione cuius vna pars est mobilis ab alia, & vna pars tāgibilis ab alia, quia ibi est complexio primarum qualitatum: at sensatio visus non est colorata, nec auditio audibilis, ideoque cum dari non possit actio sensus sine obiecto sensibili non potest dari in sensu reflexio vera respectu sui actus.

6 Arg. 3. ad idem. Sensus in suis sensationibus percipiunt delectationem, non enim satiatur oculus visu, & auris auditur, si amœnus sit ager, si musica sonora: sed delectatio non est de obiecto actus, sed de ipso actu, ergo. §. Præterea, auditu percipitur silētium, & tenebræ visu, vt hic ait Arist. & tamen non sunt colorata ergo etiam si sensatio non sit colorata potest alio actu sensus reflexiue attingi. §. Resp. Quod delectatio signata tendit in actum: sed hæc non ad sensum sed ad appetitum attinet; ad oculos, & auditus delectantur exercitè non de actu, sed de obiecto, vt consono.

§. Ad 2. quod visus videt tenebras, & auditus silentium percipit negatiuè quatenus cessat experiētia propriè sensationis, & sic etiā percipit dum adest sensationem: sed non signate. Alia argumenta vide apud Bannez loco superius relato.

## QVAESTIO XXXI.

*An sensus externi forment idolum, an autem terminentur ad obiectum ad extra in se?*

1 QVod in intellectu vocamus verbum mentis, terminum que ad intra respectu intellectionis, seu speciem, & imaginem expressam obiecti, & medium in quo obiectum intelligitur, hoc seruata proportione in sensibus internis vocatur idolum obiecti, nam quia sensus interni sunt, & ad intra terminatur sensatio, & hæc fit per assimilationem cum sit cognoscitiua, necesse est, quod ad intra habeant productam imaginem seu speciē in qua percipiant sensibile: inquirimus ergo an etiam sensus externi ex vi suæ sensationis forment in se idolum, seu imaginem intentionalem in qua sensibile externum percipiant.

2. Dicendum est externos sensus non formare idolū: sed ab obiectum ipsum ad extra immediatē terminari sensationem. Sic D. Tho. quodl. 5. art. 9. ad 2. & 1. p. q. 27. art. 5. & q. 85. art. 2. ad 3. &

& hoc innuit Arist. hic text. 52. dum ait sensibilia in actu (vt ibi interpretatur D. Thom.) esse extra sensum, si autē formarent idola sensus externi sensibilia à actu essent intra, licut actu intelligibilia, actu non sunt extra, sed intra ad hoc enim ponitur imago expressa, vt sint cognoscibilia obiecta ad quæ datur idolum in potentia, vt sint cognita in actu secundo, & idem habet Arist. text. 60. & ibi D. Thom.

3 Prob. concl. Sensus externi sunt materialiores qualibet alia potētia cognoscitiua, & sic maximè assimilantur potentijs vegetatiuis; ergo debent terminari ad obiecta in se secundū esse materiale, quod clarius apparet in tactu, & gustu, non enim percipiunt intentiones obiecti, neque ad illas terminātur: sed ad qualitates calidi, & frigidi in se, & ad sapidum cibi, vt tenet D. Th. quodl. 5. art. 9. ad 2. & hac ratione dicitur sensus externus potentia passiua ab obiecto externo, & etiam notat D. Thom. hic lect. 10. quia immediatè alteratur terminatiuè à sensibili.

4 Arg. 1. Cognitio fit immediatè per hoc quod cognoscens fiat cognitum in actu 2, sed incredibile est, quod oculus immediatē fiat sol, & stellæ cum percipiat oculus distantissima esse hæc sensibilia; ergo sensus externus fit sensibile medio idolo, quod est similitudo obiecti. §. Tum etiam sensatio, actio immanens est, ergo non terminatur ad rem ad extra, maximè cum non sit contigua sensui, sed distans vt sunt sol, & astra. §. Denique Angelus in cognitione sui, etiamsi sit immediata, & experimentalis, & ad intra formet verbum (vt magis communiter docēt, Thomistæ, ergo, & sensus cum cognoscit rem ad extra; non enim potest esse magis proportionatus sensus externus cum sensibili externo, quam intelligēs immateriale cum propria sui immaterialitate. §. Resp. non esse incredibile, quod sensus immediatè terminetur ad ea quæ distant distātia physica, quia non distāt distantia obiectiua, & in linea obiecti sensibilis. Cum autem oculus non ad quamlibet distantiam videat ea, & quia sensibilia non habent actuitatem in qualibet distātia ad mouere visum, & immittere speciem, ideòque cum solum sint sensibilia actu, quæ actu mittunt speciem, non ad quamcumque distantiam fit sensatio, sed hæc determinatur secundū sphæram sensibilium potentium mouere imprimendo speciem. §. Ad 3. quod sensatio, & si sit actio immanens transmutatiuè, & in esse physico tamen cognoscitiuè, est extensa ad externa obiecta, & actu potest terminari ad quæcuque, si immittunt speciē in sensum immediatē, quia, & omnia nata sunt immediatè terminare sensationem, immediatione obiecti, licet non immediatione contiguitatis localis physicæ. §. Ad 3. quod in-

tellectio non terminatur ad rem ipsam ineſſe naturali materiali (& ideò materiale, quod eſt ens creatum, quod ſemper conſtat materia phyſica) vt ſenſus materiales ſunt, & ideò poſſunt terminari ad obiectum in ſe materialiter ſenſibile.

5 Arg. 2. Sēſatio eſt vera actio; ergo habet terminum productū, ſed non poteſt eſſe aliud, niſi idolum; ergo externi ſenſus ſenſatione formant idolum. §. Reſp. cum Caiet. lib. 2. de Anima cap. 11. eſſe actionē grāmaticaliter, & prędicamētaliter eſſe qualitatem, ideoque non egere termino, vel ſi habet terminum, eſt cognitus non productus, quia ſenſatio non eſt actio tranſmutatiua: ſed cognoſcitiua, vel ſi eſt actio, eſt vnitiua ſenſus cum obiecto ad extra, non autem productiua, & ideò non format idolum.

6 Arg. 3. Obiectum ad extra ſenſibile, non poteſt mouere in ratione obiecti ſenſibilis ſenſum externum, niſi media ſpecie impreſſa; ergo nec terminare ſenſationē, niſi media ſpecie expreſſa, prob. conſ. ex eo primum non poteſt, quia immutatio illa non eſt phyſica alteratio, ſed intentionalis, ac etiam non terminat ſenſationem phyſicè, & tanquam terminus actionis phyſicæ immutatiuæ, ſed intentionaliter, & cognoſcitiuæ; ergo. §. Tum etiam ſenſibile in actu 2. perfectius eſt in hac linea, quam in actu 1. ſed non eſt ſenſibile in actu 1. reſpectu ſenſus niſi media ſpecie impreſſa; ergo nec eſt ſenſibile in actu ſecundo, niſi media ſpecie expreſſe. §. Tum etiam, quod non eſt intelligibile in actu 1. niſi media ſpecie impreſſa non eſt in actu 2. intelligibile, niſi media ſpecie expreſſa, imò cum non ſit probabile in via Thomiſtica Deum videri poſſe in ſe per ſpeciem impreſſam creatam, & tamen probabile videri per ſpeciem expreſſam creatam; ergo ſi ſenſibile externum eget ſpecie impreſſa, vt ſit ſenſibile in actu 1. multo magis indiget ea, vt ſit ſenſibile in actu 2. §. Denique eſſe ſenſibile mouendo ſenſum ad ſenſationem dicit perfectionem, quia comparatur ad ſenſum, ſicut actiuum ad paſſiuum ex Ariſto. & D. Thom. 2. de Anima. text. 33. & 52. & 54. ſed quia intelligibile comparatiuè ad intellectum dicit perfectionem in linea intelligibilis, dicunt Thomiſtæ, quod nullum intelligibile creatum poteſt ſe ipſo reddi intellectum in actu 2. ſine verbo; ergo, & tenentur dicere nullum ſenſibile ad extra reddi ſenſatum in actu 2. ſine medio idolo, eo quod non poteſt identificare ſuam ſenſibilitatem in actu 2.

7 Reſp. Ex eo quod ſenſus externi ſunt mediæ potentiæ inter potentias puræ materiales vegetatiuas, & internos ſenſus, & intellectum prouenire, quod non moueantur ab obiecto ad extra, niſi immateriali motione, quæ fit ſpecie impreſſa, & quod non termi-

minentur ad sensibile, nisi in se vt materialiter est ad extra. Vnde sensibilia terminant; vt sunt in se sensationem externam, quia sensatio illa materialis est, idest, contigua actioni vegetatiuæ, licet modus sit aliquãdo eleuatior, & licet mouere dicat perfectionem, at terminare non: quia in linea adhuc imperfecta, & materiali terminat in qua identificare actum secundum non arguit infinitatem, vt patet in materia prima, quæ in actu 2. se ipsa recipit, at intelligibile in linea motiui, & terminatiui immaterialitatem, & perfectionem dicit, & ideô non potest, si est creatum ens mouere, aut terminare intelligibiliter, nisi media specie, quod autem in visione beata formetur verbũ non admitto, & qui admittunt respõdeant obiectioni, quamuis dici possit ibi prouenire productionem verbi ex eo quod cognitio Dei est limitata, & finita, & ideô modificatio requiritur ratione verbi producti, vt videatur Deus.

8 Arg. 4. ex Arist. & D. Tho. 2. de Anima, tex. 138. vbi admittunt quod, videri in actu est esse simile viso in actu, & est idem sub diuersa tamen ratione, sed hoc est formare Idolum, nam si ad rem ad extra terminaretur, visus non esset similis rei ad extra, nam actu non fit similis alicui, quin in se habeat similitudinẽ; ergo si sensus in actu fit similis in actu sensibili, licet ratione differat à sẽsibili sensus, idolum formar, quo fiat similis. 9. Cõfir. Potentia cognoscitiua in hoc distat ab appetitiua, quod appetitiua tendit ad rẽ ad extra, cognoscitiua vero ad intra trahit cognitione obiectũ: at sensus externi cognoscitiui sunt, & non appetitiui; ergo cognitione ad intra trahunt obiectum sensibile formando idolũ ad quod terminentur.

9 Resp. Sensum externum similem fieri per speciẽ impressam obiecto, quia sensationi habet vltimum actum, seu actualitatem respectu cognoscentis, at nõ ita, vt similitudo noua adueniat, quia solũ fit sensus idem cum obiecto per sensationem ad ipsum obiectum interminatam: & sic sensatio distinguitur ab appetitione, quia nõ trahit rẽ ad se appetitus, etiam ratione speciei impressæ. & modos tendendi ad rem in se, quæ fit per sentationẽ est modus attractiuus ad se, non per impulsum, & pondus quamuis ad rem in se sit vterque motus.

## QVÆSTIO XXXII.

*An sensus extensi sint, & denudati à sensibilium natura.*

1 CONcl. est affir. 1. pars asseritur ab Arist. 2. de Anim. text. 111. ibi: *Omne quod sentit aliqua est magnitudo.* Idem habet de sensu, & sensibili lec. 15. vbi est videndus D. Thom. & 3. p. quæst. 76. art. 7. & ibi Thomistæ. Secundam habet text. 52.

vbi contra Democritum probat sensum esse sensibilia in potentia, & non componi actu ex eorum natura alias non egent sensibilibus ad extra ad sentiendum: quia sicut combustibile in potentia est ignis non actu, alias enim se combureret, sic similiter sine sensibilibus esset sensus, vide ibi D. Thom. hoc idem docere 1.p. q.75. art.2. & Arist.3. de Anima, text.4. ibi. *Intus existens prohibet extraneum.* Quod æquè de intellectu, & sensu verificatur.

2 Ratio primi est, quia sensus externi sunt materiales, & in organo materiali; ergo extensi, nihil enim ex se petit subiectum corporale, & extensum, quod in se aliquam extensionem, & divisibilitatem non habeat, 2. vero pars contra antiquos Phylosophos satis demonstratur ab Arist. quia nihil recipit aliud in quantũ habet actu illud: sed quantum est in potentia ad illud: & omnis sensus externus est potẽtia receptiua formarum sensibilium sine materia, ergo non continent in se ipsa sensibilia, de quibus vidẽdus est Caiet.3. de Anim. text.4. & 1.p.q.78. art.2. qui subtilissime hæc discutit. §. Dices sensũ esse quidẽ in potẽtia ad recipienda sensibilia immaterialiter, & sine materia; ergo etiamsi physicè, & modo materiali contineret sensus actu qualitates sensibiles, & si visus esset coloratus, sonans auditus, lingua sapida, posset recipere immutationem intentionalem sensibilium externorum, & habere sensationem circa illa. §. Contra tamen est, quod continentia materialis impedit, ne potentia fiat talia à se, ergo ne fiat alia intentionaliter; ergo ne recipiat formas aliorum sine materia; ergo ne immutetur sensus à sensibili externo intentionaliter, quæ late supra sunt probata, & lib.3. etiam satis late offendam.

3 Contra 2. partẽ concl. obijciunt. Etiamsi intellectus sit in se ens potest omnia entia cognoscere; ergo etiamsi sensus in se esset sensibilis, seu contineret qualitates sensibiles posset alia sensibilia sentire. §. Tum etiam Angelus per suam naturam cognoscendo se, cognoscit etiam alia ad modum suæ naturæ; ergo, & si sensus cognosceret se sensibiliter per hoc, quod sua natura haberet qualitates sensibiles, nihilominus posset externa sensibilia sentire. Denique, & si cogitatiua sit corporea potentia, potest tamen alia corpora cogitare; ergo etiamsi sensus externus habeat qualitates sensibiles, siue per identitatem, siue per inhæsionem, poterit externas qualitates sensibiles percipere. §. Respon. quod potentia cognoscitiua, non debet esse nuda à ratione generica obiecti, sed ab ea, vt habet rationem specificam obiecti, & ideò visus qualitas est, sicut visibile, sed non qualitas colorata, quia qualitas nõ nisi rationis coloris visibilis est: intellectus autem ens est, sed est in potẽ-

tentia ens incompletum, & obiectum eius est ens actu per modum quidditatis, & sic intellectus est pura potentia; substantia autem Angeli, & si admodū sui alia cognoscat, non tamen per se, sed per species superadditas, & sic denudata est, tam ipsa, quàm intellectus à naturis alienis, quas cognoscit, cur autē se cognoscere possit intellectus, & substantia Angeli, & tamen sensus externus se non sentiat, ideō est, quia substantia Angeli purè immaterialis est, & ideō cognoscitiua sui, & simul cognoscibilis est, de quo late Caie. 1. p. q. 56. ar. 2. at sensus materialis est, & ideō solum cognoscitiuus est, & in potentia ad sensibilia, non autē per sensibilia est cognoscibilis, cogitatiua autem, etiā aliorum cognoscitiua corporum non autē sui, & ideō semper cognoscit in quantum denudata est natura obiecti, quod si aliquā reflexionem habet in homine, hoc habet ex participatione intellectus, & non ratione sui.

## QVÆSTIO XXXIII.

*An solum singularia materialia, & corporalia sint sensibilia à sensibus externis, ita vt neque de potentia absoluta possit sentire sensus, aliquid spirituale?*

1 SVppono, quod sensus externus tantū potest habere pro obiecto sensibiles qualitates in concreto, seu concretum ratione sensibilium q̄litatum, nam substantia non est attingibilis per sensus externos, sed tantum sensibilis per accidens, sed de hoc infra in hac quæst. etiam attenta Dei potentia absoluta dicemus.

2 Sensus externus (& idem est de internis) singularium est non vniuersalium, sic Arist. hic text. 6. *Actu namque sensus singularium est scientia vero vniuersalium.* Hæc autem in ipsa anima quodammodo sunt, sic etiā Auerroes 12. Met. comment. 4. *Nihil in quantum vniuersale potest esse obiectum sensus.* Idē habet 2. post in fine. Videatur Caieta. 1. post cap. 23. Albertus Magnus ibi cap. 13. tract. 3. tenet etiam D. Thom. hanc sententiam 1. 2. q. 29. art. 6. & hic ad text. 60. vbi hoc probat. Tum quia sensus externus ad rem ad extra terminatur, sed res ad extra singularis, est ergo obiectum sensibile, vt singulare terminat sensationem, sed etiā obiectū, vt ad extra mouet, & immittet speciem sui, quatenus ad extra est, repræsentanda modum, quem habent ad extra sensibilia; ergo obiectum sensuum externorum, tam motiuum, quàm terminatiuum est singulare, vt tale est. ℣. Conf. Sensus est corporalis, & materialis; ergo solum est natus cognoscere singularia, prob. cōseq. sensus solū potest cognoscere, ea quorū species potest in se suscipere, & quorū specie informari potest, sed solum potest re-

recipere ſpeciem repræſentatiuã obiecti in ſingulari; ergo, prob. min. vnumquodque recipitur ad modum recipientis, ergo in ſenſu corporali, & materiali ſolum poteſt recipi ſpecies modo materiali, & corporeo, ſed materia eſt, quæ individuat, & contrahit naturam ad ſingularitatem; ergo ſi ſenſus non abſtrahit in recipiendo à materia, nec ſpecies abſtrahit ab illa in informando, ſequitur, nec poſſe abſtrahere à ſingularitate; ergo ex modo quo ſenſibile ſpecificat ſenſus externos ſingularitatem dicit, ſed de hoc redibit ſermo lib. 3.

3 Dicendum 2. Nec de facto, nec de potentia Dei abſoluta poteſt ſenſus externus ſentire rem ſpiritualem, & ſubinde ſolum res corporales ſunt ſenſibiles à ſenſibus externis. Et quidem loquēdo de facto, & ex natura rei ſeclusa eleuatione ſupernaturali de potentia Dei abſoluta noſtra ſent. communiter admittitur à Philoſ. & prob. quia inter potentiam, & obiectum debet eſſe proportio, vt de facto, & ex natura rei potentia attingat aliquod obiectum: ſed ſenſus externi ſunt corporei, & materiales; ergo non poſſunt de facto, & ex natura rei proportionate attingere incorporeum, & ſpirituale.

4 Quoad 2. vero partem, ſcilicet, quod implicat cōtradictionem ſenſus externos, qui modo ſunt eleuari poſſe de potentia abſoluta ad ſenſationem rei incorporeæ, & ſpiritualis eſt communis ſententia Thomiſt. cum D. Thom. p. p. q. 12. art. 3. & quoad Deum apertè colligitur, ex Paulo 1. ad Corint. 13. *Deo immortali, & inuiſibili.* Vbi ſicut intelligitur, repugnare Deum eſſe mortalem: ita etiam Deum videri oculis corporeis innuetur: cum autem Iob. dixit: *In carne mea videbo Deum*, non intelligitur, quod oculis carnis viſurus ſit Deum; ſed oculis mentis in carne poſt corporum reſurrectionem exiſtentibus, vt ibi SS. PP. interpretantur.

5 Ratio eſt, quia incorporeum eſt extra eſſentialem coaptationem, & proportionem potentiæ corporalis, non minus, quã appetibile reſpectu intellectus, aut audibile reſpectu viſus; & multo magis cum ſit in diuerſo ordine, ſed implicat oculo auditionem fieri, aut intellectu appetitionem; ergo ſenſu externo ſenſationem rei ſpiritualis perfici, eſſet enim intellectio, & non ſenſatio, ſiquidem intellectio eſt cognitio rei ſpiritualis, aut materialis ſpirituali modo facta. Præterea quod non eſt ſenſibile ſentiri non poteſt, at res ſpiritualis ſenſibilis non eſt, cum careat qualitatibus ſenſibilibus, cum non ſit colorata, neque ſapida, aut odorifera; ergo cum nec de potentia Dei fieri poſsit, vt circa non obiectum fiat operatio; quia hoc implicat ex parte facti, etiam implicabit ſenſatio æterna, circa ob-

obiectum incorporeum, & spirituale.

6 Etiam repugnat de potentia Dei absoluta creari sensum alterius speciei externum, ab illis quos modo habemus (hoc modo, licet falsum, demus) qui possit sentire, rem incorpoream, & spiritualem. Ratio est, quia dato tali sensu ille esset potentia susceptiua sensibilium formarum, sine materia; hæc enim est definitio sensus tradita ab Arist. 7. de Anima, text. 121. Sed omne spirituale insensibile est, & expers materiæ; ergo implicaret fieri circa illud sensationem, quia hæc repugnat obiecto, cum possibilitas potētiæ ex possibilitate obiecti desumenda sit, iuxta Aristot. doctrinam ibid. text. 33.

7 Contra 1. concl. arg. 1. Illud est obiectum formale potentiæ, quæ est ratio mouens, & specificans illam, sed licet singulare percipiatur sensibus externis, tamen ratio mouens, & specificans, non est singularitas; alias enim si singularitas huius colorati moueret visum, non posset videre alia singularia; ergo ratio mouens, cōmunis, & vniuersalis ratio colorati est; ergo obiectum formale sensuum non est singulare, sed vniuersale. Præterea est, quod communis ratio in quolibet sensibili cuiuscumque sensus, non potest esse specificatiuum proprium: sed singularitas est ratio communis ad omnes sensus; ergo non est specificatiua illorū. Resp. Ex Aquario loco iam relato (vt refert et sequitur Thomitanum Parauicinum pro hac resp.) quod obiectum sensus formale, & motiuum est vniuersale aduerbialiter, ideſt, nō vt hoc, non autem vniuersale nominaliter, ideſt, color vniuersalis, vel vniuersale in potentia, non in actu, sed est res singularitatis vt contractæ, sed singularitas communiter. Quod non tollit singulare esse obiectum sensus externi, & non vniuersale, quia singularitas etiam potest sumi communiter: sed non fieri communis actu nominaliter ad summum enim ascēdit ad singulare vagum, & sic specificat color sensum visus; sed nō color communis, aut vniuersalis cum inuoluat conditiones singularizantes; sed non singulare coloris determinatum, sed vagum, ideſt, vbicumque color singularis inuenitur, ibi est specificatiuum visus. Ad 2. dico, quod singulare præcisè sumptum non est obiectū particulares sensus particularis, sed vt contractum ad sonum, aut colorem specificat visum, vel auditu, & sic de alijs.

8 Arg. 2. contra 2. partem concl. Ex eo non posset supernaturali virtute omnipotentiæ Dei elevari sensus externus ad sentiēdum spiritum, quia dicit improportionem potentia corporeā, cū corporeo obiecto, sed hæc ratio est nulla; ergo, prob. mio. Tum quia ignis corporeus potest elevari ad cremandum spiritum, & illud contingendum sua actione præ-

præuia; ergō etiam poterit sensus corporeus eleuari ad attingendū sensibiliter spiritum. §. Conf. 1. Vnio corporea corporis Christi mortui elevata est ad vnionem cū Verbo: sed maior improportio est inter corpus, seu rem corpoream creatam cum spiritu increato, quam sit inter sensum corporeum, & spiritum creatum; ergo si improportio finiti ad infinitū, & corporei ad spirituale vincitur in illa vnione, multo magis in nostro casu poterit vinci. §. Cōf. 2. Sacramenta nostra sunt sensibilia, & corporea, & tamen causant gratiam spiritualem in anima, cū qua aliquam coniunctionem, & contactum intervenire est necesse, quia contactus inter agens, & patiens necessarius est ad agendum, vt in libris de generatione ostensum est; ergo. Conf. 3. Potentia entitatiuè naturalis, v. gr. intellectus eleuari potest ad attingendum obiectum supernaturale, v. gr. ad videndum Deum, ergo etiam potentia corporea ad vidēdum spiritum; non enim minus distat supernaturale à naturali, quā incorporeum à corporeo. Denique phantasia, quæ in brutis discurrere non potest in homine eleuatur ad discursum imperfectū; ergo etiam à fortiori ex elevatione Dei poterit in homine sensus externus videri spiritum, imò id contigisse in brutis suadet historia sacra narrans asinam Balaam vidisse Angelum.

9 Resp. posse corpus supernaturaliter eleuari, vt causet in spiritu qualitatem aliquam spiritualem, vt sic contingat spiritum cōtactu virtutis, quamuis non contactu physico; & ratio est, quia ad instrumentalem causalitatem non requiritur proportio, sed potius excessus, & sic ignis torquet spiritus in inferno; & sacramenta causant gratiam in anima, ita vt actio præuia fit in igne ad corpus, seu spacium ad quod est alligatus spiritus, & in sacramentis fit ad corpus informatum ab anima. At non potest Deus eleuare corpus, vt principaliter contingat spiritum; cum autem sensatio sit vitalis actio, & hæc non possit instrumentaliter elici à potentia, circa incorporeum: non potest eleuari ad sensationem rei spiritualis. Et sic patet ad argum. & ad 2. Conf. Ad 1. Resp. nego in vnione hypostatica dari contactum corporis ad Verbum, aut vnionem corporalem: sed contactus est virtutis à supposito diuino, tanquam à termino substantiæ corporeæ: & ideò non est idē, quia sensatio petit obiectum attingere cum aliqua proportione habitudinis, quam non habet insensibile ad sensitiuam potentiā. Ad 3. Resp. Quod obiectum supernaturale ex se est intelligibile; & ideò non mirum, quod intellectus etsi sit entitas naturalis eleuetur ad intelligendum ens supernaturale: at incorporeum est insensibile; quia caret qualitatibus sensibilibus, & ideò maior impro-

por-

portio est formaliter, immo est repugnantia quod sensus externus sentiat spiritum. Ad vlt. Conf. Resp. Quod discursus non mutat obiectum semper enim est sensibile respectu cogitatiuæ, sed addit modum attingendi, & ideo non mirum, quod phantasia eleuetur in homine ad discursum; at incorporeum dicit negationem sensibilium qualitatum, & ideo sensus nequit eleuari ad illud sentiendum. Asina autem Balaam non vidit Angelum in sua substantia sed in corpore assumpto quod, Angelus potuit occultare ab oculis Prophetæ.

10 Contra 2. partem concluſ. arg. 3. ex auctoribus qui ei cõtradicunt, & Valent. 1. p. q. 12. punc. 8. Suarez disp. 30. meth. sect. 12. num 10. (qui sub dubio vtrumque relinquit) secundum August. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 29. sic se habet corporeum respectu intellectus, sicut incorporeum respectu sensus: sed intellectus potest cognoscere corporea connaturaliter, ergo, & sensus incorporea. Tum etiam idem August. epist. 111. in fine docet, quod etsi sensus videre possit spiritum, non ideo erit intellectus ergo ruit ratio à nobis tradita, §. Respon. August. ibi solum intendere quod spiritus potest esse sensibile per accidens respectu sensus, & ideo non sequi quod si sic attingat spiritum, sic intellectus. Nec voluit eo dē modo se habere incorporeum ad sensum, sicut corporeum ad intellectum, sed solum quantum ad hoc quod non sit directa proportio.

11 Cont. 3. concluſ. arg. Denique non implicat creari sensum abstrahentem à materia obiectiuē & non subiectiuē, sicut intellectus simplicia compositione cognoscit: sed tunc ea potentia esset sensus externè attingens spiritum, ergo hoc non est denegandum Diuinæ omnipotentiæ cum non inuoluat manifestam contradictionem. Resp. hypothesim esse impossibilem quia eo ipso esset potentia affixa organo, & non haberet proportionem essentialem cum obiecto immateriali. Nec est idem de intellectu intelligente rem incompositam cum compositione. Tū quia inter intellectum, & rem simplicem est proportio essentialis in esse immateriali, ille modus solum arguit aliquam imperfectionem in modo attingendi obiectum. Tum quia res simplex virtualiter dicit compositionem in ratione obiecti cognoscibilis, at res immaterialis, nec virtualiter dicit posse cognosci in se à potentia materiali, imo dicit repugnantiam, & ab intellectu pro hoc statu in quo dependet à sensibus, repugnat reduplicato statu non cognosci connotatiuē ad quidditates materiales, si illa cognitio pendeat à sensu reduplicatiuè: quanto minus à sensu externo creabili poterit in se cognosci.

QVAE-

## QVAESTIO XXXIV.

*An obiectum non extensum repugnet attingi à sensu externo; ac proinde repugnet corpus Christi sub Eucharistia videri ab oculo corporeo?*

1 HÆC quæstio excitatur ad explicandum quas conditiones requirat obiectum sensibile vt percipiatur a sensu, & vt recentioribus morem geramus in disputando, & simul quæ contra veritatem philosophicam adinuenere refutemus suppo nendum cum D. Tho. in 4. dist. 10. qu. vnica art. 1. ad 2. & 3. p. q. 76. art. 7. Quod corpus Christi consecratum sub modo illo supernaturali quem habet non potest videri ab oculis corporeis; sed inquiritur, an ipsum corpus quantum & affectum illis qualitatibus sẽsibilibus quod est sub illo modo estq; sine actuali extensione, specificatiuẽ possit videri oculis corporeis, ex elevatione Dei, nam connaturaliter non posse videri corpus inextensum experientia docet. Et hoc ostendit Arist. hic dũ dixit. *Sensibile esse corpus quod habet magnitudinem*, & D. Thom. p. p. q. 76. art. 7. vbi videndi sunt, Nugnus, & Cornejo. Nec obstat quod data piramide desinente in punctum: posset pungi corpus ea, & sentiretur tunc punctus indiuisibilis, ergo indiuisibile naturaliter sentiri potest. Resp. enim quod tunc non ratione sui sed corporis quod terminat, quodq. simul poneretur (vt ita dicam) vel vt melius quod diuideret corpulentiam digiti sentiretur ictus piramidis, non autem sentiretur per se cuspis, vt indiuisibilis.

2 Dicendum est igitur nec de potentia absoluta Dei posse videri ab oculo corporeo corpus inextensum, & redactum ad modum indiuisibilem, ac perinde corpus Christi sub modo quem habet in Eucharistia inuisiblem esse oculo corporeo. Sic Paludan. Capreol. Hispalen, & alii antiquiores in 4. distin. 10. & prob. Modus indiuisibilitatis reddit obiectum insensibile: at implicat quod insensibile sentiatur; sicut quod inuisibile videatur, ergo prob. mai. non alia ratione substantia per se, & spiritus sunt insensibilia, nisi quia in se sunt indiuisibilia, ergo modus indiuisibilitatis reddit corpus insensible ex se. Conf. 1. Quod est sensibile per visum v. gratia est lucidũ coloratum sed quod factum est indiuisibile factum est incapax lucis: nec est formaliter lucidum, & coloratum, quia istæ formæ sunt extensæ, nec denominant nisi corpus extensum; ergo indiuisibile reddit corpus inuisibile, & insensibile idem enim est de alijs qualitatibus, quibus corpora reddũtur sensibilia. Conf. 2. Potentia sensitiua cum sit actus organi extensa est; ergo non habet proportionem essentialem cum corpore non extenso, sed dificiente

proportione essentiali potentiæ, cum obiecto repugnat potentiam operari ergo.

3 Oppositum tuetur Scotus, Ocham, maior Soto, & alii ibid, & arg. 1. pro hac senten. ex D. Th. in 4. distin 4. quæst. vnica art. 1. ad 1. vbi ait quod nec oculus glorificatus potest videre substantiam Christi sub speciebus nisi forte per miraculum ergo sentit per miraculum posse videre. §. Resp. D. Thom. non loqui de oculo corporeo, sed intellectuali; etsi de corporeo loquitur de substantia per modum sensibilis per accidēs, & sic dicit nonnisi per miraculum potest videri, quod non est contra nos, nam sensibile per accidens dicitur aliquid non quatenus attingitur, & sentitur à sensu externo, sed quatenus idem cognoscens simul sentiendo per se qualitates sensibiles, & magnitudinem per sensum externum, simul intellectu attingit substantiam illius sensibilis vt ait D. Th. 2. de anima lec. 13. in fine, & sic ait quod oculus glorificatus sine speciali revelatione Dei attingendo species sacramentales non attingere substātiam Christi consecratam, tamquam sensibile per accidens, quia ad hoc non pertingit, intellectus, etiam glorificatus ex vi gloriæ nisi Deus revelet; quando autem 3. p. qu. 76. art. 7. ad 2. dicit quod oculi glorificati aliorum beatorum non possint videre Corpus Christi sub Eucharistia, tamen oculi Christi se vident, non est sensus quod suis oculis corporeis se videat Christus reduplicative, vt consecratum; sed quod ratione identitatis se videt ibi, quia in Cælo se videt, & idem qui est in Cælo, & cum illa visione quam habet in Cælo est sub Eucharistia, & idem Corpus visum in Cælo est ibi, & sic ibi se videt, & videtur à se, sed non prout ibi reduplicative, sed solum specificative.

4 Arg. 2. Sub Eucharistia est corpus Christi sub qualitatibus sensibilibus, & solum modus est improportionatus, sed eam improportionem Deus potest supplere, & ideo facere potest, quod corpus coloratum distans, & existens Romæ videatur ab existente in Hispania, quia supplet improportionem modi, ergo hoc etiam potest supplere in nostro casu. Conf. Materia divisibilis potest dicere ordinem ad animam indivisibilem, ergo etiam sensus extensus ad obiectum in extensum §. Resp. quod si modus improportionans tollat rationem obiectiuam, non potest Deus facere quod stante tali modo sit attingibile obiectum à potentia exigente modum oppositum, cū ergo indivisibilitas sensibilitatem destruat, quia est modus insensibilitandi qualitates ex se sensibiles, non potest Deus facere quod stante illo modo corpus percipiatur à sensu externo, at modus distantiæ non opponitur sensibilitati obiecti, nec eam destruit, sed est impedimentum extrinsecum, quod Deus supplere

plere, & vincere potest, aut augendo virtutem potentiæ visiuæ, aut etiam ex parte medii tollendo impedimenta; nec est idem de materia dicente ordinem, & proportionem ad animam spiritualem, & indiuisibilem, quia solum dicit ordinem ad illam, vt modo diuisibili informet corpus organicum, at quod est obiectum indiuisibile non potest mouere, aut terminare sensationem modo diuisibili, alias non sentietur sub indiuisibili modo, & ideo non est idem, & cum aliqui solent instare; punctum sentiri posse, nego quod si fit separatum sentiatur, quia non habet qualitates sensibiles: at si fit coniunctum cum partibus quantitatis, in quibus sunt sensibiles qualitates, tunc ratione illarum sentitur quasi peraccidēs, siue per aliud non verò per se.

## QVÆSTIO XXXV.

*An etiam implicet sensibile non presens Phisice sentire à sensibus externis?*

1 SPecies sensibiles pendere infieri, & conseruari à sensibili phisice præsenti, & existenti connaturaliter pro certo habetur ab omnibus, & supponitur ab Arist. 2. de anima cap. 8. & colligitur ex natura sensuum externorum, qui ad rem ad extra terminantur, & ab illo prout extra mouentur, sed quæstio ex duplici capite oriri potest, an saltem posset dari notitia abstractiua in sensibus externis, & an dato quod non possit dari in illis notitia, quæ non sit intuitiua, possit in absentia obiecti conseruari in sensu externo species rei sensibilis; & ea conseruata elici sensatio circa rem absentem: itaut notitia non terminetur ad rem ad extra ipsa, nec vertitur in dubiū quod si sit res existens possit a Deo suppleri absentia quæ oritur ex distantia loci, ita vt hic videam Deo sic volente, quæ Romæ geruntur, sed an possit suppleri absentia orta ex distantia temporis, itaut sensus externi rem præteritam, aut futuram sentiant, aut absentem localiter Deo non supplente absentiam distantiæ, et sic quæstio procedit an sensibile vt non præsens phisice possit sentiri.

2 Dicendum est. Implicat contradictionem quod sensus externus sentiat obiectum phisice absens, vt tale siue hæc absentia, ex non existentia oriatur siue ex distantia locali quam Deus non supplebit, sic communiter Thom. Scot. quod lib. 15. & in 2. distinct. 3. quæst. 9. & in 4. dist. 45. q. 2. & Capreolus infra citandus concluſ. 2. & fundatur nostra concluſ. doctr. Arist. hic text. 52. vbi docet, *Quod sicut combustibile vel non potest sine combustiuo. ita nec sensus sentire sine sensibili ad extra*, at certum est, nec de potentia Dei absoluta posse combustibile vri sine combustiuo, quia combustibile est potentia tale, &

com-

combustiuum est actu tale, at quod est in potentia tale, vt in potētia est, nec de potētia absoluta potest agere, sine actiuo, vt bene expēdit ibi Caiet. ergo repugnat quod sensus externus sine sensibili ad extra existente, & phisice præsenti sentire possit §. Confir. ex eodem Arist. text. 59. vbi differentiam essentialem inter modum agendi intellectus, & sensus constituit in eo quod sensus externus nō sentit nisi: *Quatenus sensibilia, quæ ad extra sunt efficiunt in sensum*, Cum tamen intellectus possit intelligere cum non sint intelligibilia extra: at essentialem differentiam Deus non potest inuertere, quia repugnat ex parte facti, ergo repugnat sensum externum sentire sensibile non phisice existens; & non præsens phisice.

3 In idem tendit D. Th. qui eandem differentiam essentialem constituit inter sensum, & intellectum, per terminari ad rem, vt existentem, & præsentem phisice ad extra, de quo videri potest. 1. p. q. 78. art. 4. & 1. 2. q. 15. art. 2. & q. 35. art. 2. ad 2. & in addit. ad 3. p. q. 70. art. 3. ad. 2. & q. 3. de verit. art. 3. ad 8.

4 Prob. ratione sepius insinuata quæst. antecedentibus. Omnis cognitio fit per assimilationem, aut identitatem cognoscentis in rem cognitā: sed sensus externus non format idolū, ergo implicat quod cognoscat rem ad extra, & quod nō terminetur ad illā in seipsa ad extra, ergo implicat quod si res non sit ad extra phisicè præsens potentiæ (siue, quia non existit siuè, quia est formaliter absens) fiat sensatio. Tum etiam si de potentia absoluta posset fieri sensatio, & nō ad rem in seipsa verè existentem, & presentem, inefficax esset argumentum resurrectionis, quod fecit Christus Dominus Apostolis, Luc. 24. *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, palpate, & videte, quia spiritus carnes, & ossa non habent*: Nā si sensus externi possent sentire, quod non est ad extra phisice existēs, & presens potentiæ: possent respōdere Apostoli, qui pro tunc dubitabant: sensationem posse fieri saltim de potentia Dei absoluta ad id, quod nō est vera caro, & ossa existentia, & presentia phisice, ergo §. Cōf. 2. Non minus est de ratione sensus terminari ad rē ad extra in se clare atta & â, quam de ratione fidei ad rē obscure, & non in se, & spei ad bonū futurum vt satis aperte insinuat D. Th. q. 3. de verit. cit. & 1. p. q. 14. art. 9. & q. 78. art. 4. sed repugnat actum fidei terminari ad rem in se, & clare attingendam, & actum spei ad bonum presens, & habitum, ergo etiam repugnat sensatio externa ad rem futuram, aut non presentem phisice.

5 Quod etiam de facto possit dari sensatio externa ad rem non presentem phisice tenēt Io. de Ripa, & Auertoes apud Capreol. in 1. dist. 27. q. 1. & in 3. dis. 14. q. 1. Magist. Raphael de la Torre 2. 2.

tom.2. disp.6.preambul.ad qu. 95.D.Th.Vasq.1.p.disp.38.nu. 9.& 1.2.disp.82.nũ.17.& prob. ex Arist.hic text.138.& de somno cap.2.vbi docet, *Quod abeuntibus sensibilibus fiunt in nobis sensationes, & apparitiones*, quod & ibidem docet D.Th.ergo in absentia sensibilis potest fieri sensatio externa.Confir.ab experientia Nam cum omnia sunt nive respersa omnia, quæ videmus nobis apparent alba etiam intra cubiculum, & clausis oculis si luce solis perculsa ante fuerint videmus etiã in tenebris splendores, & in somnis experimur sensationes, & delectationes,gustus,& tactus,ergo in absentia obiecti potest fieri sensatio à sẽsu externo. Resp.vel eas apparitiones, & sensationes in immaginatione apparere, vbi sensatio externa, quæ in re non est, immaginatur tamen, vel si fit in sensu externo,ideo est, quia commotione spirituum resultãt extra oculum,aut sensũ quædam qualitates sensibiles;sicut imago in speculo ex refractione specierum formatur,& hoc est quod vere nunc, vt præsens,& exterae sentitur,non autem sensibile quod abiit, licet imaginationi appareat ad esse, videri potest Galen.de locis affectis c.6.

6 Arg.2.ad idem. In speculo habito præ oculis potest videri Petrus,qui est à tergo,sed Petrus, qui est à tergo est absens potẽtiæ visuæ,ergo potẽtia visiua potest terminari ad absẽs prob. Mai.nã tunc video Petrum,sed non in specie,quia hæc nõest representatiua in actu secundo cũ sit vitaliter species impressa, ergo ipse Petrus terminat visionẽ,nã species impressa non est terminus, sed principiũ cognitionis §. Resp.negando quod visio externa terminetur ad Petrum, qui est à tergo; non enim ad ipsum,sed ad eius imaginem terminatur,quæ formatur in speculo ex refractione specierum, sicut de quodã Antiphone narrat Arist.lib.2.Metheororum cap.4. quod anhelitu, aut humoribus exhalatis à corpore ingrossabatur aer, & species ab eo exeuntes refrangebantur, & formabatur imago,aut spectrum quod ij se gerebat ante oculos,in quo seipsum videbat,& ideo semper se ipsum circumferebat obiectiuè præsentem oculis sic pariter fit in speculo,sicut enim ea notitia non erat reflexa in Antiphone, sed terminabatur ad spectrum, ad imaginem ibi formatam, & non ad ipsum (nisi forte per imaginationem) hæc respõsio redditur a D.Th.q. 8.de verit.art.5.& alibi, & ad.q. 53.art.3.

7 Arg.3.quod de potentia Dei absoluta possit dari sensatio extra ad rem physicè absẽtem,aut non existentem in fauorem pluriũ receptorum. Si ob aliquam rationẽ repugnaret, maxime quia species sensuum externorũ dependent ab obiecto ad extra in fieri, & cõseruari, sed sine obiecto potest cõseruari à Deo species in sensu

su sicut accidentia panis sine substantia, quia vtrobiq; dependentia est in genere causę efficientis, quam Deus absq; dubio supplere potest, ergo poterit sensus externus de potentia Dei absoluta ad absens terminari §. Resp. non esse solum dependentiam effectiuam, sed etiam formalem, quia repræsentat illa species rem ad extra, vt ad extra est, & non aliter; ideoque licet posset cõseruari à Deo ea entitas speciei, non tamen, vt representat sensui, vel dato hoc non erit sensatio, quia deest idolum quod non potest formari a sensu externo, & etiã deest sensibile ad extra præsens phisice quod in se possit attingi, & actio sine obiecto repugnat, & uc euanescunt obiectiones nonnullorum, qui fingunt nos dicere, quod conseruata specie in sensu externo, non potest terminari ad non existens, quia obiectum terminatiuum efficit.

8 Arg. 4. Potest oculus confortari à Deo ad videndum hinc, quæ fiunt apud indos, ergo etiam ad ea, quæ sunt tempore futuro, cur enim distantia phisica loci potest suppleri a Deo, & non distantia phisica temporis §. Resp. posse suppleri primum, aut addendo actiuitatem obiecto, aut potẽtiæ: nam solem videmus, & si distantior sit, quia actiuior in mouendo, & terminando visionem, & qui perspicacior est ad maiorem distantiam videt vt patet in lince, & in Aquila, ergo Deo præstante, quod perspicacior fiat visus, aut obiectum actiuius vincẽtur distãtia, at quod res futura, & præterita vitalis sit modo existẽs Deus non potest facere, ergo neque quod in se terminet visionem: at visio externa essentialiter petit terminari ad rem ipsam quam videt alioquin eam non videbit (involueret enim manifestẽ contradictionem) ergo non potest vĩderi quod futurum est.

9 Arg. ad idem. Cum in speciebus consecratis videtur caro, aut puer, aut hoc potest fieri ex immutatione specierum, & aeris circumstantijs, vbi ponitur imago carnis, aut pueri, aut solum cõtingit ex immutatione facta in oculo, quæ hoc repræsentat: quæ doctr. ad litteram est D. Th. 3. p. q. 76. art. 8. sed in primo casu fit visio oculi, qua videtur caro, aut puer, quæ in se verẽ non est, ergo media specie à solo Deo producta potest fieri sensatio circa obiectum phisice non præsens ad extra. Resp. sensum verborum D. Th. non esse posse fieri visionem in oculo circa hoc quod non verẽ est visibile ad extra: sed quandoque fieri, immutationem phisicam in speciebus aliquando solum in oculo, sed in speciebus colores fictos, sicut qui sunt in Iride, aut collo columbæ vbi reuera sunt qualitates sẽsibiles per se, & visibiles, licet sine alteratione sint circa species, ad medũ, quo lux est in diaphano, non alterando ipsum: sed tamẽ si refrãgatur colores apparentes facit verẽ visibiles, quia

licet in rē nihil aliud sint quam lux, at lux refacta visibilis est per se, vt obiectum quod: numquam, ergo est visio sine obiecto sensibili ad extra existente.

10 Quæres, an priuationes propriorum sensibilium possint sentiri a sensibus? §. Ref. sensationem nō dari circa priationē sui obiecti v.g. circa id quod caret luce, & lumine in visu, & idem est de quolibet alio sensu, quia omnis sensus est potentia passiua, vt ante late ostensum est, sed priuatio agere non potest neque à priuatione pari potest potentia, ergo priuationes non sunt perceptibiles a sensu, sed solum circa sensibiles qualitates datur sensatio. Præterea intellectus non potest intelligere priuationes, quia vnumquodque est cognoscibile in quātum est actu: sed etiam sensus tendit in obiectum, vt in aliquod cognoscibile actu, ergo non potest habere pro obiecto priuationes. Quod si intellectus cognoscit priuationes, hoc ideo est, quia non ens ad modum entis fingere potest, & sic reducendo priuationes adens reddit eas cognoscibiles: at sensus non potest facere sensibilia rationis, seu ficta, quia eo ipso nō essent sensibilia: ergo neq; directe potest cognoscere priuationes, & sic neque cognoscit, auditus silentium: neque visus tenebras; neq; tactus intangibilia §. Neq; dicas contra hoc stare Arist. hic tex. 102. & 119. dicentem: *Vt visus visibilis atq; inuisibilis quodam modo est, vti diximus cæterique sensus oppositorum; & etiam est tāgibilis, atque intangibilis tactus* §. D. Th. ibi nomine inuisibilis, intangibilis oppositorum non intelligit priuationes perfectas visibiles, aut tangibilis, aut audibilis, sed exuperātias, aut diminutiones horum obiectorum, quæ per excessum, aut defectum opponuntur sensibili proportionato cū sensu, & sic dicit Arist. quod sensus oppositorum sunt, non autem, quia sensus sit oppositorum priuatiue, cum nec priuationes, vt tales sint intelligibiles.

## QVÆSTIO XXXVI.

*Vtrùm sensibile positum supra sensum possit mouere, & terminare sensationem, aut sensus cam circa sic positū sensibile elicere?*

1 IDem est, ac inquirere, an sensibile requirat medium ad hoc quod sensibiliter immuret, & alteret sensū ad sensationem, & quia ex q. 36. videbatur sequi, quod quanto magis sensibile, intimum, & præsens sensui est, tanto melius sentitur, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & per cōsequens, si ad sensationē requiritur præsentia, & indistantia obiecti, quanto fuerit magis indistans videtur, quod melius fieret sensatio, ideo hic excitatur hæc quæstio.

2 Dicendum igitur. Sensibili posito supra sensū non fit sensatio,

sic

sic expressis vērbis habet Arist. hic text. 74. & 75. & 115. D. Th. ibidem, & communiter Philosophi; Et quidem Arist. citatis textibus non de vno; aut de altero sensu docet nostrā conclusionem, sed de singulis, imo libr. 3. c. 1. dobet non esse plures sensus quam quinque, quia non sunt plura media, nam sine medio sensibile non immutat sensum. Nec valēt dicere Aristot. ideo dixisse sensibile positum, supra sensum non facere sensationem, quia non per immutationem realem fundatam in contactu hoc facit, sed quatenus immutat intentionaliter. Nam expresse docet; ideo in tali casu non sentiri sensibilia, quia ille contactus realis, tollit medium sine quo sensibile non potest immutare sensum intentionaliter.

3 Prob. Obiectum mouet potentiam immaterialiter modo eleuata supra modum materialem causarum; & similiter sensus modo eleuatiori, quā vegetatiuæ potentiæ tendit in obiectum sentiendo illud; ergo hoc ipso quod sit cōtactus sensus cū sensibili impeditur iste modus, ipsa sensatione, prob. conseq. modus essēdi materialis impedit sensationem ideoq. sensibile debet mouere sensum immittendo in ipsum suam formam sine materia, ergo etiam modus agendi materialis impedit sēsationem nisi depuretur: at contactus phisicus sēsus cū sensibili est materialis, & proprius agentium materialiū, quæ requirunt illum cōtactum: ergo requiritur, quôd immutatio hæc immaterialis, per medium fiat sublato cōtactu, quo posito impeditur; ergo posito sensibili supra sensum, non minus impeditur sensatio, quam contracta forma sensibili ad suam materiam impedit, ne habeat rationem sensibilis: ergo sicut requiritur esse talis formæ, sine materia in specie, ita etiam requiritur, quod immutatio intentionalis fiat in medio sublato contactu physico sēsus, & sensibilis, §. Conf. Nulla alia ratione pupilla, & organa aliorum sensuum, nec sentiuntur, neq; videntur, nisi quia vnio materialis impedit sensationem; vel dicatur cur pupilla, non videtur ab oculo, cum tamen ab alijs videatur, ergo quia medium requiritur inter sēsum, & sensibile, quod ibi deest, non sentiuntur organa sensuum à sensibus: sed etiam posito sensibili supra sensum deest mediū ergo.

4 Cont. nostram concl. plures ex modernis infensi sunt eam non esse de omnibus sensibus intelligendam, & adducunt Scotum q. 4. de anima, cum tamen oppositum ibi doceat, vt ostendunt eius discipuli. Et probant, quia sensibile poni supra sensum non impedit, sed potius iuuat sensationē: ergo non est cur denegetur, prob. antec. Agens, & patiens debent esse simul: sed sensus patitur à sensibili ad sensationem, ergo cōtactus ille non impedit, sed iuuat. §. Conf. Terminatio sensus externi ad sēsibile est, sine medio,

& sine idolo, ergo etiam motio sensibilis ad sensum erit sine medio spatio, etiam si non sine medio repræsentatiuo quod est species. Prob. conseq. Ex eo enim termina tio est sine medio, quia sensus est potentia materialis, quæ ad rem in se ipsa terminatur: sed etiam est materialis in moueri ab obiecto ipso, vt est in se; ergo quod sit supra sensum sine medio spatio iuuabit sensationem, ℣. Resp. quod etsi contactus physicus iuuet ad actionem physicam, & alteratiuam naturaliter, obstat tamen immutationi intentionali, vt iã ostendi, ℣. Ad conf. Resp. quod sicut ex, quo terminatio sit sine medio, & idolo repræsẽtatiuo nõ licet colligere, quod obiectum moueat sine specie impressa, sic ex eo, quod sit sine spatio medio terminet, sequitur, quod obiectũ moueat sine illo. Et ratio est quia sensus per speciẽ iam est factus in actu immateriali modo, & sic potest terminari sine medio ad obiectum. Vbi notandum est; quod sensus licet sine medio sensibili terminetur ad sensibile in se ipso, non tamen sine medio spatio, quia si poneretur supra sensum non terminaretur sensatio, v. g. demus solem mouisse oculum per spatium, & quod pro signo visionis poneretur supra oculum non videretur: quia etiam terminatio sensationis requirit medium, seu distantiam: non quia non terminetur visio solis immediate ad solem, sed quia si non est distans aliquantulum non terminatur, & sic est medium spatium, & in hoc consistit modus eleuationis vitæ sensitiuæ supra modum agẽdi causæ naturalis, & vitæ vegetatiuæ, quæ neque agunt nisi in contigua, neque aguntur, nisi à contignis, Vide D. Tho. p. p. q. 77. art. 3.

5 Arg. 2. ex doctrina Arist. & S. Th. de sensu, & sensato lect. 5. Vbi docent oportere lumen continuari, vsque ad interiorem partem oculi, vt fiat visio sed lumen est sensibile à visu, imo ratione cuius colores sunt actu visibiles, ergo sensibile positum supra sensum, nõ impedit sensationẽ sed potius iuuat in oculo: at cæteri sensus nõ sunt adeo immateriales, sicut visus, ergo a fortiori non impedietur in illis sensatio ex eo, quod sensibile ponatur supra sensum. Tum etiam Arist. ibidem text. 15. docet quod oculus videt seipsum: sed minus est esse contiguum sensui, quam esse illi identificatum, ergo quodlibet aliud sensibile positum supra oculum videbitur; nisi ea superpositio impediat lucẽ. Tum etiam percusso oculo, scintillant aliqui spiritus resilientes, qui visu percipiuntur, sed illi sunt supra oculum, ergo sensibile supra sensum sentitur. Denique qui intuitus est Solem etiam clausis oculis videt splendorẽ, sed hic non potest esse aliud quam lux adhærẽs ipsi visui, ergo ℣. Resp. quod nõ dixit Arist. lumẽ debere poni intra visũ, sed in partibus interioribus oculi inter quas, & sensum visus aliquæ par-

partes mediant, & sic non sequitur intentum. Ad 2. Quod oculus potest se videre non quoad organum, & sensum, sed quoad aliquas partes contiguas mediatas, & scintillæ illæ extra oculum sunt non in vis., & ideò nil ad nos, quod videatur, ille autem splendor, vel imaginatus est, vel si apparet extra sensum est causatus, ex immutatione sensus facta à vehementi sensibili.

6 Tandem arguunt. Si nervus, qui est sensorium tactus pungatur acu dolebit, & hoc quia cuspis immediatè ponitur super nervũ, ergo sensibile supra sensum positũ sentitur. Tum etiam fumus aromatum penetrans, vsque ad nervos cerebri, in quibus est sensus odoratus sentitur ergo. Tum etiam tactus sentit calorem aeris sibi contigui, cum ab igne torretur, auris sonum intra factum, ergo non est, vnde negetur, quod sensibile supra sensum sentitur, & in gustu partes liquidiores cibi admixtæ saliuæ penetrant, vsque ad sensum, & gustantur ergo, §. Resp. quòd sensorium tactus, qua parte immediatè pungitur non sentit: quamuis alijs partibus possit sentire, quia species per partes contignas dolorificam speciem deferunt. Et idem est in alijs exemplis, in nullo enim sensu fit sensatio, quatenus sensibile (siue sit vapor odoriferus, siue sonus, siue lux, aut color) ponitur supra sensum, sed quatenus ponitur in partibus proximis, & inde per medium multiplicat species sensibiles, quæ per medium perueniunt ad sensum, & idem dicendũ de humore sapidorum cum Diu. Tho. hic ad text. 104.

## QVAESTIO XXXVII.

*An vehemens sensibile, & excellens lædat, & corrumpat sensum?*

1 QVod excellens sensibile, v. gr. magnus ignis quatenus agit actione, & alteratione naturali corrumpat sẽsum non per se, sed per accidens, quatenus tollit, & destruit temperamentum naturale resultans, ex attemperatione primarũ qualitatũ constat experientia, nam ignis organa tactus, & aliorũ sensuum corrumpit, & redigit in cineres, vt docet Arist. hoc lib. 2. tex. 223 & lib. 3. tex. 143. & hoc explicat etiã exemplo adductum ab Arist. Si enim distemperentur cordæ citharæ sonus, & harmonia ex consequenti destruuntur; sed non est parua dubitatio, an sensibile excedẽs, quatenus intentionaliter mouet sensum medijs speciebus, & immutatione intentionali in ipsum agit possit directè, & per seipsum lædere, & corrũpere sensum, quatenus est potentia passiua, nata ad recipiendum species, sine materia rei sensibilis. Sic enim non agit, in sensum alteratione corruptiua, sed perfectiua, cum tamen ex alia parte grauissimi Thomistæ contendant in oppositum, quorum auctoritas, & iudicium apud nos magni ponderis est.

2 Aduerto etiã, quod vehemẽs sensibile, & excellens, aut dicit sensibile improportionatum potentiæ ratione excessus, sicut lumen solis est improportionatũ oculis nocturnæ: aut dicit excellentiã obiecti proportionati, sicut album inter colores excellẽtiam coloris receptiui lucis dicit, quia habet mensuram esse aliorum colorũ visibilium. Nec solum obiectum dicitur improportionatum ratione sui, sed ratione modi, si obijciatur improportionato modo, sicut si existens in tenebris per diuturnũ temporis spatium repente cogatur respicere solem, quo tormento vsum fuisse Tyrannum Siculum Dionysiũ refert Galen. lib. 10. de vsu partium, erga quosdam, & visu orbatos, quia natura patitur si de extremo ad extremum transire cogatur, cũ potius de imperfecto ad perfectũ procedere nitatur. In quo casu nõ per se, sed per accidẽs corruptio visus creuit. Tum quia excremẽti immutatione organũ subiectũ vitiuæ potentiæ disperatũ est: tum quia plures species, quas sustineret visus concurrebant ad visum sensibilis mouendum magna efficacia. Tum quia erat improportionatus modus mouendi potentiam; non vero quatenus, attenta sola mutatione intentionali proponebatur visui obiectum proportionatum.

3 Dicendum est igitur obiectũ excellens, & vehemens si non sit o improportionatum, aut ex se, aut ex modo non ladit sensum, sed potius perficit quatenus mouet ipsum immutatione intentionali, & sic per se numquam sensibile vehemens corrumpit sensum inquantũ sensibile, sic cum alijs Thomistis Mag. Io. à S. Tho. q. 4. de anima, ar. 3. & prob. Si aliquod vehemẽs sensibile læderet sensum quatenus agit, & mouet immutatione intẽtionali maximè sol (cũ inspicitur more ab ægris oculis quibus ex defectu organi odiosa est lux, quæ puris est amabilis) sed lumen solis ex se, & quatenus visibilis non lædit, sed potius delectat iuxta illud, *dulce lumen, & delectabile oculis videre solem*. Ecclesiastes c. 11. quæ verba iuxta litteram, vt sonant intellecta (quia ex hoc hoc absurdum manifestum non conseqüitur, mirificè confirmant nostram conclusionem) scilicet lumẽ solis non lædere, sed delectare, & reficere visum ex se, licet per accidens læso organo, quod est subiectum sensus possit lædi sensus non ex immutatione luminis, vt visibilis est, sed ex immutatione naturali qualitatum naturalium quas secum affert lux solis, quia lux illa est calefactiua, & dissolutiua organi visus, &c. Confirmatur ex verbis D. Thom. 3. p. q. 55. ar. 2. in additionibus desumptis ex 4. Sententiarum dist. 44. q. 1. *Quod illa virtus intensa non offendit visum loquantum agit actione animæ, sed secundum hoc magis delectat* (ecce verba Ecclesiastes supra posita) *offendit autem in quantũ agit actione naturæ calefaciendo, & dissol-*

uen-

*uendo organum visus, & disgregando spiritus, & ideo claritas corporis glorioſi quamuis excedat claritatem ſolis, tamen deſui naturæ non offendit viſum, ſed magis demulcet, quia ſcilicet ſolũ agit actione animali, & intẽtionali, non autem naturali alteratione corruptiua*, quæ verba vix explicationem congruam capiunt ſi declinare tẽtent aduerſarij. Conf. 2. ex verbis D. Tho. 2. de anima lect. 14. vbi etiam ait, *quod quæ habent ſolum eſſe intentionale non factum tranſmutationem naturalem, radij autem corporum cæleſtium tranſmutant totam naturam inferiorũ, & ideo non habẽt ſolum eſſe intentionale in aere.* Sed hæc ratio eſſet nulla ſenſibile quatenus ſolum intentionaliter immutat ſenſum, ipſi ſuum poſſet corrũpere, hæc enim corruptio eſſet trãſmutatio naturalis, nec probaret D. Tho. intentum, quod lux non habet eſſe tantum intentionale in aere ex eo quod trãſmutat omnia, vt virtus corporum cæleſtium, ergo ſenſibile proportionatum excellens inquantum tale non lædit, neq; per ſe corrumpit ſenſum. Vide 1. p. q. 64. art. 3.

4 Et probationibus Nihil corrumpit aliud in quantũ imprimit ei formam, ſed in quantum abiicit ab eo formam quam habebat, corruptio enim nõ conſiſtit in acquirendo formã, & actũ, & perfectionẽ, ſed in eo quod aliquis tantum format, & actualitas, quia non eſt trãſitus de nõ eſſe ad eſſe, ſed de eſſe potius ad nõ eſſe; ad ſenſibile in quãtũ tale ſi ſit proportionatũ quatenus agit immutatione intentionali imprimẽdo formã ſui ſine materia in ſenſu: nõ inde abiicit aliquã formã, aut ſpeciẽ, quia nõ eſt mutatio de cõtrario in cõtrariũ, imõ quæ ſunt in re contraria, vt album, & nigrũ in ſenſu, & intellectu non ſunt contraria, ergo nec lædit, nec corrũpit ſenſum ratione excellentiæ, ſed potius perficit imprimẽdo nouã formã ſine materia, eãq; excellẽtẽ abſq; obiectione alicuius formæ præexiſtentis.

Confir. Senſibile, vt ſenſibile in quantum tale eſt cognoſcibile, & hoc in quantum tale eſt perfectio cognoſcentis, & ſalus eius, vt ait Ariſt. hic text. 8. ergo eſt perfectio ſenſus, vt talis, qui vt ſic eſt potẽtia cognoſcitiua, & perfectibilis à ſuo obiecto, ergo quanto magis ſenſibile habet de ratione ſenſibilis magis habet de ratione perfectiuæ ſenſus, ſed nihil corrũpitur per id cor ipſum perficitur in quãtũ ipſum perficit, ergo ſenſibile excellens in quantũ tale, & in quantum agit in ſenſum magis perficit ipſum quã deſtruat, aut lædat, quod ſi aliquando lædit, non eſt ratione alterationis intentionalis, qua præſtat in ratione obiecti ſenſibilis proportionati, ſed in quantum habet admixtã actionem naturalem in organum ſenſus, qua agens naturale aſſimilat ſibi paſſum abiiciendo formam eius, & ſic corrupto ſubiecto ex conſequenti corrumpitur ſen-

sensus qui est accidēs organi. Nec amplius suadent responsiones, quæ ad rationes factas reddi possunt: Vel de facto reddūtur ab aliquibus.

5 Quod vero excellens, & vehemens sensibile in quantum est improportionatū sensui, aut quantum ad substantiam, aut quantum ad modum lædat ipsum in ratione sensus etiam quatenus agit in ipsum actione, aut immutatione intentionali, prob. Quia tūc alterat sensum abiciendo proportionem, & connaturalem eius capacitatem, & modum connaturalem, & statum sensus, & sic contrarietatem dicit cum ipso, ergo si sensus non sit elevatus, aut dispositus ad formā excedentē eius proportionem lædituṛ à sensibili excellenti, etiam quatenus agit actione intentionali, & imprimit formam sine materia, quantum ad substantiam, vel modum excedentem proportionem sensus. Conf. ab exemplo intellectus qui si viribus naturæ nitatur prosequi veritatem, aut obiectum excedens, & actualitatem obcæcatur, & opprimitur iuxta illud. *Qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria*, Prou. 25. & illud, Psalm. 63. *Defecerunt scrutantes scrutinio*, ideoque monet Eccles. 3. *Altiora te ne quæsieris*, at respecta intelligibilis excedentis nulla admiscetur alteratio naturalis, ergo ex sola improportione obiecti opprimitur, & lædituṛ potētia cognoscitiua. Ergo ex improportione sensibilis in quantum excedit potest lædi sensus; quæ sententia satis innuitur ab Aquario in addit. ad Ferrar. lib. 2. de Anima, q. 21. imo, & a Caiet. 2. de anima cap. 13. q. 2. quatenus ait quod sensibile, vt tale non lædit, sed perficit sensum; licet possit lædere inquātum accidit ei esse excellens, id est improportionatum etiam cum excellentia perfectionis, & idem tenet D. Thom. pluribus in locis.

6 Oppositum tuentur plures ex modernis Thomistis. Hi sunt Bann. PP. Complut. & alij, quia tente inspecti nihil aliud quā nos docent. Et arguit 1. ex plurimis testimonijs Arist. & D. Tho. asserentium, quod vehemēs, & excellens sensibile, lædit, & corrumpit sensum: sed sermo scientificus est per se, & formaliter interpretandus: ergo quia sentiunt, quod sensibile in quantum tale lædit sensum, vt talem, & non solum organum, sed sensibile, vt tale solum agit in sensum alteratione intentioni, ergo secundū Arist. & D. Thom. falsa est nostra cōclusio, §. Resp. in primis quod Arist. & D. Thom. ibi le explicāt; dicunt enim vehemens sensibile lædere sensum in quantum lædit organum, & per consequens nisi contra eorum mentem nō possunt adduci in nostram conclusionem; quod, & suadet exēplum corruptionis symphoniæ, & consonantiæ ex eo quod quis fortiter percutit chordas; manifestū est enim quod percussio chordæ per accidēs corrum-

trumpit ſimphoniam, ſeu armoniam. Sed dato, quod ſermo eſſet de ſenſibili formaliter: ſolum poſſet colligi ſecunda pars noſtræ cõcluſionis, nam ſi ſermo ſciẽtificus eſt per ſe, & formaliter interprætandus, & ibi eſt ſermo de ſenſibili, non vt cumque, ſed vt vehemẽs & excellens, & non eſt vehemens, aut excellens niſi aliquam improportionem dicat cum ſenſu, quantum ad ſubſtantiam, vel quantum admodum, ſequitur ſic ſolum ſenſibile lædere ſenſum, non auem ſi excellentia ſit intra debitam proportionem, ſic enim ſecundum Ariſt. illa immutatio ſenſibiliis nõ lędit, ſed potius ſaluat, & perficit ſenſum. Et in ſenſu huius 2. ſolut. dixit D. Thom. 3. Contra gentes cap. 54. ad 1. *Quod excellentia ſenſibilia ſunt extra facultatem ſenſuum.*

7 Arg. 2. Albedo diſgregat viſum, & lædit, vt experientia patet ſicut nigredo congregati, qua ratione tempore nruis viſi ſunt nõ nulli amiſſe viſum, ſed diſgregare viſum habet albedo quatenus accedit ad naturam luminis, & ſic habet ſpecies fortius mouẽtes ſenſum, ergo ſenſibile inquantum tale lædit ſenſũ, alias albedo eſt ob obiectum proportionatum viſus imõ, & prima menſura colorum viſibilium: nam ideo probat Ariſtotel. hic cap. 12. viſum eſſe vnum ſenſum ſpecie arthoma, quia omnes colores ad vnam primam contrarietatem reducuntur albi, & nigri, & quia albedo eſt quaſi menſura omnis coloris, ergo ſenſibile proportionatum excellens intra lineam proportionati lædit ſenſum. Tum etiam ordo realis pendet ab ordine intentionali in ſenſibus, ex eo enim concurrunt ſpiritus vitales ad ſenſationem, quia eos exigit potentia, vt ſpecie sẽſibili informata, ergo potius corrumpitur organum realiter ex immutatione intentionali, quam ẽ contra; ergo quod ſenſibile excellens corrumpat organum, per accidens. §. Reſp. tamen quod albedo ſolũ corrumpit ſenſum inquantum dicit aliquam improportionem ſaltem in modo cum ſenſu reſpectu talis indiuidui, non vero in quantum dixit excellentiam proportionatam, ſic enim magis perficerẽt. Ad 2. Quod ordo realis pendet ab intentionali in genere cauſæ finalis nõ tamen in genere cauſæ materialis, ſic enim prius eſt organum, & eius temperamentum, & concurſus ſpirituum vitalium, quam ſenſatio, & ideo ſi corrumpitur organum per alterationem realem ſenſibilis: per accidens corrumpitur ſenſus; etſi eſſet vehemens concurſus ſpirituũ, impeditur ſenſatio, quia corrupto, & impedito ſubiecto, quæ ſunt in illo ex conſequenti per accidens corrumpuntur. At ſi tantum eſſet immutatio intentionalis, non ſequeretur per accidens phyſica corruptio ſenſus, quia intentionalis motio non habet virtutem immutandi realiter. Si autem concurſus ſpirituum, qui per motum realem

lem cõcurrũt ad sensum, ex fine sensationis ad vehemens sensibile fiat; tunc dico, quod si sensibile sit proportionatum: quoad modum, & substantiam ille concursus si naturaliter fiat, non potest lædere nec impedire sensationem, quod natura non destruit media requisita ex affectu finis, si tamen sensibile ideo sit excellens, quia est aliqua ratione improportionatum ad sensum, tunc corruptio sensus ex confluxu tot spirituum, & impeditio debitæ sensationis non fit per accidens, ex vehementia intentionalis alterationis sensibilis, quia sæpe non est actiua realiter, sed occasionaliter tantũ, ex illo enim fine principium spirituum animalium concurrit cum pluribus spiritibus, quam temperamentum organi exigat, & petat actio realis sensationis, vt connaturaliter eliciatur, & sic nũquam verificatur quod actio intentionalis inquantum actio intentionalis corrumpat realiter organum, aut quod ordo realis pendeat in genere causæ actiuæ ab ordine intentionali, sicut ê contra contingit cum per realem alterationem corrupto organo ex consequenti corrumpitur effectiuê sensus, vt iam expli cui.

8 Con. 2. partem concl. arg. 3. Excellentia sensibilis secundum quod dicit improportionem sensibilis cum sensu, non potest realiter lædere; aut corrumpere sensum, nec potest intentionaliter, seu exui alterationis intẽtionalis ipsum corrumpere; ergo si corrũpit sensum excellens sensibile, non corrumpit in quantum improportionatum, sed in quantum est proportionatum, & excellens, prob. antec. sensibile in quantum tale non alterat sensum realiter, quia vt sic solum immutat ipsum immittendo formam sine mutatione, & modo reali, & intentionali alias obiectũ improportionatum non mouet intentionaliter sensum alias nõ esset improportionatum, & ideo, quia Deus est obiectum improportionatum respectu intellectus nostri etiam sine alteratione non imprimit speciem in intellectu, ergo nec realiter, nec intentionaliter potest immutare sensum attenta improportione. §. Resp. quod sensibile improportionatum ratione excessus in eodem ordine potest immutare intentionaliter sensum, sed modo improportionato destruendo quantitatem in sensu quam exigit sensus, & quasi violentando ipsum, & ideo potest lædere, aut corrumpere sensum, non ratione alterationis realis, quam non habet sensibile, vt tale, sed ratione alterationis intentionalis violentæ, & improportionatæ, cum autem obiectum est improportionatum, quia est in alio ordine superiori, puta si non esset visibile, fateor non posset immutare sensum intentionaliter, sicut nec Deus in se ipso, nisi posita eleuatione, non immutat intellectum, quia Deus est in ordine supernaturali, & intellectus ex se,

est

est in ordine naturali, sed modo, cum loquamur de excellentia sensibilium in quibus tantũ vnus ordo consideratur, ideo fatemur etiam posse lædi sensum ab excellentia sensibilis improportionati potentis intentionaliter immutare sensum immutatione improportionata, & violenta.

9 Inquires an sicut excellens sensibili improportionatũ per excessum lædit sensum, ita etiã quod est improportionatum per defectum lædat ipsum quatenus intẽtionaliter immutat sensũ, v.g. littera minutissima ex cuius assidua lectione læditur sensus, vtrũ lædat, directê sensum alterando intentionaliter, an vero quatenus realiter immutat organũ. ℣. Respond. tamen quod non lædit sensum directê immutatione intentionali, quia licèt verũ sit, quod quid potest ad minus non possit ad magis, tamen qui potest ad magis potest ad minus, & ideo sensus licet non possit ad maius, ideſt ad id quod deficit a proportione cõ naturali per excessum, potest tamen ad minus, ideſt, ad id quod per defectum deficit ab adæquatione, nec tale sensibile improportionatum per defectum lædit sensum, quia sua alteratione reali distemperet organum, nam si albũ, & lucidum, vt dico non distemperat sensum agendo in illum, multo minus album, & coloratum, vt vnum habebit efficientiam agendi realiter in sensoriũ, seu organũ, itaut soluat eius temperiẽ, sed ea læsio organi occasionaliter tãtum causatur à sensibili, nam ponit maiorem attentionem in sensu, & per consequens plures concurrunt spiritus, & expendũntur, & ideo deficiunt facilè, & dissipatur spiritus, & laxatur sentiens, ex multa attentione, & ideo debilitatur visus maximê in senibus in sensatione sensibilium improportionatorum per defectum, ideo D. Thom. hic ad text. 102. cum dixerit excellens sensibile lædere sensum, hoc non dixit de defectuoso; sed solum, quod male percipitur.

## QVAESTIO XXXVIII.

*Quid sit sensibile proprium cõmune, & per accidens? & an diuisio sensibilis externi in illa tria sit bona, & adæquata?*

1 CVm sensus, sit quod per se patitur à sensibilibus, illud dicitur sensibile externum à quo potest immutari sensus externus ad sensationem, triplex autẽ sensibile assignat Arist. hoc 2. lib. text. 63. respectu cuiuscunq; sensus externi aliud dicitur sensibile per se, aliud per accidens; rursus per se sensibile, vnum dicitur proprium, aliud vero commune: triplex, ergo sensibile assignat Aristot. scilicet proprium commune, & per accidens.

2 Sensibile proprium sic diffinitur ab Arist. est *Quod ab alio sensu sentiri non potest, & circa quod error fieri nõ potest*, vt color

respectu visus, & sonus respectu auditus, & sapor respectu gustus; sensibile commune est quod, *non uni sensui proprium, sed aliis est commune*, vt motus, quies, magnitudo, figura ex quibus, vt ibi notat D. Thom. text. 64. numerus, motus, & quies communia sunt quinque sensibus externis, at tam illa, quam etiam figura, & magnitudo solum a tactu, & visu percipiuntur: sensibile per accidens illud dicitur. *Quod per se non sentitur accidens tamen est per se sensibilis*. Vt albo accidit esse filium Petri, & esse substantiam, & omnia alia, quæ nec sunt sensibilia propria, nec communia, & tamen in illis, & cum illis sunt ista, sensibilia per se, vel sic est: *Quod sentitur quoniam accidit sensibili proprio, & ab eo nil patitur sensus*, advertit tamen Sanctus Thomas à text. 65. in fine, quod sensibile per accidens non dicitur tale præcisè quia accidit per se sensibili externo, sed quia apprehenso sensibili per se à sensu externo, statim sentitur a alio sensu interno, vel ab intellectu, & sic dicitur sensibile, licet per accidens respectu externi sensus. Quia dū simul sentitur, seu cognoscitur ab alia potentia cognoscitiua interna, quasi apparet aliquo modo sentiri à sensu externo, & ideo refertur ad illū, vt sensibile per accidens; vnde ait Diu. Thom. nec omne, quod coniungitur sensibili proprio dicitur sensibile per accidens, nec omne, quod potest circa obiectum sensibile apprehendi ab intellectu, vel à cogitatiua, sed illud, quod statim, ac fit sensatio externa apprehēditur de sensibili a sensu interno, vel ab intellectu sicut statim, ac video aliquem loquentem, aut mouentem se apprehendit intellectus illud esse viuens. Ergo non dicitur sensibile per accidens ex eo quod accidit sensibili per se, sed ex eo quod accidit sentienti, ex eo ipso quod sentit sensibile per se, statim enim aliud sentitur ab eo sensu interno, ex eo quod externus sensus sentit de obiecto.

3 His positis dicendum est diuisionem istam sensibilis externi in proprium commune, & per accidens esse bonam, & adæquatam, prob. Ea, est bona diuisio, quæ exhaurit totam confusionem diuisi, & datur per membra opposita formaliter, vt dictum est, lib. 2. dialect. sed hoc fit præsenti diuisione, non enim potest fingi dari aliquod sensibile externū, quod sub his tribus non continuatur, & quodlibet ex illis diuersam rationem sensibilis explicat, ergo.

4 Arg. 2. ad probandum non esse bonam diuisionem factam. Sē sibile commune coincidit cū sen- sensibili per accidens, ergo male diuiditur sensibile in proprium, commune, & per accidens, prob. an illud est sensibile per accidens, & non per se, quod non apprehenditur ratione sui, sed in quantum apprehēditur sensibili proprium, sed hoc contingit sensibili communi, non enim figura, aut magni-

nitudo apprehenduntur à visu, nisi ratione lucidi colorati, ergo sensibile cõmune est sensibile per accidẽs, ex quibus colligitur male diuisisse Arist. sensibile primo in per se, & per accidens, deinde sensibile per se in proprium, & cõmune, cum potius sensibile per accidens debeat diuidi in cõmune, & per accidens particulariter dictum. ℣. Respond. ad hoc arg. D. Thom. hic ad text. 65. prius reiecta quadam responsione nixa duplici ratione, quam ibi refutat, & ibi legi potest: deinde dicit, quod cum sensibile dicatur, secundum quod ab ipso potest sensus pati, & alterari, id dicitur per se sensibile, à quo patitur sensus, vel quantum ad speciem, vel quantum ad actionem, seu actionis modum, & quia sensibilia propria sunt, quæ ministrant speciem, & in ordine ad quæ etiam sumitur species sensus, & sensationis, sensibile autem commune conducit ad modũ immutationis, ideo etiam sensibilia communia sunt per se sensibilia, & non per accidens, quia à sensibili per accidens nihil patitur sensus, cum autem alio modo concurrat sensibile commune, ac sensibile proprium sit consequens, quod sensibile prius debuerit diuidi, ab Arist. in per se, & per accidẽs, & deinde sensibile per se in proprium, & commune, vnde ad arg. negatur, an ad probat. dist. mai. illud est sensibile per accidẽs, quod non apprehenditur ratione sui, vel quantum ad speciem, vel quantum ad modum intrinsecum concedo, quod non apprehẽditur ratione sui saltim, quantum ad modum immutandi neg. mai. & dist. min. sensibile commune non apprehenditur ratione sui, quantum ad modum actionis, & immutationis neg. quia aliter immutat sensum coloratum, quod est magnum, & mouetur, quam quod non est magnum, nec mouetur quantũ ad speciem, quæ immittitur sensui, & speciem sensationis concedo min. & neg. conseq. ex dictis autẽ patet ad vltimam partem obiectionis.

5 Arg. 2. Vel nomine sensibilis, quod diuiditur in sensibile proprium commune, & per accidens, est quo diuisum hac diuisione intelligitur obiectum abstractum sensus, tàm interioris, quam exterioris, vel intelligitur sensibile tantũ, quod attingitur à sensibus externis: quocumque ex his modis accipiatur, est mala diuisio, ergo prob. min. si accipiatur primo modo sensibile per accidẽs est per se sensibile respectu alicuius sensus interni, ergo male diuiditur sensibile in per se, & per accidens. Si secundo modo accipiatur sensibile, male diuiditur sensibile externum in sensibile per accidens. Nam sensibile externum est, quod potest sentiri aliquod sensu externo, at de sensibili per accidens dicit Arist. hic: *Quod abeo nihil patitur sensus externus*, & etiam text. 65. *Non autem sensus id à quo nõ patitur*,

ergo quocumque modo accipiatur sensibile mala est diuisio. ℣. Resp. Ex doctrina Caietan. hic cap. 6. in principio, ibi accipi sensibile pro sensibili externo, seu pro obiecto externorum sensuũ, & dici sensibile per accidẽs, quia ad sensationem externi sensibilis percipitur in eodem obiecto externo aliquid a sensu interno ex vi sensationis externæ, vt diximus ex D. Thom.

6 Arg. 3. Si aliquod esset sensibile per accidens maximè substantia, sed hæc est per se sensibile commune: ergo non datur sensibile per accidens: prob. min. quod modificat sensibile proprium, vt tale modificat sensum, & sensationem, vt dictum est, & habet rationem sensibilis communis: sed substantia modificat sensibile proprium, siquidem individuat omnes qualitates, quæ sunt sensibilia propria, non enim essent sensibilia nisi haberent esse concretum, & singulare: ergo. Ex alia parte, etiam vrget argum. quia sensibile commune ex eo quod modificet, & determinet sensationem non fit sensibile per se: nam etiam spiritus cerebri perturbando organa, modificant, & determinant actionẽ iuxta illud Horatianum:

*Cum bibitur concha, tunc iam vertigine rectum.*
*Ambulat, & geminis consurgunt mensa lucernis.*

Et tamen non sunt illi spiritus sic disturbantes organum sensibilis communis, ergo. Respond. quod etsi nõ nisi singularis qualitas sensibilis possit sentiri principium tamen radicale singularitatis non est sensibile per se sicut, nec aliæ causæ talium qualitatum sunt sensibiles per se, quia deest illis, ratio sensibilis qualitatis formaliter, etsi causaliter sint tales qualitates. Ad 2. quod spiritus illi, & deturbatio organi ex fumo vini existente in cerebro non dicuntur sensibilia, quia non se tenent ex parte obiecti, sed potentiæ, cum requiritur ad hoc, quod aliquid dicatur sensibile commune, quod ex parte obiecti determinet sensationem, quo autem pacto, & modo, ea geminatio lucernarum, & inambulatio tecti appareant bene potis, & ebrijs, exponit Arist. sect. 3. problemat. 9. & 10. & 20. & 21. & sect. 31. problem. 11. & 18. & Galen. lib. 10. de vsu part.

## QVÆSTIO XXXIX.

*An sensibile commune, aut per accidens propriam speciem mittant in sensum diuersam ab illa quam mittit sensibile proprium?*

1 Dicendum 1. Sensibile cõmune modificat speciẽ, quã imprimit sensui sensibile proprium: non tamen distinctam speciem mittit in sensum. Sic Diu. Thom. hic lect. 13. & 1. p. q. 17. art. 2. & q. 78. art. 3. ad 2. vbi docet, quod sensibile commune non mouet per se primo sensum immutatione intentionali, quæ fit mediante

diante immissione speciei, sed hoc facere determinando repræsentationē speciei sensibus proprij, probat. concl. Tum quia sensus per se primo immutatur specie eius à quo specificatur, illud enim est proprium actuū potentialitatis sensuum externorū, sed non per se primo specificantur sensus à communi sensibili, quod potens est attigi à pluribus sensibus: sed solū à sensibili proprio, ergo solū illud est, quod mittit speciem. Tū etiā natura horret superflua; sed species sensibilis proprij sufficit repræsentare sensibile cōmune, ergo hoc non mittit peculiarem speciē. Prob. min. repræsentat enim sensibile proprium, non in abstracto, sed in concreto, vt habet modos magnitudinis, figuræ, &cætera, ergo. Tum denique sensibile commune per se non potest terminare sensationem, ergo multo minus mouere ad illam immittendo speciem. Prob. conseq. quia amplius, & latius est obiectum terminatiuum, quam motiuum, vt per se constat, antec. autem videtur certū, quia magnitudo, figura, motus, quies, & numerus, nec colori sunt, nec sonus, ergo terminare non possunt sensus visus, & auditus ratione sui, & idem est de alijs.

2 Quod vero determinet speciem proprij sensibilis, sensibile commune probat. D. Thom. illa lect. 13. lib. 2. de anim. quia aliter immutat sensum magnum, aut parum visibile, aliter mouens se, seu acquiescens. Si dicas nullo modo percipi à sensibus externis sensibilia cōmunia, sed solū ab internis. Cōtra est, hoc enim experientiæ repugnat: manu enim percipimus lapidē, an sit magnus, an parvus, & oculis, an sol sit magnus, cui posset obiici illud Bedæ in Luc. c. 11. *At tu qui calumniaris ea quæ oculis vides manu tenes, vtilitate sentis, quid facies de his quæ de Cælo venerint?*

3 Si instes. Sensibile cōmune nō posse modificare sensibile propriū quia iā non esset cōmune sensibile nā modus est adiacēs rei determinati, & magis appropiat rē alicui. Resp. nō esse modū formalē, ex parte materialis obiecti se tenere, & ideo nō magis apropriare sēsibile sēsui, sed potius cōmune alijs tedere.

4 Dicendum 2. Sensibile per accidēs nullo modo immutat sensum externum, aut immittendo speciem, aut eam determinando sic Vrsit. hic tex. 63. *Nihil ipse sensus (externus) ab huiusmodi sensibilibus per accidēs patitur.* At patitur sensus ab obiecto, quatenus immittit speciē, aut eā modificat ergo, D. Thom. ibid. idem sentit, ait enim: *Quod sicut oculus nō sentit vllo modo dulcedinem albi, ita neq; eius substantiam, quæ etiā est per accidens sensibile.* Ratio est, quia nullo modo variatur sensatio mutato sensibili per accidens, vt patet in visu, vel tactu hostiæ; ante, & post consecrationem, & tamen variatur substantia, ergo sensibile per accidens nullatenus percipitur a sensu. Et sic tenet Diu. Tho. p. p. q. 77. art. 2. & hic l. 14. vbi negat substantiam percipi à sen-

sensu. Nec oppositum docuit 1.p. q.17.art.2.dum dixit: *Quod similitudo hominis est in sensu per accidens, non in quantum est homo; sed in quantum huic colorato accidit esse hominem.* Hæc enim verba non sentiunt percipi à sensu externo humanitatem, sed solum ibi esse in potentia similitudinem quatenus potest elici ab intellectu agente ex speciebus existentibus in phantasmate, quæ ingressæ sunt per sensus, nec aliud intendit Ferrara 4.cont.gent.c.20.& libr.2. de anima cap.66.q.11. nam dicit substantiam percipi à sensu, quatenus in illo est species in potētia repræsentativa substātiæ. Quidquid in contrarium nitatur M.Bannez p.p.q.78.art.3.dub.8. adducens M.Soto in 4.dist.9.q.2.art.5. cuius fundamenta infra proponam.

6 Con.1.concl.Arg.1. Sicut ratio per se sensus est per se pati, ita ratio sensibilis per se est per se agere, & immutare sensum imprimendo speciem, sed sensbile cōmune est per se sensibile, ergo per se immutat sensum imprimendo illi speciem diuersam à sensibili proprio. Tum etiam figura per se repræsentatur sensui, vt patet in speculo, ergo per speciem diuersam à colore. Tum etiam color, & magnitudo, aut figura sunt in se diuersa obiecta, ergo diuersam repræsentationem à sensu exigunt, dum illi repræsentantur maximè cum species sensibiles non habeant eminentiam, vt possint plura cum ordine repræsentare. Vlterius solum posita variatione in sensibili communi, si multum elongetur, aut crescat, aut minuatur, variatur visio, vt experientia constat, nec eodem modo percipitur sensibile, ergo quia habet diuersam speciem à sensibili proprio. Tum si hoc non esset ita manente eodem sensibili proprio maneret eadem species immutata, & eadem sensatio. Denique potest sentiri sensibile commune nullo sensu facto circa sensibile proprium: at omnis sensatio propriam speciem requirit, ergo sensibile commune habet immittere in sensum speciem propriam diuersam ab ea, quam immittit sensibile propriū. prob.mai. si quis insta concauum Lunæ immediatè constitueretur sentiret resistentiam, quam habet corpus cœleste, nec vltra progrederetur, & tamen non sentiret ibi aliquod propriū sensibile tactus, quia in cœlo non sunt qualitates tangibiles, ergo. Tum etiam qui verberatur sentit vehementē dolorem, non autem, quia ibi fit calor, aut frigus de nouo impressus, sed propter diuisionem carnis, aut rum efactionem vibicis, ex corfluxu sanguinis ad ictum confluentis ergo tunc solum sentitur sensibile commune.

7 Respond. Quod sicut sensibile commune est tale non primo, & per se, nec ratione sui, sed quatenus modificat sensibile proprium, sic immutat sensum non primo, & per se ratione sui per propriam speciem (sic enim iam

esset

esset sensibile proprium,) sed modificando tantum repræsentationem sensibilis proprij, quæ est in specie immutante sensum, & sic repræsentatur figura; & magnitudo in specie sensibilis proprij. Et sic verificatur, quod etsi sensibile proprium, & commune sint diuersa obiecta in esse entis, non tamen ex æquo, & per se primo, sed vnum, vt afficiens, & modificato aliud est sensibile, ideoque, vtrum repræsentari possit vnica specie sensibilis proprij, vt modificata à sensibili communi, ad quod non requiritur vlla eminentia in specie sensibili, sed sufficit modificatio. Et hinc fit quod variato sensibili cõmuni, variatur visio, quia adhoc sufficit diuersus modus sub quo manet affectum sensibile proprium: & sic potest dici, quod etiã variatur species, quia sẽsibile proprium, vt subest diuersis modis diuerso, etiam modo imprimit speciem sui in sensum. Et cum repræsentatio sit indiuisibilis adæquatio cũ obiecto, variato eius modo, variatur repræsentatio, & ipsa species, quæ vnica est ad sensibile proprium, & commune. Ad vlt. Respond. quod in eo casu non sentiret quis quantitatem cœli: sed impediretur leuare manum, aut vltra progredi ratione impenetrabilitatis, vtriusque quantitatis, non minus, quam si impediretur ab Angelo vltra progredi. Non enim, tunc sentiret sensu tactus vim Angeli, & tamen non progrederetur. Sed lege Diu. Thom. 3. part. quæst. 54. artic. 3. ad 2. Ad 2. quod dicitur verberis percucientis esse sensibile proprium tactus, & hanc sentiri, & ex consequenti diuisionem carnis, aut cõpressionem nerui, vel quia motus velox verberis distemperatum calorem causat.

8 Con. 2. concl. Arg. 2. Substantia, v.g. est per se subiectũ sensibilis proprij, & communis, ergo sentitur a sensu attingente per se sensibile in cõcretum, sic enim oculus videt hominem, & bouem sic etiam accidentia per se sensibilia sunt virtute substantiæ, etiã ad immutandos sensus, ergo mediantibus accidentibus substantia sentitur. Vlterius sensus non decipitur, circa sensibile proprium, & per se ex Arist. hic, sed circa id in quo est, ergo circa substantiam, & sensibilia per accidẽs, ergo ea percipit sensus, alias decipi nõ posset, deceptio namque consistit in eo quod aliter percipiat, aut iudicet, quam deberet, ℘. Resp. Substantiam esse subiectum substantiale in esse entis substentans qualitatus sensibiles esse in esse sensibili esse extra eius lineam, quamuis quia etsi accidentia esse in cõcreto, sit cõditio ad sensibilitatem, sed nõ ita, vt in se sit sensibilis sentiri possit. Sic etiam virtutes substantiæ mouent, hac virtute in linea entis considerata, at non in ratione obiecti sẽsibilis, sic enim solum ratione sui mouent sensum accidentia sensibilia. Nec Arist. docet decipi sensum, quia non be-

bene iudicet de substantia, aut de sensibili per accidens; sed quia non bene iudicet de sensibili communi, vt dicetur infra.

## QVAESTIO XL.

*An diuisio sensibilis communis in quinque illa, motum, quietem, numerum, figuram, & magnitudinem sit bona, & adæquata?*

1 ADuerto 1. Non ideo dici sensibile commune, quia sit tantum sensibile sensu cómuni, vt contendit Apollinar. hic cap. 8. aut quia solum sentitur ab intellectu, qui est potentia etiam communis respectu sensuum, tàm internorum, quàm externorum, vt placuit aliquibus, nec quia ab omnibus, & singulis sensibus externis debeat attingi, vt sentit Themist. Cum tamē Diu. Thom. oppositum ostendat hic ad text. 64. sufficit enim, vt sit sensibile commune, quod non ab vno tantum sensu attingatur, & sic solum tactus, & visus per se sentiūt quinque illa sensibilia, cæteri autem sensus tantum tria, scilicet numerum, motum, & quietem proprij sensibilis.

2 Aduerto etiam hic numerasse Aristot. solum sensibilia communia in genere, non in specie, & ideo etsi sint plura alia in specie, quia tamen an hæc quinque sunt reducibilia recta erit diuisio Aristot. vnde etsi Vitell. libr. 3. perspectiuæ 19. sensibilia communia in specie enumerauerit nō opponitur Aristot. sicut, nec ipse Aristot. contrarius est sibi ipsi, asserens libr. 3. de anima, text. 133. Vnitatem esse sensibile commune, quia hæc ad numerum reducitur; & libr. de sensu, & sensu, & sensat. cap. 4. obtusum, acutum, aspurum, & lene, quia hæc ad magnitudinem, reduci possunt, sicut, & tempus ad motum, etsi inter sensibilia communia collocetur 4. physic. text. 93. Sicut æquale, & inæquale ad magnum, & paruum reducitur, & situs ad figuram, locus, ad magnitudinē, quia est superficies, & vbi ad motum localem, cuius est terminus.

3 Dicendum igitur eam diuisionem sensibilis communis in illa 5. genera esse bonam, & adæquatam. Tum quia sic docent Aristot. & Diu. Thom. hic text. 64. Tum quia non esse plura ostēsum est, quia omnia quæ enumerant perspectiui ad illa quinque possunt reduci.

4 Arg. 1. numerus, nec pro formali potest esse sensibilis, quia sic dicit aliquid rationis, & ideo Arist. sect. 30. problem. q. 5. dixit bruta nō posse numerare. Nec pro materiali est sensibile distinctum à magnitudine, quia sic solum prouenit à diuisione quantitatis, nec dicit diuersam magnitudinem, sed ante diuisionem, nā magnitudinem, post vero, plures, ergo numerus non est sensibile commune distinctum ab alijs.

Tum

Tum etiam motus non est sensibile sensu externo, quia eius partes, quæ in priori, & posteriori, consistunt, non possunt hic, & nunc apprehendi, quia hic, & nunc non sunt, sed erunt, aut fuerunt, & maximè patet in visione, quæ in instanti fit, cum tamen motus fiat in tempore. Denique, quia partes motus non nisi numerando percipiuntur: at sensus externus non numerat, & si partes motus non percipit, nec ipsum motum percipere poterit, ergo. Cõf. 2. Quies sensibilis non est cum sit priuatio, & non ens, priuatio autem sentiri non potest, ergo non sunt 5. sensibilia communia, sed solum duo, scilicet figura, & magnitudo.

5 Respond. Numerum non pro ordine vnius quantitatis ad alteram, neque pro formali sensibilem esse, se quatenus dicit multitudinem, & sic specialem sensibilitatem dicere ab ea, quæ est in magnitudine absolutè sumpta. Ad 1. conf. quod sensu non percipit motuum in se, nec ordinem partum: sed sedumdum esse immutati esse quẽ ponit in proprio sensibili, & sic in instanti percipi potest. Ad 2. quod quies qua parte priuatio est non esse sensibilis; sed qua ratione relinquit permanentiam insensibili proprio.

Vide Bann. 1. p. q. 78. art. 3. dub. 8.

## QVÆSTIO XLI.

*An sensus possit decipi circa proprium sensibile, vel circa quæ?*

1 SVppono quod sensus externus, vt supra dixi non fallitur verè, & propriè circa sensibile per accidens, quamuis det occasionem, vt fallatur circa illud, alius sensus internus, qui ad sensationem externi sensus statim iudicat de sensibili per accidens, quia vt dicit D. Thom. cum Arist. hic ad text. 65. sensibile per accidẽs non representatur sensui externo, neque sensus externus ab illo patitur, aut immutatur intentionaliter, aut representatiuè: sed nullus sensus potest falli, aut errare circa id quod est in cognoscibile, ideoque visus non potest errare, circa dulcedinem, quia error, aut falsitas solum contingit, cum aliter percipitur, aliquid quam debeat percipi, ergo si sensibile per accidens non potest percipi a sensu externo, nec aliter poterit percipi, quam debeat dercipi, nec opportunus nobis censendus est Diu. Tho. cum hic ad 1. 63. dicit: *Circa sensibilia per accidens, vel communia decipiuntur sensus externi.* Nã loquitur disiunctiuè, & sic vna pars vera sufficit ad verificationem. Tum quia intelligendum est occasionaliter, quatenus præbet occasionem ex errore quẽ habet circa sensibile commune, quod fallatur sensus internus, aut intel-

lectus circa sensibile per accidēs, & sic potius homo est, qui fallitur per visum si per id quod visus fallitur, vt videt de colore velit iudicare, id in quo est color, aut quid sit id in quo est color.

2 Supponendum etiam in cōfesso esse apud omnes Philosophos circa sensibile commune posse errare sensus externos: & constat ex Arist. tra. 63. & tra. 161. vbi hoc late prodit, quod apparet manifestē in astris, nō enim errat visus circa lucem, sed in magnitudine, quia apparent parua cū sint magna apparent plana, & sunt figuræ sphericæ, apparent immobilia in situ, & tamen velocissimē mouentur, deceptio autem sensus maxime contingit, vt aiunt aliqui ex Arist. t. 161. huius lib. si aut organum sit læsum, vt in febricitantibus laborantibus humore colerico, quibus dulcia amara quoad gustū sapiunt, deinde si medium non sit purū, & hac ratione Luna quādoq; rubra, quādoq; flaua, quādoq; alba apparet, ex quorū colorū discrimine variæ temporum vicissitudines vaticinari obseruauit Maro in Georgicis. Tertio si sensibile sit diffās, sic enim quæ sunt magna parua, videntur.

3 Et iam est certum, quod in sensu non potest dari deceptio, & falsitas formalis, sicut, nec datur veritas formalis, quia hæc solum reperitur si intellecta componente, & diuidēte, vt docet D. Tho. à. p. q. 27. art. 2. solum ergo est dubium, an deceptio, & falsitas materialis inueniatur in sensu externo in percipiendo obiecto aliter quam est.

4 Dicendum est 1. In sensu non est per se falsitas circa propriū sensibile, sed solum per accidens, & hoc raro, & non circa propriū formale sensibile, sed circa materiale: id est nō circa lucem, aut colorem in oculo, aut circa sonum in auditu, sed circa hunc, vel illiū sonum. Hæc concl. habet plures partes probādas, 1. scilicēt, quod sensus non fallitur per se circa proprium sensibile est Arist. hic t. 63. vbi ait: *Sensibile proprium esse circa, quod error fieri nequit.* Scilicet per se, quia verba sumpta in definitione maximē formalia per se accipienda sunt, vnde D. Tho. ibid. interpretatur, quod sensus nō potest errare circa proprium sensibili, scilicet per se, & interminis nostrā conclusionem assuerat, at 1. p. q. 17. ar. 2. & ibi Caiet. & Bao. ibid. & prob. rat. Sic se habet sensus circa proprium sensibile sicut intellectus, circa quod quid est, quod apprehenditur prima operatione, aut circa prima principia vniuersalissima, ex quibus omnis discursus pendet, vt docet Diu. Thom. loco citato, qua ratione Arist. 3. de animal. 26. cōparat intellectum sensui, quāuis possit carere circa ea, quæ circunstant rationem quidditatem, & principia cōponēdo, aut discurrendo, circa ea quæ circunstant quidditatem, aut in principijs continetur: ergo nec sensus potest per se falli, aut

aut errare circa proprium sensibile, prob. consequ. Tum quia sic se habet sensus ad proprium sensibile, sicut intellectus ad quiditatē, & ad prima principia. Tum quia ex eo intellectus circa illa principia, & quidditates errare non potest, quia nulla potētia potest circa proprium, & per se obiectum errare, eo quod est determinata à natura, & essentia sua ad tale obiectum, & si erraret, tribueretur naturæ, & eius auctoritatis error: sed proprium sensibile, etiam est per se obiectum sensus externi, ergo per se errare non potest circa illud.

5 Secunda pars, scilicet, quod sensus externus per accidens errare possit, circa proprium sensibile, id est, aut quia læsum est organum, aut quia medium non est purum, aut quia distat multum obiectum est etiam expressa sententia D. Tho. loco citato, & libr. 3. de anima t. 161. & patet experiētia, nam lingua febricitantis, quia est infecta humore colerico iudicat cibos esse falsos, aut amaros, ex lesione organi, & Cælum esse cæruleum ex distantia, & aliquid esse viride si vitro viridi fiat visio iudicamus quamuis, hæc falsitas reuera non tam sit circa proprium sensibile, quam circa sensibile cōmune, aut per accidens; nam saliua, quæ immediatè gustatur, verè falsa est in febricitante ex infectione Organi, & error est iudicare esse in cibo illum saporem, qui reuera est in saliua, & similiter cum obiecta visa apparent viridia, quia inspiciuntur per vitrum viride error non fiat in eo, quod ibi nō fuerit color viridis qui videtur, sed in eo quod nō discernitur vbi sit, sed iudicatur esse in obiecto cum tamen sit in medio, & idem Cælū apparet cæruleum cum tamen in se non sit nisi trāsparens; quia species ob distantiam vere referunt colorem cæruleum, & sub obscurum diaphanum, quod tamen iudicatur non oriri ex distantia, sed esse in ipso Cælo.

6 Quod autem circa sensibile per se raro accidat huiusmodi error per accidens fatebatur Arist. citat text. 161. vbi. *Sensus quidem propriorum est verus, aut raro admodum suscipit falsum*, & ratio est, quia quod per se exigitur habet per se causam, quod autem per accidens non habet causam per se, ergo debet raro, & nō frequenter accidere, alias non esset præter intentionem naturæ. Tum etiam, quod habet causam per se, habet immobilitatem maiorem, quam quod solum habet causam per accidens, ergo vt plurimum debet primum contingere, & raro, & vt in paucioribus secundum.

7 Quod autem non contingat error adhuc per accidens circa formale obiectum proprium sensuum externorum, sed solum circa materiale obiectum, scilicet, quod si nō sit verus color, aut lux, aut verus sonus, non fiat sensatio, & si possit errari per accidens, cir-

ca colorẽs, ãut somos particulares videtur colligi manifestẽ ex Arist. hic tex. 63. *Sẽsibile propriũ, est circa quod error fieri nequit, vt color respectu visus, & sonus, auditus, & sapor gustus,* & infra. *Visus enim non errat esset colorẽ, aut auditus esse sonum, sed quid sit id quod est infectum colore, vel vbi, aut quid sit id, quod sentit, vel vbi* Eũ aut circa formale obiectũ sensibus negat errorem, sed concedit, circa quid sit illud, quod habet colorem, aut sonat, id est, an sit album, vel nigrum, an sit acutum, aut grane, vt Ferrara interpretatur, hic q. 10. & ratio suadet, quia vbi non est ratio specificatiua per se motiua, & terminatiua potẽtiæ, siue per se, siue per accidens deficiat, actus potentiæ elici non potest, nam deficiente causa deficit effectus: sed ratio veræ lucis, aut coloris, est ratio specificatiua visus, & sonus auditus: ergo non erit sensatio si non sit verum lumen, aut color, aut sonus: at circa rationes materiales, non est eadem ratio, & ideo potest esse error per accidens circa illas quamuis etiam posset dici; quod error ille non est etiam, circa obiectum materiale, particularis coloris, aut soni formaliter acceptorum, id est, secundũ esse repræsentatiuum, & intentionale, si enim in specie non verẽ representetur color viridis, qui est in vitro, aut colores apparentes, qui sunt in collo Columbæ, aut in Iride, nõ erit visio coloris, aut alterius sensibilis particularis, sed error; & quia indicatur non solum hæc habere esse intentionale in sensu, sed etiam materialiter esse hoc in obiecto censemus, cum autem tale iudicium non sit in sensu ipso externo: sed in operatione phãtasiæ, aut alterius sensus interni, qui moueatur a sensatione sensus externi, fit consequẽs, quod talis falsitas, nec per accidens sit in sensu respectu sensibilis proprij formaliter considerati, & secũdum quod intentionaliter mouet sensum per species, sed materialiter est in sensu externo, & per accidens, quatenus admiscetur operatio alterius sensus, iudicans de illa sensatione, & illo sensibili, sicut est falsitas in prima operatione, nõ quatenus prima operatio est, sed quatenus ibi admiscetur aliquid de secunda operatione componente, & diuidente, & attribuente diffinitionem rei cui non cõuenit, aut ponente partem aliquam in diffinitione, quæ alijs partibus repugnat, vt docet Diu. Thom. 1. p. q. 17. artic. 2. ad 1. & q. 83. art. 6. & Aristot. l. insinuat in hoc 2. libr. tex. 161. quatenus illum errorem circa sensibile per se attribuit phãtasiæ.

7 Ex quibus etiã constat, quod cum dixit D. Thom. quod sensus circa proprium sensibile per accidens errat, licẽt raro, aut ex defectu organi, aut ex impuritate medij, aut ex distantia sensibilis, non est sensus D. Tho. quod sensus vere erret; sed quod occasionaliter dan-

dando occasionem phantasiæ, aut intellectui, vt erret circa propriũ sensibile sensus externi: existimando quod iudiciũ rerũ sensus, quod habet de illo obiecto, secundum quod sic apparet intentionaliter in specie ex illis capitibus nõ solũ est verum in representando, sed in essendo, id est sic esse obiectum in se sicut repræsentatur in oculo, & tunc fallitur sensus internus, & dicitur etiam falli peraccidens, id est per sensum internum sensus externus, cũ reuera sensus externus, non fallatur per se, & formaliter, quia ad ipsum non attinet iudicare, & coferre esse intẽtionale obiecti: cum esse quod habet obiectum in se ipso, sed solum sentire sicut mouetur ab obiecto in illa specie, & secundum quod representatur in illa, & secundum quod peti obiectum terminare sensationem suppositâ ea repræsentatione, hoc enim est quod dicit D. Th locis citatis, quod non est veritas, seu falsitas formalis in sensu, sicut in cognoscente, & iudicante verũ, aut falsum sine sic, aut non, sic adæquati sensum factum in actu per speciem cum ipso esse obiecti: sed esse veritatem, aut falsitatem materialiter, quatenus attingit quod repræsentatur illi de obiecto, & secundum modum quo fit illi repræsentatio.

8 Si instes Ista species aliter representat sensui obiectũ sensibile proprium quàm sit in se, & sensus sensatione externa terminari non potest ad obiectum in se conformiter ad eam repræsẽtationem quæ nõ est illi obiecto cõformis: ergo in se fallitur sensus, & non tantum occasionaliter: quia sensus externus natus est immediatè terminari ad rem ad extra, vt est ad extra sine idolo, ergo si ad extra in se Cælum non est cæruleum, iris, & collum Columbæ non sunt colorata, & vbi Cælum infectum per vitrum viride non habet colorem viridem: sensus aliter quàm est in se sentit tale obiectum, ergo non solum dat occasionem falsitati sensui interno, sed in se falsus est sensus externus, etiamsi careat iudicio, & veritate, aut falsitate formali.

9 Resp. cum sensatio non sit actio naturalis, sed intentionalis, id est non fit ad obiectum ad extra secundum esse entitatiuum, sed secundum esse sensibile, & esse sensibiles cõsistat in agere, & sensus in pati, vt eleganter notat Caiet. hic cap. 6. fit consequens quod terminetur verè sensus ad sensibile, vt tale quatenus mouetur intentionaliter ab illo: vnde quia obiectum sensibile non aliter potest mouere sensum cum est distans, aut medium est impurum, aut læsum organum, nisi sub illa representatione, nec aliter est natum terminare illam sensationem, nisi eo modo quo est representatum in specie, ideo in sensu non est error si videat cœlum cæruleum, quia sic est sensibile à visu supposita ea distantia, licèt nõ sic sit in se secundum esse entitatiuũ, &

phi-

phisicum, & idem est de collo columbæ, & de Iride quatenus sit reflexio luminis; nam licet entitative non sint veri colores: sunt tamen veri in esse repræsentativo, & sunt veri quoad effectum terminandi sensibiliter visionem ad extra in ratione formali sensibilis ad extra, quia ibi solum videt oculus lucem refractam, quam phantasia rerum colorem iudicat, licet non sit in esse materiali, & phisico ad extra attenta linea entis, & ideo ille error non est in sensu externo in se: sed occasionaliter quatenus facta sit sensatione externa iudicatur per phantasiam, & intellectum ea sensibilia in esse entis habere quod non habent nisi in esse sensibilis externi, & sic cum dicitur per accidēs decipi sensum circa proprium sensibile, intelligendum est non in se, sed occasionaliter, & hoc est quod ait D. Th. 1. p. q. 17. art. 2 ad. 1. *Fallimur per sensum circa rem non circa ipsum sentiri.*

10 Dicendum 2. Circa sensibile commune per se natus est sensus falli; & si nec organum sit læsum, nec medium impurum, nec distans obiectum, & si verum sit, quod si istæ conditiones adsint, multo magis decipiatur sensus, deducitur ex Arist. citato text. 63. & 161. vbi absolute concedit sensum falli circa sensibilia communia, & D. Th. dum dicit circa sensibilia propria non falli sensum, nisi per accidens, & sub illis conditionibus, læsionis organi, impuritatis medij, & distantiæ, at circa sensibilia communia, absque exceptione, & conditionibus istis illud admittit, quod, & facit 1. p. q. 17. art. 2 & q. 85. art. 6. & probat ex similitudine ad intellectum, qui per se potest falli circa ea, quæ circunstant, quod quid est componendo, & diuidendo, & circa ea, quæ deduci possunt ex infallibilibus principiis extorte discurrendo, quia tunc non tēdit intellectus circa per se specificatiuum ad quod est determinatus à natura, sed circa ea, quæ circunstant ad, quæ non est omnino a natura determinatus: sed hæc ratio etiam currit in sensibili communi respectu sensus, ergo per se potest decipi circa illa. Quod confirmatur quia sensibile commune per se habet non emittere speciem propriam in sensum, sed speciem sensibilis proprii modificare, ergo cum modus sit minus perceptibilis, cum se habeat ex parte obiecti materialis, sequitur ex se magis subiacere fallaciæ, quàm sensibile proprium.

11 Contra 1. conclus. arg. 1. ex Auerroe, & aliquibus Discipulis Scoti. Sensus circa proprium sensibile potest falsum pro vero attingere scilicet colorem fictum pro vero in iride, & coloribus in collo columbæ apparentibus, ergo. Tum etiam Arist. docet, sensum non falli circa sensibile proprium, nisi raro, at circa sensibile commune frequenter falli, sed circa sensibile commune per se falli-

tur, ergo circa sensibile proprium per se potest falli licet raro §. Resp. quod visus quando attingit colores illos fictos, non nisi occasionaliter fallitur, quia reuera non attingit colores, sed lumen refractum, cum tamen phantasia indices esse coloris id quod videt sensus externus Ad Confi. ex dictis constat sensus Arist. quod scilicet sensus externus circa sensibile proprium fallitur non per se, sed peraccidens, & hoc occasionaliter, & peraccidens, at circa sensibile commune nedum raro, sed frequẽter, & per se fallitur.

12. Arg. 2. Si ex eo sensus nec per se nec peraccidens falleretur circa propriũ sensibile, quia sentit sicut illi repræsentat species, ergo nec falleretur circa sensibile commune, quia non aliter attingit ipsum, nisi vt repræsentat species sensibilis proprii modificata per sensibile commune; sed hoc est falsum, si quidem sensus per se fallitur circa sensibile commune, quia in specie non apparet sicut est in se v.g. cum Sol magnitudinis pedalis apparet cum sit immensæ quantitatis, ergo. Tum etiam sequeretur intellectum numquam falli posse, quia omnis cognitio fit mediante specie, & eius repræsentatione à, qua paritur notitia, & nihilominus fallitur intellectus, quia intellectio aeæquatur cum repræsentatione speciei, non tamen cum esse quod habet obiectum in se, & à parte rei, ergo vt sensus per se dicatur falli, circa proprium sensibile, non debet attendi ad repræsentationem, sed solum ad id, quod non habet sic esse in se obiectum sensibile, sicut species sensibilis repræsentat §. Resp. Quod sensus circa sensibilia propria non aptus est iudicare aliter *nisi inquantum similitudo rerum est in sensu*, vt ait D. Thom. p. p. q. 17. art. 2. in corp. Et ideo quamuis in re non sint ita sicut repræsentatur, quia ex medio, aut distantia, aut indispositione organi alio modo repræsentat species non ideo falso sentit sensus percipiendo tale sensibile, sicut appareret in repræsentatione, sicut, nec falso immutatur passum, quando actio agentis, aut ex indispositione medii, aut passi, aut ex in distãtia aliter causat quàm petit agens ex se causare: sed verê patitur ab illo agente, & illud respicit pro causa, vt patet cum monstra verê, & non fictê generantur, vnde si aliqua falsitas est, non se tenet ex parte passi, sed ex parte agentis particularis, qui aliter causat quam intendebat, & sic si aliqua falsitas contingit in nostro casu, hæc potius se tenet ex parte sensibilis proprii, quàm ex parte sensus, qui est potentia passiua, respectu sensibilis, & in tantum passum in quantum virtute proprii sensibilis recipit eius speciem, & repræsentationem. At respectu sensibilis communis non sic se habet sensus, quia non respicit illud, vt proprium agens, sed quatenus ex parte sensibilis materialiter se tenet

modificando speciem, non per modum modi formalis, sed materialis, & sic cum sensus per se discordare possit à modo materiali sensibilis per se potest falli circa illud. Ad Conf. Resp. Quod cum in intellectu, possit esse falsitas formalis sicut in cognoscente, & cõparante non solum intellectionem cum repræsentatione speciei, sed repræsentationem speciei impressæ, & expressæ cum esse, vel non esse obiecti à parte rei si existimat adæquari repræsentationem speciei cum esse rei fallitur, quia solum attendit ad esse, quod habet obiectũ in specie, & non adæquat illud, cum esse quod habet obiectum à parte rei, at in sensu, non est veritas, vel falsitas formalis tanquam in cognoscente verum, aut falsum, sed solum tanquam in eo quod recipit ab obiecto, & sentit sicut informatur ab illo, & ideo si sensatio non discordat à repræsentatione speciei proprii sensibilis sicut discordare non potest, vera est sensatio, etiam si non concordat repræsentatio cum obiecto secundum esse entitatiuum, quia cum illo vt sensibile est formaliter, id est, vt informat sensum.

13 Arg. 3. cont. 2. concluſ. Falsitas per accidens consistit in eo quod ratione indispositionis organi, aut medij, aut distantiæ aliter percipiatur obiectum à sensu, quàm sit in se, at nisi aliquo ex his principiis intercedente, non fallitur sententias circa sensibile commune, ergo non fallitur circa illud, per, sed solum per accidẽs: prob. min. nam si organum est integrum, medium depuratũ, & indistans obiectum semper est iudicium sensus de sensibili communi vt est in se. ℣. Resp. Quod cum omnis sensatio fiat per medium, & non sine medio fiat, quia sensibili posito supra sensum, non fit sensatio, etiam si sensus, eiusq; organũ sint integra, & medium depuratum, & distantia ponantur necessario requisita ad sensationem sensibilis proprij, quia tamen per medium fit semper aliquid deperditur de magnitudine, & alijs sensibilibus cõmunibus; si enim quis lapidem prendit manu cum inter sensum tactus, & lapidem mediet caro sẽper apparet maior aliquantulum, quàm si non mediaret, quia facile sensus iudicat, aut non discernit quanta sit magnitudo carnis, & lapidis, & sic aliquantulum falletur per se sensus circa illud sensibile ex natura sensationis, quæ fit per medium, & etiam quia visio fit per medium aliquantulũ apparet minus obiectum quàm si immediatẽ videretur, quia sicut ad magnam distantiam apparet minus obiectum, sic ad proportionem distantiæ minus apparet, & cum ea distantia alias sit necessario requisita, vt fiat per medium visio, (& pono eam vltra quàm nõ fieret visio) tunc fallacia sensus nõ oritur ex distantia tollente proportionẽ, sed ex natura sua petit eam distantiam, & tamen ea est cau-

causa aliquam falsitatis circa tale sensibile commune. Vnde cum dicimus per accidens causari falsitatem ratione distantiæ intelligitur de ea, quæ facit aliquã improportionem, non de ea, quæ per se est exacta, vt fiat per medium sensatio externa.

## QVÆSTIO XLII.

*Vtrùm dentur species intentionales, & an ad omnem cognitionem sint requisitæ, & quid sint?*

1 CVM omnis cognitio sensitiua fiat per assimilationem, non quidem materialem, sed intentionalem, vt latè probat Arist. contra priscos philosophos, & incognita natura speciei vix intelligi posset quomodo fiat cognitio tam sensitiua, quàm intellectiua, ideo hic libuit in communi agere de speciebus, tam sensitiuis, quàm intelligibilibus, ne sæpius eadem inculcanda, & replicanda sint, maximè cum parum dissideant quantum ad formale species sensibiles ab intelligibilibus, licet in modo, & entitate non parũ differant. Vnde aduerto quòd secundum Arist. lib. 2. de anima text. 2. forma rerum naturalium dicitur eius species, quia à forma determinatur materia ad certam speciem, & illa est principiũ, quo compositum vt iam in determinata specie collocatur, species; ergo intentionalis, seu impressa, seu quæ est principiũ omnis cognitionis, est forma rerum sine materia, recepta in potentia immaterialiter susceptiua talis formæ, non naturaliter, seu secundum esse naturale quod habet in rebus, sed secundum esse intentionale, & ideo ait Arist. 2. de anima tex. 112. *Species sensibiles esse formas sensibiles sine materia, receptibiles in sensu, sicut sigillum, seu figura sigilli recipitur in cera præcisèque ad formam sine materia auri, aut ferri, quam habet in sigillo*, & per consequẽs species intelligibilis, erit forma intelligibilis rerum sine materia receptibilis in intellectu. Ex quibus, iam constat, quid sit species impressa intentionalis, seu sensibilis, seu intelligibilis, scilicet *forma rerum sine materia, quæ intentionali, & immateriali modo recipitur in potentia cognoscitiua.*

2 Dari tamen huius modi species obiectorum in potentijs cognoscitiuis, vt requisitæ ad hoc vt cognitio fiat per assimilationem: docet Arist. lib. 2. de anima text. 121. vbi apertis verbis docet omnem sensum vniuersaliter diffiniri per hoc, quod *sensibiles sine materia formas recipere potest.* Et alibi passim sic etiam D. Tho. ad hæc loca, & 1. p. vbicunque agit de potentijs cognoscitiuis: sed specialiter qu. 78. artic. 3. Quibus suppositis, probandum est experientijs, & rationibus, huiusmodi species dari, & esse necessarias ad cognoscendũ, tã in sensibus externis, quam etiam internis, & etiam in intellectu. In primis, id ex-

experientia docet, nã in memoria remanent imagines rerum quas sensibus excepimus: at nõ manent ibi illæ imagines secundum esse naturale, quod habent res ad extra: ergo manent in esse intentionali, & repræsentatiuo: dantur, ergo species intentionales: cõtra quam experientiam quidquid dixeris ad libitum erit confictum; si enim non manssiset in memoria species, & similitudo rerum visarum, non posset in earum absentia apparere similitudo, & hæc ratio expenditur ab August. lib. 2. Confess. cap. 10. & 11. Constat etiam si ponatur nummus in fundo vasis, aqua pleni, ex certa distantia videbitur nummus in superficie vasis, qui tamen in se non videtur, quia in ea distantia non videtur fundum vasis, ergo ibi videtur species, & similitudo eius, ergo in aqua tanquam in medio datur species sensibilis tendens in oculum. Hoc idem in speculo apparet in quo videmus imaginem Petri existentis à tergo, etsi frangatur speculum in singulis particulis appareret imago. Et turris, & ædificia ad margines fluminum, & maris inuersa apparent, non alia ratione nisi, quia similitudines immittunt obiecta versus omnem partem, & ideo secundum quod distãt à basi repræsentando distantiam inuertuntur in aqua. Denique hanc eandem experientiam facile colliges ex Diodoro Siculo lib. 4. c. 4. narrante Calibiæ parte, quæ Syrtibus conjuncta est tranquillo aere, diuersas animantium formas, & spectra apparere, quæ paulum aspiciente oculo fugitant, sistant quiescente motu, modoque progredientibus obuiam occurrunt, modo leniter dilabuntur, quandoque insident viatoribus incidunt non raro in tellurem quorum nulla alia ratio reddi poterit, nisi, quia aere ibidem crassiore facta repræsentatione specierum. Sicut in aqua simulachra consistere eorum, quæ transiere animalium, & non in longa distantia consistunt; hoc ex Diodoro refert Petrus Gregorius lib. 33. syntaxis artis mirabilis cap. 12.

3 Sed iam rationibus agamus, & probemus in sensibus externis dari species, & requiri ad cognoscendum. In primis non tantum testimonio Arist. (quod quidem parui prendunt aduersarij) sed experientia ipsa, quæ nutrix est, & patens philosophiæ. Sensibile posito supra sensum non fit sensatio, sed impeditur potius, ergo sensatio externa mediante specie obiecti fit necessario. prob. conseq. Si non fieret mediante specie, & immutatione intentionali, sed physica actione sensus in sensibile, aut è contra, contactus iuuaret, & non impediret actionem, quia omnis actio physica contactum agentis ad passum exigit, & cum Arist. li. 1. degenerat, docet D. Thom. in 4. distinctio. qu. 1. art. 4. ergo quod hic distantia, & medium inter sensum, & sensibile arguit immutationem illam esse immaterialem, &

per

per formã à materia segregatam, & solum in esse repræsentatiuo mouente, & actuante sensum ad sensationem. Conf. 1. omnis cognitio fit per assimilationẽ, vt fert communis animi cõceptio, & antiqui Philosophi vnaniminter præscripserunt, vt sæpe testatur Arist. lib. 1. & 2. de anima, & D. Th. qu. 2. de verit. art. 2. & alibi, sed sensus externi non sunt similes phisice rebus sensatis, neque enim terram terra cognoscimus, neque ignem, igne, nec oculus humanus est equus phisice, quem videt, ergo necesse est quod in alio esse nempè intentionali, & repræsentatiuo mediantibus speciebus cõtineant sensus sensibilia, vt possint sentire; dãtur, ergo species, & necessariæ sunt in sensibus ad sensationẽ, quæ ratio innuitur ab Aristo. lib. 3. de anima illis verbis text. 38. in simili agendo de intellectu. Videetiam D. Tho. 1. p. qu. 78. art. 8. Ex hoc enim probatur etiam in sensibus internis, & in intellectu exigi species intentionales ad cognoscendum.

4 Sed specialiter in sensibus internis dari species arguit memoria, quæ abeuntibus sensibilibus manet, & in somnis in quibus absentibus sensibilibus videre nos videmur res ipsas per imagines internas, ergo interius in sensibus manent simulachra, & similitudines rerum externarum, at non habent esse phisicum, sicut imagines, cum autem in absentia, nec sint sensibilia, neque possint mouere sensum internum ad sui cognitionem: imo neque sensus externi possint ad hoc excitare quia in absentia non immutantur sensu externi, & in somno saltim quies sunt sensuum operatione, fit consequens sensationes internas, quæ in absentia sensibiliũ, & in somnis accidunt sine speciebus impressis fieri nequaquam posse.

5 Denique prop. intellectum indigere speciebus ad cognoscendum ait Arist. 3. de anima text. 3. 8. *atqui necesse est aut res ipsas aut formas in anima esse* (ad intellectum) *at non sunt in ea res ipsæ profecto. Non enim lapis ipse in anima, sed forma lapidis est.* Et prob. Tum, quia. Nisi cognitum sit in cognoscente cognitio non sit, ergo nisi in intellectu sint formæ rerum, seu species sine materia cognitio non fit: sed ad hoc non sufficit, quod sint in sensu phantasmata, quia hæc sunt sensibilia, & solum repræsentant res singulares, & accidentia sensibilia, cum tamen intellectus cognoscat substantiam, & quidditatem, & quidditatem, & vniuersalia, & alias phantasmata vt prob. Arist. se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum, sed præter obiecta requiritur species sensibilium in sensu, vt fiat sensatio, ergo aliter saluari non potest, quod cognitio intellectus fiat per assimilationem intellectus ad intelligibile, neque quod intellectus in actu sit intelligibile in actu, sicut sensus in actu est sensibile in actu, vt

fiat

fiat sensatio. Vnde illa mutatio phantasmatum nihil iuuat ad eua cuandam vim huius fundamenti, cum ex ea non sequatur, quod phantasma nõ sit obiectum in esse sensibili, aut quod informetur intellectus intrinsecè, per illud, & fiat intellectus potens intelligere.

6 Arg. 1. con. concl. Vt fiat cognitio sufficit determinari potentiam ad hoc obiectum prius, quàm ad illud per naturalem simpathiam tendat, sicut in cithara bene attemperata resonante vna chorda, altera sonum elicit, imo si sit duplex cithara, vna pulsata resonat altera. Ergo etiam posito obiecto ad extra per naturalem simpathiam resultabit sensatio in sensu. Præterea, vt potentia cognoscitiua, determinetur ad hoc obiectum specificũ potius, quàm ad illud, sufficit ordo essentialis ad illud, absque vlla assimilatione, ergo vt determinetur ad cognoscendum, hoc potius obiectum quàm illud etiam sufficit ordo determinatus ad tale obiectum resultans ex eius præsentia absque vlla assimilatione. Præterea vt resultet relatio realis in vno simili, aut dissimili ad alterum sufficit poni alterum simile apud Indos, & sic resultat hic relatio realis similitudinis, aut dissimilitudinis, ergo etiam posito obiecto ad extra resultabit sensatio in sensibus externis, & posito phantasmate in intellectu, resultare poterit cognitio obiecti §. Respond. tamen, quod fieri cognitionem assimilatione fixum principium est apud omnes, non enim aliud est principium ad distinguendas potentias cognoscitiuas à potentijs nõ cognoscitiuis, quod etiam sacra Scriptura indicat, dum ait: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Et de Prophetis cognoscentibus secreta Dei, & arcana diuinæ Sapientiæ dicitur. *In manibus Prophetarum assimilatus sum.* Quamobrem negatur antecedẽs. Nam simpathia licut non sufficit assimilare, ita, nec sufficit causare cognitionem, qua obiectum percipitur à potentia cognoscente, ergo, & si in exemplis addactis sufficiat ad motum physicum, non sufficit ad cognitionem. Ad 1. antec. Redditur disparitas, nam potentia cognoscitiua ex natura sua ordinatur ad obiectum per modum potentiæ, & ideo non exigit habere ipsum, aut eius similitudinem, vt fiat specificata, at cum ex se non sit determinata ad hoc obiectum potius quàm ad illud, necesse est quod determinetur ab ipso obiecto determinato, nec sufficit ordo, imo ad determinatum obiectum non potest dari ordo, nisi potentia fiat in actu similis determinato obiecto, & sic determinate potens ad illud cognoscendum. Ad vlt. Resp. Quod relatio similitudinis maximè iuuat nostro proposito, requirit enim similitudinem, vt resultet, & in hoc genere assimilationis est cognitio, & ideo sine similitudine non datur

ordo,

ordo, at hæc non potest poni in potentia sine specie, vt probatum est, ergo nec cognitio potest fieri sine specie impressa. Sed tamen dispar est ratio, nam relatio ex fundamento dependenter a coexistentia termini habet naturalem determinationem, vt resulter, at potentia cognoscitiua eam non habet quatenus mouetur à sensibili, nō mouetur autem nisi per radiū, & motio non est physica, & materialis, quia hæc impedit cognitionem, ergo intentionalis requiritur per speciem obiecti.

7 Arg. 2. Si species darentur in sensibus illæ essent corporeæ, & diuisibiles, cum deberent poni in sensu corporeo, extenso, & diuisibili tamquam in subiecto, hac enim ratione probat Arist. 3. de anima. text. 122. Sensus externos esse diuisibiles, quia sunt in organo diuisibili, tamquam in subiecto: at incredibile videtur, quod in pupilla, & in qualibet eius parte sit species extensa, & quæ possit nobis totum ambitum Solis, Cœli, & Stellarum, repræsentare, ergo incredibile est in sensu externo dari species §. Resp. Instari in speculo in minutissimas partes confracto, quod hæc eadem repræsentat in qualibet parte. Quia licet species illæ sint diuisibiles in essendo, sunt indiuisibiles in repræsentando, sicut, & sensus in cognoscendo, ideoque in qualibet particula sēsus, est vis integra cognoscitiua, & in qualibet particula speciei totum obiectum, quā tumuis extensum cōtinetur repræsentatiuè, de quo Bann. loco cit. ad. 2.

8 Arg. 3. Ad probandum idem. Scilicet, in sensibus externis non dari species, nam lux diffusa per medium ab obiecto vsque ad visum per se est visibilis, & ratio videndi colorata, vt docet D. Thom. qu. 8. de ver. art. 3. ad 17. & 1. p. qu. 56. art. 3. at quod per se est visibile, & ratio videndi cætera nō potest indigere alio vt videatur, ergo non requiruntur species, sed sufficit lumen. Conf. 1. Etiam odor se ipso est proportionatus, vt absque specie sentiatur ab olfactu, ergo non debet poni species ad olfactionem, prob. antec. Odor sentitur in cubiculo lōgo tempore etiam postquam flores, aut aliud odoriferum extracta sint à cubiculo, at species sensibiles non durant in absentia sensibilis, ergo illa odoratio non fit per species. Tum quia odorans non discernit vbi sit obiectum sensibile, ergo obiectum sensibile, per odoratum non per especies, sed per se ipsum sentitur ab odorante. Conf. 2. Gustus, & tactus non sentiuntur nisi applicentur sensui per se ipsa, ergo non indigēt specie vt sentiantur. Dicere autem quod crasso modo applicantur ad sensuū tangibile, & gustabile, & ideo necessariæ sunt species falsum videtur, quia isti sensus, & eorum sensibilia crassa sunt, ergo nō requirunt aliā subtilitatē, quā applicationē obiecti. Tū etiā spe

cies est vicaria obiecti in eius absentia, ergo quando obiectum se ipso vnitur, non requiritur species prob. conseq. nam hac ratione dicunt Thomistæ substantiam Angeli sine specie superaddita intelligi ab Angelo, quia se ipsa est præsens, & intime vnita eius intellectui, ergo sensibilia tactus, & gustus seipsis vniuntur sensibus, & non indigent specie.

9 Resp. illud argumentum esse fundamentum sententiæ Thomæ Campanellæ illius infausti ingenii, qui velut abortiuum à Thomistis ipsis merito proscribitur, & diris semper insequitur impropertiis, quia in hoc natus, vt certissima quæque in dubium, & quæstionem vocaret. Dico igitur lumen non indigere specie diuersa à colorato, sed eadem specie colorati inspici, quia ratio sub qua, & quæ non petunt diuersas species, Lux autem in seipsa nisi sit terminata non est visibilis, vt quod, & ideo numquam videtur per speciem propriam, licet sine illa non videatur, & hanc esse mentem D. Th. constat ex pluribus suæ Doctrinæ locis; si autem esse intentionale quod habet lux seipso sine specie esset visibile, lux quæ est in ipso oculo seipsa videretur ab oculo, quia sensibile intentionaliter positum supra sensum nõ impedit sensationem, ergo esse intentionale lucis, non eô sic dicitur, quia sit species, qua ipsa videtur, & etiam videantur colorata lucida, sed quia diffunditur absque alteratione corruptiua, & perficit alterando, & sic assimilatur esse intentionali specierum §. Ad 1. conf. neg. aut. ad probat. Resp. quod ex corpore odorifero diffunditur odor in aerem cubiculi, qui manet in facto esse etiam absente causa sicut alii effectus, v.gr. calor igne educto à cubiculo manet, & ille odor manens, est qui sentitur quatenus immittendo species immutat olfactum, quod autem non discernamus olfacta, vnde primo egreditur odor parum ad rem conducit sufficit enim ad hoc, quod solum odor propinquior rarius moueat sensum media specie, & hoc ideo, quia olfactus ob suam materialitatem multum accedit ad naturam tactus, & gustus, & ideo sicut in tactu, & gustu non discernitur prima causa gustabilis, & tangibilis, sed solum, quæ sunt: iuxta, ita fit in odoratu, §. Ad 2. conf. neg. quod gustus, & tactus sentiãt per immediatam applicationem sensibilis, nam sensibile positum supra sensum impetit sensationem, vt supra ostensum est, & ideo fit sensatio in illis sensibus quatenus applicantur sensibilia, non quidem sensui, sed carni, quæ est est medium intrinsecum, & per hoc medium immittitur species, & sic fit sensatio; ad prob. facile ex his resp. vel non esse hæc sensibilia tactus, & gustus seipsis præsentia, & vnita sensibus, sed per medium internum carnis, & ideo indigere specie, vt sentiantur, cum tamen substantia Angeli se

seipsa sit præsens, & vnita intellectui: eius absque medio, & ideo sine specie intelligi potest, vel non esse eandem rationem, quia substantia Angeli est omnino immaterialis, & ideo non reget specie, at hæc sensibilia esse omnino materialia, ideoque specie indigere vt fiat sensatio, quæ quidem non est actio omnino materialis, alioqui immutaret physice, & per physicam transmutationem sensibile, quod actu sentitur per illam, sed est actio aliquãto elevatior supra materiam, & supra modum agendi agentium naturalium, & viuentium vita vegetatiua, si enim hoc ita non est, cur ligna recipientia calorem, & allas qualitates tangibiles non tangunt, & sentiunt eas? quæ est ratio Arist. & D. Th. in hoc. 2. lib. sæpius repetita.

10 Arg. 4. ad probandum in sensibus externis non dari species ad percipiendas sensationes sensuum internorum, neque ad ipsa obiecta sensibilia, sic sensatio externa etiam si fiat in pede est intime præsens toti animæ indiuisibili, & eius potentiæ sensitiuæ, etiam si esset diuisibilis anima, quia vna pars est connexa cum altera, ergo, vt sensus internus percipiat sensationem externam, non requiritur species aliqua. Pro. 2. vero parte prob. si in sensibus internis essent species ad cognoscendum sensibilia absentia semper sensus esset actu cognoscens, quia semper esset species, sicut quandiu est species in sensu externo tãdiu est sensatio, & notitia in actu, sed non semper sentimus absentia sensu, ergo non est ibi species. Resp. quod præsentia, quam habent sensationes eternæ ad animam, & ad sensus internos est solum physica, & materialis, ideoque vt fiat sensatio, quæ est actio elevata supra materiam, requiritur species talium sensationum, vt sint principium sensationis, qua interne percipiãtur. Ad 2. quod species licet actu repræsentet obiectum quantum ad hoc quod est ipsi assimilari, non tamen semper actu repræsentat potentiæ, quia ad hoc requiritur excitatio, & applicatio, & ideo quamuis in memoria deficiant species sensibilium, non tamen semper est eorum memoria, quia non semper fit excitatio ad vsum talis speciei, quomodo autem fiat per instinctum in brutis, & per discursum in homine suo loco dicemus, interim videndus est D. Th. 1. p. q. 79. art. 6 ad 3.

11 Arg. 5. ad probandum in intellectu non dari species ad cognoscendum. In potentiis per se subordinatis per actum vnius potentiæ proposito obiecto absente mouetur alia absque eo quod illud habeat in se, ideoque cognoscente intellectu bonum, & proponente illud appetitui, ipse appetitus mouetur, & appetit bonum absque eo quod illud contineat in se per modum principii; sed phantasia est per se subordinata intellectui, eique ministrans, ergo per hoc solum quod

applicet phantasmata intellectui, ipse, intellectus cognoscet ea, absque eo quod exigatur ipsum obiectum media specie poni in intellectu tamquam comprincipium intellectionis §. Conf. Intellectus noster absque eo quod habeat proprias species, Dei, Angelorum, & negationum, aut entium rationis ea cognoscit per similitudinem ad res sensibiles: sed etiam res corporeas cognoscit intellectus admodum phantasmatis, seu dependenter ab illo, ergo sine alia propria specie intelligibilium quidditatum materialium potest intelligere §. Resp. neg. ant. in potentiis cognoscitiuis, quæ non operantur nisi trahendo obiectum ad se, nec est idem de appetitiuis in quibus sufficit proponi obiectum ab alia potentia, quia operantur tendendo ad obiectum extra se, & motæ metaphorice ab obiecto §. Ad Conf. Resp. quod intellectus non cognoscit suum obiectum directum per phantasmata, neque admodum eorũ, sed potius abstrahendo ab illis, & conuertendo se ad ea tamquam ad terminum à quo, ideoque præter phantasmata eget speciebus, at priuationes, & res spirituales non cognoscit in se; sed ad similitudinem rerum corporalium, & per consequens per rerum corporalium species.

## QVÆSTIO XLIII.

*Quid sit causa effectiua specierum tam sensibilium, quam intelligibilium?*

1 QVod neque sensus, neque intellectus humanus habeant species rerum cognoscibilium congenitas à natura eleganter probat D. Th. 1. p. q. 54. art. 3. & in context. ex Arist. 2. de anim. text. 14. Tum quia intellectus est tamquam tabula rasa in qua nihil est depictum, & quia indiget sensibilibus ad cognoscendum, & ad hoc vnitur corpori, & sensus ipsi præsentia obiectorum vt cognoscant, non enim videmus quod præsens non est, ergo non habent istæ potentiæ species congenitas, nam si haberent possent cognoscere, sicut actu leue potest moueri sursum, nisi aliquid impediat motum violenter, at præsentia obiectorum non tollit impedimẽtum sensui, vt sentiat, nec sensationes sensuum impedimentum intelligendi, ergo si intellectus haberet species congenitas, sicut eas habet Angelus, & idem esset de sensu, independenter à sensu, & à præsentia obiecti possent intellectus, & sensus cognoscere.

2 Supponendum etiam est contra Platonem, & Auicennam, quod huiusmodi species non causantur ab ideis per se subsistentibus rerũ materialiũ, neque

ab

ab intelligentijs, vel Angelis, ita vt conuertente se anima ad intelligentias concipiat species ad cognoscendum. Tum, quia si hoc esset verum, frustra anima nostra vniretur corpori ad cognoscendum: cum sensus potius impediat huiusmodi conuersionem, vel si sensus excitant hoc non esset necessarium cum ex naturali inclinatione animæ, quærentis, & appetentis, huiusmodi perfectionem possit esse ea conuersio, vel saltem audiente cæco, quod dantur colores, & appetendo eos cognoscere, & iudicare, posset conuerti ad idæas, & ad intelligentias, & sic cæci possent accipere species, & iudicare de coloribus, quæ omnia habet D. Thom. q. citata. art. 4. in contextibus.

3 Dicendum est. Species sensum externorum effectiuè causantur à sensibilibus obiectis ad extra, non virtute propria, vt sunt talis naturæ, sed quatenus participant virtutem intelligentiæ mouentis cælos: Prob. 1. pars ex Arist. lib. 2. de anim. text. 60. *Ea, quæ actu sensum efficiunt extra sunt ipsum inquam sensibile, & audibile, & sensibilium cætera*, & tex. 121. *patitur, & sensus vnus cuiusque sensibilis modo ab eo quod colorem, aut sonum, aut saporem; sed non vt vnum quodque illorum dicitur, sed est tale, & ratione*; pati autem, & agere sunt correlatiua, ergo si sensus patitur ab obiecto sensibili, obiectum sensibile agit in sensum, sed non actione corporali, & naturali, ità vt talem faciat sensum, quale dicitur sensibile, id est calidum, aut coloratum; sed solum vt faciat tale, quale ipsum est ratione, id est forma sine materia, vt subtiliter ibi exponit Caiet. c. 6. ergo imprimendo effectiuè speciem agit sensibile externum in sensum externum. Et huius ratio est, quia cognitio fit per assimilationem, quæ causatur à specie, sed hæc non causatur in sensu ab idæis, aut ab Angelo mouente cœlum immediatè, nec à sensu agente, vt supra ostendi, ergo solum potest causari ab obiecto, nã causare similitudinem sui in alio eius est, qui in se habet formam propriam, ideôque in genito, non est quærere aliam causam, ob quã fit similis Patri, quam actio Patris, in quo est forma tamquam in principio.

4 Sed quia species nihil aliud est in sensibus, quam forma rerum sensibilium sine materia, vt dixi supra ex Aristot. hoc lib. 2. text. 121. & sensibilia habent esse omnino materiale, non possunt effectiuè causare speciem sui in sensibus externis, nisi ex participatione intelligentiæ mouentis cœlo, ad quam spectat virtutem communicari sublunaribus, vt consequantur suas operationes, & si hoc tantum intendebat Auicenna refutatus num. 2. bene dicebat, sed non in hoc sensu loquebatur, sed volebat, sine sensibilibus immediatè causari species in sensu, & intellectu, & ideò impugnatur à D. T. q.

3. de potentia art. 8. a Caiet. lib. 2. de anima cap. 12. Ioann. à S. Th. q. 6. ad 4. difficult. An autem hæc virtus transeunter communicetur à Cœlo media luce, an permanenter, anceps est, & vtrumque probabile, sed verosimilius est quod docet Bann. 1. p. q. 78. art. 3. dub. 3. concl. 3, permanenter communicari hanc virtutem sensibilibus obiectis, quia eorum natura, vt sunt partes vniuersi, hoc exigit. *Vt sunt per se sensibilia* (quod, & ait Aris. hic c. 5.) ac perinde non solum instrumentaliter causant species.

5 Dicendū. 2. Species sensatę sēsuū interiorum effectiuē causantur ab obiectis sensibilibus, sed mediate, at species insensatæ causantur ab ipsis sensibus internis. Prima pars est D. Th. quodlib. 8. art. 3. & 4. cont. gent. cap. 11. ibi *Sensibile externum formam suam exterioribus sensibus ingerit: à quibus procedit in imaginationem, & vlterius in memoria Thesaurum.* Et ratio est, quia cum eiusmodi species non sint diuersi generis à sensibili, si quidem sunt singulares, & materiales, in repræsentando etiam interioribus sensibus, optime possunt causare sensibilia eiusmodi species etiam in sensibus internis, quamuis sub diuersa, & magis superiori ratione repræsentēt illis sensibus, quàm repræsentēt sensibus externis. Tū etiā sensus omnes, tā interni, quàm externi, sunt potētiæ passiuæ respectu sēsibilis, & nō sūt actiuæ, nec dantur sensus agens specierum, ergo species illæ non possunt haberi à sensu principium agens, quàm sensibile ipsum. Vide D. T. q. de spirit. creat. art. 10. ad 17. & q. de anima. art. 4. ad 3.

6 Sed tamen non est intelligēdum, quod sensibile immediate causet eas species in sensu interno, sed licet non causat eas immediate in sensu externo, in medio, & postea in sensu; sicut lapis missus in stagnum causat vnum circulum in aqua, & mediante illo alios circa ripā (quæ est similitudo adducta ab Aris.) sic obiectum sensibile mediante vna specie in medio recepta causat aliam in parte proximiori, & secundum quod immutat sensum externum formatur species proportionata sensui interno, & defertur ad illum mediāte sensatione sensus externi mouente internum, sic enim intelligo ea verba D. Th. 2. cont. gent. c. 76. in fine, *Sensus autem motus à sensibili exteriori imprimit in phātasiam.*

7 Secunda autem pars prob. Tum ex D. Th. opusc. 43. c. 4. *Quod æstimatiua est virtus apprædens de sentato sicut ouis inimicitias Lupi*, Ergo a sensato, & non ab obiecto ad extra sensibile apprædit æstimatiua species insensatas; quatenus sicut ex speciebus montis, & auri elicit tertiam speciem montis aurei, & ratio est quia si species illæ imprimerentur in sensu æstimatiuę ab obiecto sēsibili, non esset cur dicerentur species

cies insensatæ: sicut nec species, quæ sunt in aliis sensibus internis dicuntur sic: etiam si mediate causentur ab obiecto ad extra, & cum maiori amplitudine, & vnitate; quàm illæ, quæ sunt in sensu externo: ergo eo dicuntur insensatæ, quia non causantur ab obiecto etiã mediate, sed à phantasia, aut æstimatiua; quatẽus per idola reddit sensata obiecta, elicit tertiam speciem inimiciæ, aut conuenientiæ, cum quadam collatione, nec inde sequitur, quod detur in æstimatiua, aut phãtasia sensus agens, quia sensus agens non datur ad eliciendas species tertias ex obiectis iam cognitis, sed ad eliciẽdas primas species obiectorum, vt cognoscibilium, & ad hoc quod primo cognoscantur.

8 Dicendum 3. quod species, quæ ponuntur in intellectu possibili ad intelligendum non causantur effectiuè principaliter à phantasmatibus, neque ab obiectis sensibilibus, sed ab intellectu agente ad hoc instituto à natura. Hæc conclusio constabit ex dicendis lib. 3. de Anim. cum probauero necessario esse in nobis admittendum intellectum agentem; ratio autem ob quam, neque obiecta sensibilia, neque phantasmata possunt causare principaliter species intelligibiles, est, quia tales species sunt in genere superiori, nempe omnino immateriali, ergo ab obiectis materialibus, neque à materiali phantasmate possunt causari, quia res superioris generis ab his, quæ sunt in genere inferiori non causantur. Vide D. Th. 1. p. q. 84. art. 6.

9 Cont. 1. conclus. Arg. 1. Quod à longe videtur non potest intelligi vnde habeat tãtam vim, vt possit multiplicare effectiuè species vsque ad oculos: nam obiectum minoris virtutis est in ratione sensibilis, quàm in ratione agẽtis naturalis, sed si esset illud obiectum ipse ignis, qui est actiuissimus, non posset ad tantam distantiam diffundere calorẽ, ergo multo minus poterit causare species in duplo, aut triplo maiori distantia, quàm possit calefacere §. Resp. quod multo minor virtus necessaria est ad causãdas species, quàm ad agendum actione naturali, ratio est, quia actio agentis naturalis, & ignis fit cum resistentia passi, & cum obiectione contrarii, at immutatio causatiua specierum cum sit intentionalis sine actione, & reactione fit, & sine resistentia passi, ideoque potest multo magis diffundi, vt patet in lucerna accensa, quæ ad minimam distantiam calefacit, & tamen ad magnam distantiam illuminat, quæ illuminatio est actio quasi intentionalis, & sine contrario, idem, ergo erit de immissione specierum, quia alteratio corruptiua, & cum contrario ex illo ipso debilitatur.

10 Arg. 2. cont. 2. partem concl. Obiecta sensibilia nullo modo causant species sensibiles virtute Cœli, aut intelligentiæ mo-

motricis, ergo cum alias ex se non possint eas causare, sequitur nullo modo esse causam talium specierum prob.an. intelligentia motrix non influit in inferiora, nisi mediante motu Cæli, at cessante motu Cœli: in primis damnati sensibus externis sentient pœnas in visu, & tactu ignis, & odore fœtido, & beati mutuo se videbũt, & Christi humanitatem, & modo B. Virgo Maria super Empyreum, quod est immobile videt humanitatem Christi, audit eius vocem, & tangere potest ipsum, ergo species sensibiles non causantur ab obiectis dependenter ab intelligentia mouente primum mobile, ergo vel dicendum, quod sensibilia non causant effectuè species, vel si causant virtute propria, & non virtute Cœli, aut virtutis motricis eas causant §. Ref. tamen ex D. Th. 3. p. q. 86. art. 3. & in 4 dist. 44. q. 2. artic. 4. quod in illis casibus sensus externi Beatorum, & damnatorum immutabuntur per species immissas ab obiectis sensibilibus, & nõ poterunt alterari, alteratione physica, & corruptiua, quia cessante motu Cœli, quod est primum alterans non poterit esse alteratio physica in aliis corporibus, & hac ratione corpora damnatorum, nõ corrumpuntur ab igne torquente: sed tamen poterunt agere illa, obiecta actione intentionali impressiua specierum, & sic damnatorum sensus torquebuntur ab igne, a spectris fœdissimis, & à fœtore intolerabili, quia sensus lædituŕ à vehementi sensibili inquantum est improportionatum, aut modo improportionato immutat sensum vt dictum est supra. Et ex quibus sequitur, quod etsi obiecta sensibilia non causent species quatenus recipiunt virtutem à Cœlo, transeunter per motum, tamen virtute intransitiua eorum causant species, quatenus vt partes vniuersi, communicant cum illis sine motu, & virtute Cœli, sicut omnia calida dicuntur virtute ignis, seu quatenus participãt de ius natura, calefacere, & animalia quædam habere aliqualem prudentiam, quia quoad hoc aliquid participant de homine, & ideo etiam cessante motu Cæli possunt obiecta immutare sensus externos, & causare species, non inquantum habent suam naturam physicam particularem, sed quatenus vt partes vniuersi communicant cum intelligentia motrice in virtute, quatenus gubernat totum Vniuersum.

11 Argum. 3. con. 2. concluſ. Quamuis sensibilia interna sint materialia, & singularia, tamẽ habent modum superiorem ad eum quem habet obiecta externa, ergo non possunt species illæ internæ causari ab obiecto ad extra. Confirm. ideo non possunt causare species insensatas, quia modus ille excedit esse rerum sẽsibilium, ergo similiter, §. Respon. tamen, quod etsi excedant illæ species modum in essendo, non tamen in cau-

causando, quia obiecta externa habent illam virtutē, non vt sunt talis naturæ; sed vt sunt partes vniuersi communicantes suo modo cum virtute motrice Cœli: quod si non causant species insensatas, ideo est, quia illa ratio insensata ex natura sua petit oriri ex quadam collatione vnius ad alterum nempe inimicitia onis ad Lupum, ideoque supposita quadam compositione imperfecta æstimatiuæ elicitur ea species directa repræsentans eam rationem insensatam, nam quod species rerum sensibilium inderecte repræsentet rationem insensatam, quatenus diuersimode applicatur potentia æstimatiuæ non negamus.

22 Arg. 4. cont. 3, concluſ. ex Durand. in 2. distinct. 5. q. 5. & Ocham. ibi q. 25. & aliis recētioribus ad probandum species intellectuales a Deo auctore naturæ causari in intellectu, & non ab obiecto, vel ab intellectu agente. Nam quoties agens, naturale, aut eius semen deest ad auctorem naturæ attinet producere naturas phisicas, ergo idem erit in productione specierum ineſſe intentionali; sed obiectum, nec se ipso potest generare notitiam, nec immittere speciem intellectiuam, quæ possit esse semen obiecti materialis, ergo ad Deum spectat concurrere ad notitiam nostri intellectus immittendo species sicut facit in Angelis, 5. Respond. Quod ad auctorem naturæ attinet supplere defectum naturæ, quando per accidens contingit; sed nō attinet ad eum facere per se naturas defectuosas; sed integras, & cum debitis instrumentis ad operandū actiones debitas suæ naturæ: cum autem homo sit intellectiuus, ad Deum attinet præbere illi potentiam sensitiuam, & intellectū agētem quibus possit ex sensibilibus, acquirere species cognoscitiuas, & solum per accidens, & raro eas Deus se solo infundit, vt contingit in Adamo (si fortè illi nedum scientias, sed etiam species infundit) nec est idem de Angelo de cuius ratione est ab initio esse perfectum, & creatum cum omni perfectione sibi debita, & tota quantitate virtutis, sibi debita non acquirendo per proprium actum sicut nec Cœli per motum augmenti acquirunt suam quantitatem, at homo natus est, vt per motum acquirat suam perfectionem, & per proprium actum, ac per inde non solum a Deo perfici: sed habere potentiam augmentatiuam, qua augeatur in corpore, & intellectū agentem quo perficiatur in mente acquirendo species.

## QVAESTIO XLIV.

*Quid sit causa materialis ex qua educuntur species?*

¶ 1 IN speciebus intentionalibus duplex esse consideradum est aliud phisicum, & entitatiuum, quo atento accidentia sunt aliud vero intentionale, &

& repræsentatiuum, secundum quod sunt similitudines obiectorum, seu eorum esse formale, sine materia, sicut in statua lapidea, aliud est physicum, & sic est lapis, aliud esse repræsentatiuum, vt est imago Cæsaris, & sic repræsentatiuè est homo, & sub hoc esse species, quæ entitatiuè est accidens, potest esse repræsentatiua, & intentionaliter homo, immo ipsa hominis quidditas, & substantia in esse intentionali. Neq; hæc distinctio duplicis esse, repertũ in specie sub diuersa consideratione pro libito conficta est, vt causatur Suar. lib. 2. de attrib. cap. 12. & tom. 1. in 3. p. disp. 24. sect. 2. concl. 3. imò desumitur, ex ipsius philosophiæ medullis, & naturis rerum, ex Arist. lib. 3. de anim. text. 38. & lib de mem. cap. 1. & ex alijs locis, & ex 1. p. communiter à Thomistis. Nec negamus illud esse intentionale, & repræsentatiuum in speciebus esse quid reale, & non fictum: sed dicimus esse reale, & intentionale, & sic cõtingere in speciebus per quod euanescit omnino fundamentum Suar.

2 Dicendum est igitur. Species intentionales, non inhærent subiectis in quibus sunt secundum esse intentionale formaliter, sed inhærere, & educi competit illis secundum esse entitatiuum, estq; denominatio consequens esse entitatiuum. Prob. Prædicatũ inhæsionis est proprium entis accidentalis, eductio autem est terminus physicæ, & realis alterationis, & transmutationis, quæ tendit tamquam ad terminum ad esse entitatiuum, & physicum, quia actio, motus, trãsmutatio, & passio sunt in eadem linea, ergo si esse intentionale speciei, abstrahit ab esse accidentali, & substantiali, & præscindit à linea entis physici, non cõpetit speciei, vt est repræsentatiua educi, aut inhærere subiecto in quo est; sed solum quatenus esse habet entitatiuum, & accidentale, & per consequens tales species inde educuntur vbi inhærent, & sic species sensibiles a sensu intelligibiles ab intellectu educuntur, & ibi etiam repræsentant, quia vtrumque esse idẽtificatur. Quod etiam constat, quia species secundum esse repræsentatiuum (vt docet hic Arist. text. 121.) est forma obiecti, sine materia, aut conditionibus formæ materialis, sed educi per transmutationem, inhærere, & fieri per trãsmutationem, sunt conditiones formæ, vt in materia, ergo non competunt speciebus, vt sunt repræsentatiuæ. Denique species intelligibilis repræsentatiuè est ipsa quidditas substantialis rei, ergo, vt sic non potest educi ab intellectu in quo est talis species, sed nec aliũde, cum quidditas completa sit indiuisibilis, ergo.

3 Aduertendum tamen, quod species intellectiuæ sunt in intellectu tamquam in subiecto, quia est potentia per se operatiua, & non coniuncta organo. At species sensibiles sunt in coniuncto ex or-

ga-

gano, & sensu, quia licet ratione distinguatur sensus ab organo, vt insinuat Arist. hic text. 122. tamē sensus sunt potentiæ affixæ organo, nec operantur ipsi sensus per se: sed coniunctum ex sensu, & organo: at quod est subiectum operans habet principia operatiua, ergo coniunctum illud est subiectum specierum quibus sensus cognoscit.

4 Contra nostram concl. obiect. Non educitur de potentia subiecti, nisi quod fit per veram transmutationem de contrario in contrarium, & in tempore, & cum abiectione formæ: at species intentionales adhuc in esse entitatiuo in instanti producuntur in potentijs, & sine abiectione alterius formæ, nam species albi, & nigri cōpatiuntur in eodem sensu, ergo nō educuntur, §. Resp. quod etsi, accidens non fiat per motum, neque cum abiectione contrarij, secundum Caiet. & Diu. Thom. quatenus fit, & habet esse dependenter à materia, seu à subiecto in quo est potest educi. Vel dato, quod ea eductio non sit stricta, tamen vt a nobis accipitur negari nō potest: nam species non est forma subsistens: nec excedit potentialitatem subiecti, & actio qua fit pendet a subiecto, & ideo verē educitur, quia nec crearetur, nec potest existere separata a subiecto alitē naturaliter de quo vide Rub. hic cap. 5. & tract. de obiectis, & speciebus, cap. 7. num. 71.

5 Quod si instes, esse repræsentatiuum fundari in esse entitatiuo, ergo si species educitur à subiecto in quo est in esse entitatiuo, etiam educitur in esse intentionali, sicut relatio, quę si fit ad aliud nempè ad terminum, sicut species est ad obiectum in esse repræsentatiuo tamen relatio, vt relatio educitur à subiecto in quo est saltem ex consequenti, §. Resp. pond. in primis relationem habere conceptum *in*, & *ad*, secundum primum educitur, non secundum esse *ad*, & sic potius exemplū pro nobis est, quare autem relatio secundum conceptum *ad* non educatur facilè probari potest, quia sic non explicat entitatem; sed dato antec. nego conseq. quia species in esse repræsentatiuo, est in linea obiecti, & idem cum illo formaliter, vt ex Arist. lib. 3. de anima, text. 5. & ex Diu. Thom. ibi & 2. cont. gent. cap. 63. circa finē constat, & ideo sicut obiectum non potest educi, à sensu, aut intellectu, sic nec species, vt est, repræsentatiua: at relatio non est terminus ad quem est, sed illi opponitur, & ideo consequitur conceptus, *ad* conceptum *in*, & per consequens educitur à subiecto in quo est etiam secundum conceptum *ad*.

## QVAESTIO XLV.

*An ſpecies ſint indiuiſibiles, vel diuiſibiles, tàm ſecundum eſſe entitatiuum, quàm repræſentatiuum, & intentionale?*

1 PRo certo ſtatuendum eſt ſpecies intelligibiles, tã in eſſendo, quàm in repræſentando eſſe indiuiſibiles, tam in ordine ad ſubiectum, quàm ad obiectum, quia entitatiuè ſpirituales ſunt, & ſunt in intellectu, quia etiam eſt entitatiuè ſpiritualis, & repræſentant indiuiſibilem quidditatem primo, & per ſe, an autẽ admittant latitudinem intenſiuã, aut extenſiuam in repræſentando, dicendum ſicut de intenſione, & extenſione habituum intellectualium, cum hoc tamen, quod cum ſpecies ſint naturales, & adæquatæ rerum ſimilitudines quolibet variato variatur repræſentatio intrinſeca: & ideo poteſt vti ſpecie ipſa potẽtia perfectius, aut imperfectius, & in illa magis, aut minus penetrare de obiecto, quæ omnino extrinſeca ſunt repræſentationi, at ipſa ſpecies quantum ad intrinſeca invariabilis eſt, & quælibet mutatio variat ſaltem numericè ſpeciem de ſenſibili, ergo ſpecie procedit quæſtio.

2 Dicendum igitur. Species ſenſibiles licet ſint extenſæ, & diuiſibiles in eſſendo, quia corporeæ ſunt, & in ſubiecto corporeo ſecundum tamen eſſe repræſentatiuum indiuiſibiles ſunt, & tota repræſentatio totius obiecti eſt in tota ſpecie, & tota in qualibet eius parte. Sic Soncinas 7. metaph. q. 9. Bann. 1. p. q. 78. art. 3. dub. 3. concl. 3. Ioann. à S. Tho. Ratio eſt, quia eſſe intentionale, & repræſentatiuum, ſecundum quod obiectum eſt in ſpecie eſt eſſe immateriale, & ſpirituale quodammodo, vt cum Ariſt. hic tex. 121. docet D. Thom. & de ſen. & ſenſa. lect. 19. Ergo obiectum in ſpecie non habet eſſe diuiſibiliter, & ad modum rerum materialiũ, ſed indiuiſibiliter, & ad modum rerum ſpiritualium, alioqui: non eſſet ibi forma, ſine materia. Sed eſſe repræſentatiuum ſpecie nihil aliud eſt, quam continentia obiecti materialis, & ſenſibilis in alio eſſe, id eſt immateriali: ergo ſpecies, ſecundum quod repræſentatiua indiuiſibilis eſt. Conf. 1. Eſſe diuiſibile, ex duplici capite oritur, ex materialitate corporea, & quia accidens eſt inhæreus ſubiecto diuiſibili. Sed ſpecies, vt repræſentatiua non inhæret ſenſui, aut organo, nec illud eſſe eſt materiale, ſed immateriale, & intentionale, ergo, non eſt vnde ibi diuiſibilitas immiſceatur. Præterea ſi obiectum diuiſibiliter continetur in ſpecie, quia diuiſibiliter cauſatur a ſenſibili, & pars à parte: ergo non poterit contineri, aut repræſentari magnitudo Cœli, & Stellarum in ſpecie, quæ eſt in minima parte pupillæ, quod ſi ibi cõtinetur totum Cœlum repræſenta-

tatiuè non habet magnitudinem, & extensionem Cęli considerati secundum esse physicum, neque sic adæquatur illi repræsentatio speciei, ergo in alio esse superiori continet species obiectum: ergo indiuisibiliter, quia immaterialiter.

3 Arg. 1. con. concl. Addito, vel detracto aliquo ex parte obiecti, si perseuerat species illud repræsentat de nouo, quod additur vel cessat repræsentare, quod detrahitur: ergo, quia diuisibiliter repræsentat species, alias nihil posset addi, vel detrahi repræsentationis, si esset indiuisibilis. Tũ etiam si indiuisibiliter repræsentat species omne obiectum, & omnes eius partes, ergo æquè clarè omnes, sed hoc ad sensum est falsum, nam quasdam partes clarius sæpè repræsentat, ergo habet intentionẽ in repræsentãdo, quoad vnam partem, & quoad aliam non ergo diuisibilis est in repræsentando, ℣. Respond. instando in specie Angeli, quæ absque dubio indiuisibilis est in essendo, & in repræsentando, & tamen eadem dici poterũt de illa, quæ modo obijciuntur: etiam dici potest, quod species illa est diuisibilis ex parte rei repræsentatæ, non ex modo repræsentandi, sicut anima rationalis diuisibile subiectum informat indiuisibiliter, & tamen si abscindatur brachiũ non informat illud & si crescat corpus per augmentũ de nouo vnitur partibus, & quasdam informat perfectiori modo, & vita, vt cerebrum, & cor, quasdam imperfectiori modo, vt capillos. & vngues ob diuersas dispositiones subiecti diuisibilis diuisibiliter recipientis formam, & tamen anima nostra in se indiuisibilis est: ergo idem dici potest de specie, quæ est indiuisibilis repræsentatio obiecti diuisibilis, & ideo additis, vel detractis partibus obiecti variatur repræsentatio ex defectu obiecti nõ autem speciei, & sic quædam partes clarius, quã aliæ repræsentantur, quia sic sunt repræsentabiles. Vel dici potest, quod variata repræsentatione, quia variatur obiectum non potest formaliter haberi eadem adæquatio, cum specie, & sic variatur species, quia esse speciei conformatur cum obiecto, dum causatur, & ideo si non permanet, idem cessat adæquatio, & euanescit species. Quod si non æquè clarè omnes partes repræsentat, ideo est, quia non omnes partes pro tunc sunt æquè repræsentabiles in obiecto, & ideo non æquè repræsentãtur. Imô in sententia asserente, quod species non est formalis, sed virtualis similitudo obiecti, quæ arridet aduersarijs, nescio quæ momenta habere possit hæc obiectio, quo ad hanc partem.

4 Argum. 2. Pars obiecti potest causare speciem sui reliquis partibus nõ causantibus: ergo obiectum diuisibiliter causat speciem, vt repræsentatiuam, cum illam causat, quia tunc species etiam repræsentaret partes, quæ

se

se solis possent causare illam speciem, ergo quando cum aliis causant speciem, partialiter, & diuisibiliter eam causant, Conf. Vt indiuisibiliter causaretur species deberet tota a toto, & tota a qua libet parte causari, at cum totum quod repræsentatur vnica specie vna parte est album, alia nigrum, non potest qua parte est albū causare in species similitudinem nigri, ergo diuisibiliter, & secundū, partes obiecti causatur species, & sic habet esse diuisibile in repræsentando, sicut fit diuisibiliter, §. Resp. quod cum sola pars causat speciem, se sola per modum adæquati obiecti illam causat, & per modum totius; at si vt pars in toto cum aliis est iam non ipsa pars, sed totum, illud vt compositū variis partibus homogenes, aut etherogeneis, sub ea ratione, qua totum diuisibile in essendo, & indiuisibile in causando, causat speciem indiuisibilem in repræsentatione, quia adequatè respicit totum sic compositum, & ex consequenti parte, ex quibus compositum constituitur, & hinc patet ad Conf. quod cum ratio causandi in obiecto sit totalitas materialiter constans, etherogenes partibus vnica indiuisibili repræsentatione redditur species repræsentans omnes partes, & causatur indiuisibiliter etiam partialiter, cum totum sit, quod causat formaliter, licet sit compositum materialiter, & sic species, quæ est diuisibilis in essendo, & indiuisibilis in repræsentando repræsentat obiectum indiuisibile formaliter, sed materialiter diuisibile, & sic album, & nigrum, vt partes in toto, & sub toto, non vt primo, & per se sunt rationes repræsentatæ in se, & ratione sui, sunt in specie repræsentatiuè.

5 Si inquiras quo pacto obiectum, quod materiale est, & diuisibile potest causare speciem, quæ sit indiuisibilis. Resp. M. Bannez loco iam citat. consequenter ad dicta supra, quod causatur ab obiecto nō vt purè materiale est, sed vt participat naturam rerum superiorum, & ordinem cognoscibilem, quia sic obiectum natum est communicare suam formam, sine materia, ac per consequens modo immateriali, & attinente ad ordinem rerum immaterialiū, & indiuisibilium, nam sic abstrahit à materia, & cum materia sit adæquatum principium extensionis, & diuisibilitatis, etiam abstrahit à diuisibilitate in causando, & sic tantum percipitur quomodo species eiusque repræsentatio nō causetur apartibus, vt partes sūt, sed a toto continente partes de materiali, seu à toto etherogeneo, aut homogeneo, quatenus vnum sunt partes in illo: & sic cessant fere omnes obiectiones, quibus aduersarij infringere in vanum conantur nostram conclusionem ex eo quod vna pars obiecti, etiam vt coniuncta cum alia nequit causare similitudinem, & repræsentationem alterius: non enim hoc di-

ci-

cimus, sed quod totum causat similitudinem sui, etiam vt constat materialiter partibus. Et cum ex alia parte asserant aduersarij speciem esse nõ formalem, sed virtualem similitudinem, & repræsentationem obiecti, multo facilius intelligitur, quod partes sint in toto virtualiter, & diuisibile, in indiuisibili formaliterque virtualiter diuisibili.

## QVAESTIO XLVI.

*An obiectum perfectiori modo sit in specie, quam in seipso. Et an species impressa sit formalis, an tantum virtualis similitudo obiecti?*

1 DIcendum est 1. Forma obiecti perfectiori modo est in obiecto sensibili simpliciter, & absolutè, quam in specie sensili (& idem etiam est de quolibet alio obiecto specificante, & causante speciem sui) licet debeat admitti, quod secundum quid est modo nobiliori in specie. Prob. conclus. rat. Diu. Thom. 1. cont. gent. cap. 65. Obiectum ipsum sensibile effectiuè producit sui similitudinẽ in patiente, nẽpè in sensu, quatenus producit speciẽ sed causa, & agens perfectior est, quam effectus, & effectus nobilius esse habet in causa, quam in effectu, ergo forma nobiliori modo absolutè, & simpliciter est in obiecto sensibili, quã in specie, prob. conseq. Nam obiectum agit, & causat formæ suæ similitudinem in specie ratione formæ, vnumquodque enim agit in quantum est in actu per formam, ergo forma in obiecto, quæ est causa actiua formæ, quæ in specie reperitur absolutè, & simpliciter; est nobiliori modo in obiecto, quam in specie, §. Sed quia posset responderi, quod causa effectiua, & eius forma, ex quo causa sit alterius formæ, non sequitur, quod sit simpliciter perfectior in causa, quam in effectu, quia in omni effectu vniuoco, cum æqua perfectione reperitur forma in causa, & in effectu, & solum arguit maiorem perfectionem, secundum quod in forma, quæ se tenet ex parte causæ reduplicatiue prout est in causa, §. Cont. est quod forma obiecti, & ipsum obiectum causant formam, sine materia in specie per modum causæ, superioris principalis æquiuocæ (vt dictũ est) at causa æquiuoca, quæ in quantum talis est in ordine superiori, eo ipso quod causat arguit maiorem perfectionem simpliciter, ergo, §. Quod si dicas obiectum esse causam vniuocam speciei in esse intentionali, quia species habet in se formam eius, sine materia, quæ autem eiusdem formæ sunt, vniuoca sunt. §. Cont. est, quod D. Thom. ibi vno verbo dixit obiectũ causare speciem, vt habet formam sui per modum similitudinis, & in esse similitudinario, & ideo æquiuoce, sicut dixit M. Soto, quod homo pictus, & viuus æquiuoce sunt homo,

mo, quāmuis sit similitudo vnius ad alterum in qualitatibus physicis, & inter qualitates sensibiles obiecti sensibilis, & inter eas, quæ sunt in specie eadem ratio est, & inter quidditatem, quæ est in homine, & eā quæ est in specie intelligibile, ergo semper obiectum in quantum causa est similitudo formalis quidem, sed æquiuoca, quia in obiecto, & forma, & quidditas habet esse verum, & reale, secundum quod res significat esse ratū, in specie vero est similitudo non ficta, sed vera, at solum habet esse intentionale, & diminutum, & nō ratum.

2 Conf. Obiectum specificat speciem, & est eius mensura in esse cognoscibili, sed mensura, & specificatiuum est simpliciter perfectius, quidquam specificatum, & mensuratum, ergo forma obiecti perfectius esse habet in ipso obiecto sensibili, aut intelligibili, quā in specie, & si in specie est aliquis excessus est tantum secundūquid. Hæc ratio cum procedat per medium à priori, & constet ex doctrina variis locis huius libri, & sequentis tradita, non eget vlteriori expensione.

3 Dicendum 2. Species impressa, est naturalis similitudo formalis obiecti, quod per se primario repræsentat. Sic communiter Thomistæ cum Arist. hoc 2. lib. text. 121. & 122. vbi has species sensibiles: *Vocat formam sensibilē sine materia, sicut forma sigilli impressa in cera à sigillo aureo, vel æneo*, vbi manifestē apparet, quod figura sigilli, quæ est in cera non est virtualis, sed formalis similitudo eius, quæ est in sigillo aureo, aut æneo ergo species impressa secundum Arist. est formalis similitudo, & non tantum virtualis, §. Conf. ex eod. Intellectus factus in actu per species impressas est res intellecta in actu, & sensus factus in actu per species est sensibile in actu, vt exponit D. Thom. sed si species non esset formaliter ipsum obiectum, non posset dici, quod intellectus, aut sensus fiunt mediis aliis ipsa obiecta in actu, sicut per semen receptum in terra, non dicitur quod fit in actu terra, illud ipsum cuius semē est virtus, ergo species impressa ex natura sua, vt naturaliter causatur ab obiecto, est formalis eius similitudo. Et etiam de mente S. Augustini, & aliorum PP. & clarissimē constat ex verbis D. Thom. 3. cont. gent. cap. 49. art. 2. vbi loquēs de specie impressa, ait: *Similitudo intelligibilis per quam intelligitur aliquid secundum substantiā, oportet, quod sit eiusdem speciei, vel quod intelligitur.* At si solum esset virtualis similitudo non esset eiusdem speciei, vel imaginis ipsa species obiecti, quia species à formali expressione, & conuenientia desumitur, ergo mens D. Tho. aperte militat pro nostra concl. & ca. 4. de ent. & essentia, ait: *Eandem essentiam sub diuerso statu esse in obiecto, & in specie.* Et suadet eius mentem, nam si non sentiret speciem

ciem impressam esse formalem similitudinem ab obiecti, non probasset efficaciter repugnare, quod Deus videatur in seipso à Beatis per speciem, & similitudinem creatam, nam aliquid creatũ bene potest esse similitudo Dei virtualis, & per modum signi (sicut ramus ante tabernam, est similitudo, & signum vini vendibilis) & hac ratione recentioris adversarii in materia de visione, vt probent Deum posse videri in se per speciem creatam, toti sunt in probando ad visionem Dei in se, non requiri speciem, quæ sit similitudo formalis, sed sufficere quod sit virtualis, quia videt quod hoc dato facillime intelligitur, & suadetur dari posse visionem Dei in se per speciem creatam, & hoc idem censet Durandus in 4. dist. 49. q. 2. vbi docet, quod si species non esset formalis similitudo obiecti ratio D. Tho. esset omnino inefficax ad suadendum non posse Deum videri per speciem creatã, & hoc ideo, quia D. Tho. quodl. 7. art. 1. & in 4. dist. 49. q. 2. ar. 1. ad 2 5. concedit similitudinẽ virtualem creatam ad videndum Deum, quæ se teneat ex parte potentiæ, & sic lumen gloriæ, ergo si species, etsi se teneat ex parte obiecti, solũ est similitudo virtualis, non est cur species creata Dei, vt videndi in se denegetur a D. Th. ergo cũ negat eam, ideo est, quia est similitudo formalis.

4 Prob. ratio species impressa dicitur, *imago obiecti*. Sic expresse Arist. li. 6. de mem. c. 1. & D. Aug. 8. de Trin. c. 6. vocat speciem: *Picturam obiecti, & imaginem*. Vnde Arist. tex. 14. vocabit intellectum sine speciebus: *Tabulam rasam in qua nihil est depictũ*. Sed imago importat essentialiter formalem similitudinem in specie, aut in signo proprio speciei, vt probat D. Thom. 1. p. q. 35. art. 2. ergo species impressa est formalis similitudo obiecti Cons. ex illo communi axiomate Arist. & omnium priscorum philosophorum asserẽtium, quod, *omnis cognitio fit per assimilationem*. Et ideo oportet, quod cum sensus, & intellectus non habeat ipsas res cognoscendas in species, neque ex illis componantur, accipiant species loco rerum, quibus fiat talis quale est obiectum cognoscendũ, sed si species solum esset similitudo analoga, & virtualis, ex eo quod cognitio fieret per assimilationem virtualem, & non formalem, non esset ratio superaddendi species, quia potẽtia sentiua virtualem, & analogam similitudinẽ dicit cum obiecto, si quidem dicit ordinem, & appetitum ad illud omnis appetitus, & amor in aliqua similitudine fundatur, insuper sensus omnes constant temperamento primarum qualitatum in quo virtualiter insunt elementa: ergo illud mediante fieret cognitio rerum sensibilium per assimilationem virtualem, nec posset Arist. reprehendere Empedoclẽ, asserentem, quod terrã terra cog

noſcimus, & ignem igne, & ſic ſalvaretur, quod ſit cognitio per aſſimilationem, nec poſſet dicere quod quia in oculo nō eſt lapis neceſſaria, eſt ſpecies eius, quia poſſet reſponderi, quod vera eſt ſentētia quā probat, quia cognitio ſolum fit per aſsimilationem virtualem, & ſenſus habent in ſe virtualiter ignem, & terram, & ſic terrā terra, & ignem igne aſsimilatione virtuali cognoſcimus, & lapis licet non ſit in oculo formaliter, eſt tamen virtualiter, quatenus ſunt primæ qualitates in mixto temperamento in quibus virtualiter continentur qualitates ſenſibiles lapidis. Denique non eſſet ratio cur ſpecialiter diceretur, quod cognitio fit aſsimilatione magis, quam amor, aut quælibet actio naturalis, cum amor ſimilitudinem virtualem ſaltem ſupponat, & vnumquodque agens agat in tantum in quantum habet vim cauſatiuam, & virtutem aſsimilandi ſibi paſſum, & introducendi in illo ſuam formam realem, quod plus eſt, quam quod cognoſcens virtuali ſimilitudine ſpeciei poſſit cauſare idolum, aut ſpeciem expreſſam media qua ſolū intentionaliter poſsit formaliter aſsimilari obiecto.

5 Prob. 2. Verbum diuinum quia procedit per intellectū procedit, vt ſimile generanti in natura, quia ex vi talis proceſsionis intellectiuæ ex parte principis concurrit natura genetantis intellectiui, ergo ex vi huius lineæ exigitur naturam, quæ intelligitur formaliter eſſe principium intelligendi, ſed ſi in nobis ſpecies impreſſa non eſſet formalis ſimilitudo rei intellectæ, non poſſet colligi, ita efficaciter per modū congruentiæ, quod ex quo Verbum diuinum procedit per intelligere procedat, vt formaliter, ſimile, ergo prob. min. ſi ſufficeret quod ſpecies, vel id quod intellectione habet rationem ſpeciei, eſſet ſimilitudo virtualis rei intellectæ etiam ſi in diuinis principium proceſsionis intellectiuæ nō eſſet formalis natura; ſed aliquid in quo virtualiter contineretur, vt volūtas, & alia attributa, poſſet euadere Verbum ſimile, & eſſe filius, & per conſequens non conuinceretur, ex eo quod Verbum procedit per intelligere eſſe formaliter ſimile, & Filium, & Spiritum Sanctum non procedere formaliter, & ex vi proceſsionis, vt ſimilem, quia non procedit per intellectū, ergo ſi illa ratio eſt efficax, ideo eſt quia ſpecies in linea intellectiua, vel eſt ipſa natura obiecti, vel eſt formaliter ſimilis illi.

6 Dicendum 3. Species impreſſa intentionalis in eſſe entis non eſt formaliter, ſimilis obiecto, ſed ſolum ineſſe intentionali, & repræſentatiuo. Sic M. Ioann. à S. Thom. hic quæſt. 6. & prob. Quia in eſſe entis poteſt res cognita conſtitui per formam ſubſtantialem cum tamen entitas ſpeciei ſit accidentalis, vt ait D. Thom. cont. gent. cap. 46. ergo in eſſe entis

tis cōsiderata ſpēcie non poteſt eſſe formalis ſimilitudo obiecti. Tum etiam entitas obiecti poteſt eſſe permanens, cum tamen entitas ſpeciei in medio, & in ſenſibus externis eſſentialiter habeat eſſe tranſiens, ergo quoad hoc diſſimiles ſunt vtriuſque entitates. Tum quia ſi ſecundum eſſe entitatiuum, quo ſpecies inhæret haberet eſſe formalem ſimilitudinem, hominis, aut equi, aut coloris quem repræſentat, denominaret ſenſum; aut quamlibet aliā potentiam cognoſcitiuā, in qua reſidet formaleter hominem, aut equum, aut coloratum, vel ſaltem realiter entitatiuè formaliter ſimilia his obiectis, ſed hoc eſt falſum, vt experientia conſtat, & etiam docet D. Thom. 1. p. q. 84. art. 3. ad 2. quia attenta ſua entitate, non eſt formalis ſimilitudo obiecti. Denique in ſubſtantia Angeli, qua ſeipſum cognoſcit, vt ait D. Thom. 1. p. q. 6. art. 1. & in ſubſtantia animæ ſeparatæ qua etiam cognoſcit ſe ipſam, vt ait etiam D. Th. ibidem, q. 89. art. 2. diſtingui neceſſe eſt eſſe naturale ab eſſe intentionali, nam ſecundum eſſe naturale eſt radix intellectus, & non influit immediate effectiue in operationē, ſeu intellectionem, & tanē ſecundum eſſe intentionale, actuat intellectum, & ſupponit ipſum, influitque ſimul cum illo in intellectionem immediate, quia ab obiecto, & potentia paritur notitia, ergo etiam in ſpecie accidentali impreſſa duplex eſſe diſtinguendum eſt alterum nātūrale accidē tale quo exiſtit exiſtētia phiſica, inhæretque ſubiecto, & educitur de eius potentia per phiſicā tranſmutationem, vt q. preced. oſtenſū eſt alterum intentionale, ad hoc eſſe naturale ſpeciei, quo virtus obiecti cauſatur ab obiecto, exiſtitque, & educitur procedit ab obiecto, tamquam a cauſa æquiuoca, vt omnes admittunt, ergo non poteſt eſſe formalis ſimilitudo illius, nam cuius forma eſt eiuſdem rationis cum alio, non æquiuocatur cum illo, ergo ſpecies in eſſe entitatiuo non eſt formalis ſimilitudo obiecti a quo cauſatur, ac per conſequēs, nulla ſpecies ſenſibilis, eſt formalis ſimilitudo eius, quod vero, nec ſpecies intelligibilis in eſſe entitatiuo hoc habeat facile patet ex dictis, quia ſic intellectus denominaretur naturaliter, & entitatiuè ſimilis omnibus obiectis, quorum habet ſpecies, & ſic in eſſe phiſico eſſet omnia, quæ cognoſcit, quod tamē eſt contra veritatem, & contra Diu. Thom. locis citatis, & 1. p. q. 89. art. 3. vbi docet ea omnia, quæ Deus facit ad extra contineri in mentibus Angelorum, mediis ſpeciebus intelligibiliter tamquam in mundo intelligibili.

7 Contra 1. concluſ. arg. 1. Ex genere ſuo perfectius eſſe, eſt immateriale, & ſpirituale, quam materiale, ſed obiectum ſenſibile in ſpecie habet eſſe immateriale, & ſpirituale, cum tamen ad extra, & a parte rei habeat eſſe mate-

riale, ergo obiectum sensibile, seu forma ratione cuius est cognoscibile perfectius esse habet simpliciter in specie, quam in se ipso, prob. mi. ex Arist. hoc 2. lib. tex. 121. asserente quod in specie est forma sensibilium, sine materia, ergo ibi habet esse immateriale: nã esse materiale illud est, quod habet esse sine materia. Tũ etiã D. Tho. 1. p. q. 78. art. 3. vbi loquens de species obiecti sensibilis, ait: *Quod spirituális immutatio sensus fit secundum quod forma immutãtis recipitur in immutato secundũ esse spirituale, vt forma coloris in pupilla, quæ non fit per hoc colorata.* Videri etiã potest, q. 5. de potẽt. art. 8. ergo vera est illa minor. ℣. Resp. dist. mai. Esse immateriale, & spirituale absolute est simpliciter perfectius, quam esse materiale, si sit esse immateriale, & spirituale positiuè, & cõplete cõced. si negatiuè neg. mai. & dist. min. eodẽ modo, concedendo formã rei sensibilis habere esse immateriale, & spirituale in specie non positiue, sed negatiuè, & neg. conseq. vnde ad prob. min. dico Arist. & D. Tho. solum hoc intendere, quod species contineat formã obiecti sensibilis, sine materia, & habeat esse spirituale, & immateriale negatiue, non vero quod ea immaterialitas, & spiritualitas sit positiua sicut solet dici de obiecto logicæ, quod non est perfectius obiectis scientiarũ realium, quia abstrahit ab omni materia negatiue, & non positiue, & ideo non sequitur, quod sit simpliciter perfectius (sed solum secundum quid) obiectis concernentibus materiã sed hoc solum conceditur obiecto metaphisicæ, quod abstrahit ab omni materia positiuè, & est immateriale positiuè. Quid sit autẽ esse immateriale positiue, & negatiue potest explicari exemplo indiuisibilitatis, quæ est in puncto, & in Angelo, in altero positiuè, & dicendo perfectionem simpliciter in altero vero negatiue, & etiam in libris posteriorum agendo de specificatione scientiarum, hoc ipsum circa immaterialitatem expositum est, & in præsenti sufficit dicere, quod immaterialitas formæ, & si dicat remotionẽ materiæ ex parte termini à quo, non arguit perfectionem, quia esse quod habet forma sensibilis, sine materia in specie, est diminutũ, & intentionale, & in esse repræsentatiuo, & ideo non arguit perfectionem, sed exceditur ab esse quod habet in materia, quia licet cum materia, tamen est ratum, & phisicum existens, & subsistens, & non tantum intentionale, sed phisicum.

8 Si in spes. Immutatio illa intentionalis, quam causat species in sensu media forma rei sensibilis, quam cõtinet sine materia simpliciter nobilior est quam ea quã causat phisice ipsa forma; secundum esse phisicum, quod habet in ipso sensibili, nam illa immutatio cõuenit rebus non sentiẽtibus, nam calefieri ab igne conuenit plan-

plantis, & rebus inanimatis, at immutari ad sensationem, solum sentientibus competit, vt docet Aristot. hic text. 122. & D. Thom. q. cit. 78. art. 3. sed perfectior actio arguit perfectiorem formam, & perfectius esse illius, ergo si forma sensibili solum conuenit immutare intentionaliter, secundum quod est in specie, immutare autē naturaliter, secundum quod est à parte rei, & cum materia, sequitur quod forma rei in specie habet esse simpliciter perfectius, quam habeat in ipso sensibili, §. Resp. quod cum immutatio intentionalis potentiæ cognoscitiuæ fiat ab obiecto ipso mediante specie, non sequitur quod forma, quæ est in specie habeat perfectius esse quam forma obiecti, quæ est à parte rei, sed solum, quod forma vt est à parte rei ipsa habet duas considerationes, & quatenus est talis naturamaterialis, & quatenus participat de modo substantiarum separatarum (vt late dictum est supra) sub prima consideratione agit actione naturali physica, sub secūda agit actione intentionali immittēdo speciem in sensum, & cum vtrūque habeat a parte rei prout existit, & solum secundum conueniat formæ sine materia, quæ est in specie, & hoc ipsum esse habeat ab obiecto ipso, quod est ad extra sequitur, quod forma secundum esse, quód habet ad extra sit simpliciter perfectior, quam secundum esse, quod habet in specie intētionali: quia forma à parte rei adhuc secundum illud, quōd habet in genere cognoscibili ex participatione modi substantiarum separatarū habet tamquam in proprio subiecto subsistendo, & existendo physice: at in specie habet tamquam in subiecto extraneo, & medio delatiuo, & ex se accidentali cum tamen formet, vt cognoscibilis posset existere substantialiter, vel saltem cū existentia propriæ, & connaturalis substantiæ.

9 Arg. 2. con. 2. conc. ex August. lib. 1. c. 12. vbi docet speciē impressam intelligibilem esse: *Velut semen obiecti, vt ex obiecto, & potentia paritur notitia*, sed semen non est formalis similitudo generantis, sed solum virtualis, & causalis, quatenus mediante generatione causatur terminus formaliter simile generanti, ergo. Tum etiam, quia cum Arist. doceat speciem impressam. Esse similem obiecto, & formam eius, sine materia, optimé potest exponi, dicendo esse similitudinem virtualem, & analogam, & sic esse formam obiecti, sine materia, quia eam causat, vel ad summum loqui de specie expressa, ergo nostra sententia non habet firmū fundamentum Arist. & multo minus in ratione: rā ex quo species expressa sit imago obiecti mediante specie impressa non sequitur speciem impressam esse formam similitudinem obiecti, neque ex eo quod genitum sit imago generantis mediante semine, sequitur, quod semen sit formalis simili-

tudo generantis, §. Si dicas non esse eandem rationem de semine, & de specie, nam de medio semine fit generatio, & assimilatio phisica in termino, & ideo assimilatio formalis geniti non est cũ semine, quod est virtus phisica generantis; sed est cum ipso generante, at assimilatio, & generatio speciei expræsse, est intentionalis, & non phisica; ideoque debet esse non cũ obiecto, vt habet esse phisicum in se, sed vt habet esse, sine materia in specie, ideoque ibi debet esse forma sine materia, §. Cont. est quod secundum hanc responsionem, species impræssa, est virtus intentionalis obiecti, ergo non intendit sibi assimilare terminum sed obiecto: hac enim ratione dicitur aliquid intentionale, quia intendit finem extra se, & non est propter se, sed propter aliud, ideoque non habet esse phisicum, sed diminutum esse intentionale sicut virtus instrumentaria, at hinc potius colligitur, quod species non sit similitudo formalis obiecti, quia si esset sibi intenderet assimilare terminum, & non esset pure intentionale eius esse: ergo ex quo ea assimilatio, & generatio, quam intendit species impressa in termino sit intentionalis potius sequitur magis repugnare speciei impræssæ esse formalem similitudine obiecti, quam semini esse formalem similitudinem generantis, immo quod, & si semen posset esse formalis similitudo generantis, quia facit assimilationem, & generationem phisicam, tamen hoc non posse competere speciei impræsse, eo ipso, quod intentionaliter assimilat terminum obiecto.

10 Resp. tamen nostram sententiam firmum habere fundamẽtum in authoritate, & ratione; nam August. comparat ibi speciẽ impræssam semini, non quoad omnia, sed quoad aliqua, scilicet quoad causare effectiue verbum mentis, & per modum generationis cuiusdam intentionalis, quod vero non assimiletur species semini in hoc, quod sit solum virtualis similitudo, constat, quia August. lib. 15. de Trinit. c. 12. & 27. in fine, & plurimis aliis locis semper dicit speciem esse quasi imaginem obiecti, & propriam similitudinem, ex quo sequitur, quod vt aduertit D. Thom. 3. cont. gent. c. 49. docet potius esse cõparandam speciẽ cum idea artificis respectu artificiati, nam sicut ex eo quod artifex habet in se formale exemplar, formar ad extra domũ sic intellectus format speciem expressam similitudinem obiecto, quia in se habet ipsam formam obiecti, vt D. Tho. erudite exponit opus. 14. & hoc ideo quia verbũ formatur ab intellectu tamquam à dicẽte, & sic tamquam à fabricante & assimilante illud principio dicendi, & intelligendi, sicut artifex assimilat artefactum principio artis quod est idæa, §. Ad 2. Ref. Arist. non nisi cum manifesta vi exponi ab aduersariis, nam cum ait speciem

ciem esse formam rei sensibilis, sine materia, sicut sigillum impressum in cera est figura sigilli aurei, aut ænei, sine auro, aut materia ænea quomodo potest dici, quod sentiat non esse formalem similitudinem, aut non loqui de specie impressa? & cum lib. 2. de mem. & reminiscent c. 1. doceat speciem impressam esse imaginem obiecti, sicut imago Cæsaris, quæ est in statua, manifestè patet, quod cõtradicit illi expositioni. Ad 3. resp. quod assimilatio, & generatio intentionalis non eo dicitur intẽtionalis, quia solum tendat in obiectum ad extra, itaut generans sit obiectum, & instrumentum sit species, & intellectus: sicut etiã contingit in semine, & ideo ibi sufficit virtualis, & caulalis similitudo, sed dicitur intentionalis, quia est ad intra in genere repræsentatiuo, & in linea notitiæ, & per modum dicentis, & sic intellectus informatus notitia formali obiecti, & eius specie, & forma ad intra, & in alio esse, nempe in esse cognoscitiuo, est qui dicit, & qui generat ad intra, & ideo ad intra debet habere formam obiecti, & non tantum virtutem sicut in semine, & in generatione phisica aliorũ viuentium, vbi quia generatio est ad extra forma cui assimilatur genitum, non est in semine intra viscera matris, sed est extra in ipso generante, at cum generatio verbi mentis, generans, & generatio ad intra sint, forma; quæ est principium agendi intra debet esse, & non sola virtus obiecti existentis ad extra, & ideo August. lib. 15. de Trinit. loco citat. & D. Thom. opusc. 14. & q. 27. primæ p. art. 1. & 2. colligunt processionem Verbi diuini, quia est per intellectum ex genere suo esse generationẽ, quia ibi procedit Verbũ ex formali notitia Patris ad intra, licet ibi sit substantialis, quia Deus est purus actus, sine vlla materia, & ideo intra se habet adæquate obiectum per modum speciei adæquate concurrentis ad dictionem verbi, & non mediante specie accidentali, ex quibus liquet, quod ex quo species sit intẽtionale principium assimilãdi verbum mentis, & generandi illud intentionaliter, non sequi esse virtualem similitudinem obiecti, sicut contingit in semine, aut in virtute instrumentaria phisica, sed necessario fore formalem obiecti notitiam, & similitudinem, immo & ipsam formam obiecti in alio esse, scilicet in esse intentionali repræsentatiuo, & per modum notitiæ; non autem in esse phisico, & instrumentario.

11 Arg. 3. con. 3. concl. & contra id quod supponit, scilicet speciem impressam sub duplici esse cõsiderari posse entitatiuo, scilicet, & repræsentatiuo, aut intẽtionali, ex verbis D. Tho. 1. p. q. 56. ar. 3. ad 3. sic asserẽtis: *Species intelligibilis in intellectu habet esse intelligibile tantum*, & quæst. 3. de potentia, art. 7. ad 7. *quod colores sunt in aere, vt intentio sola,*

ergo sentit D. Thom. quod in specie nullū aliud esse reperitur, quā intelligibile, & intentionale, & sistatur ratione. Res ad extra solum habet esse naturale, non enim existunt nisi existentia phisica, & entitatiua, ergo in sensibus, & in intellectu solum habent esse intentionale, prob. conseq. Nam esse entitatiuum, & intentionale contraponuntur, ergo si quod habet esse a parte rei tantum habet esse entitatiuū, quod habet esse in specie solum habet esse intentionale, & sic species quas habet speculum, cum obiecta repræsentat, solum habent esse intentionale, & non entitatiuum, §. Resp. quod cum D. Thom. nobiscum sentiat, 1. cont. gent. capit. 46. & 1. p. q. 56. & 84. ar. 3. & alibi distinguēs in specie esse qualitatis, & similitudinis non potest facilē credi sibi ipsi esse contrarium, in testimoniis adductis in argumento, sed quia esse entitatiuum est valdē diminutum in specie, nec propter se institutum, sed solum vt deferat repræsentationem, ideo D. Tho. vno nomine docet, quod species habet esse tantum intentionale, & intelligibile, non quia non admittat ibi duplex esse. Ad rationem respond. non esse eandem rationem, nam res, quæ institutæ sunt, vt sint ad extra, non est necesse, quod habeant esse intentionale, at esse intentionale cū sit diminutum eget esse phisico, & ideo dari nō potest, sine entitate phisica. Sicut proportionaliter accidens, non potest esse nisi in substantia, & in ordine ad illam, cum tamen substantia sine ordine ad accidens posset dari. Negatur etiam quod in speculo species refractæ non habeant esse entitatiuum, simul cum esse intentionali: cum tamen substantia Angeli, & animæ (in statu separato) vtrumque esse habeat, vt supra dixi ex D. Thom.

13 Arg. 4. ad probandum species etiam in esse entitatiuo esse formales, & naturales similitudines obiectorum (quod in re parū distat ab intento præcedentis sententiæ, & argumenti, nam si entitas speciei, est esse similitudinem, entitas erit esse intentionale, nam species substantiæ entitatiuē non est substantia, nec intelligens substantiam formar verbum entitatiuē substantiale, quod esset concedendum, si entitatiuē est formalis similitudo substantiæ.) Arg. ergo sic. Entitas speciei se tota similitudo intentionalis, sicut figura statuæ tota est similitudo Cæsaris, ergo entitas speciei similitudo est, & repræsentatio obiecti, §. Respon. tamen negato antecedenti, nam entitas illa est quasi delatiuum similitudinis intentionalis, phisicè autem non conuenit illa species in prædicatis formalibus cum obiecto, nec est forma obiecti, & ideo secundum entitatem phisicam non est similitudo obiecti, & idem possumus dicere de figura statuæ, in qua formaliter non est eadem ratio figuræ, & similitudinis, licet materialiter sint

idem:

idem; quamuis non sit eadem ratio, quia ibi est similitudo phisica, & per consequens vnitas, & conuenientia in qualitatibus phisicis, at similitudo formalis obiecti, quæ est in specie non est phisica, sed intentionalis, quia in specie colorati, non est color phisicus, & ideo entitas speciei non est similitudo obiecti, sed est delatiuũ, & subtratum similitudinis. Videatur D. Th. quodlib. 8. art. 4. q. 4. de verit. art. 4. ad 2. & q. 8. act. 1.

## QVAESTIO XLVII.

*An species impressa secundum esse intentionale sit eiusdem numero naturæ cum obiecto, vel saltem eiusdem speciei?*

1 DIcendum est. Spẽcies impressa est eadem numẽro, & specie natura obiecti quod repræsentat, licet in alio esse, nempe in esse intentionali, cum tamen natura repræsentata in se habeat esse naturale. Sic cõmuniter Thomistę cum Arist. hic t. 121. Pr. cõclarat. hic. Mediante specie assimilatur intellectus, vel, sensus cum obiecto ad cognoscendum illud, & quoad speciem, & quoad numericam formam, quam habet; nam illamet forma, & entitas, quæ erat in obiecto, & non alia, est quæ repræsentatur, & cognoscitur media specie, vt est similitudo eius formalis, ergo eadẽ forma numero, specie quæ cõtinetur naturaliter in obiecto, cõtinetur etiam in specie, sed non in esse naturali, sed in esse similitudinario, & intentionali. Conf. ex communi doctrina Theologorum in. 3. p. 25. art. 1. & 2. vbi docent cum Arist. quod idem est motus adorationis in imaginem, & in rem imaginatam, quia sic idem est imago in esse similitudinario cũ recui assimilatur, ideoquè idem honor imagini, & prototypo debet deferri, at id esset falsum si imago in esse repræsentatiuo, non esset idem specie, & numero cum obiecto, quia sic adorando imaginem v. g. Christi, aliud ab ipso venerarentur in imagine, ergo, quia imago vt talis, est idem cum obiecto; at species considerata in esse intentionali, est imago, & formalis similitudo obiecti, vt ex dictis constat, ergo.

2 Sed tamen aduertendum est, quod cum dicimus speciem impressam esse eiusdem numero formæ, & naturæ cum natura obiecti, non est sensus quod sit eiusdem numero naturæ positiue, sic enim numero distinguitur natura Petri, quæ est in specie, & quæ est in Petro, quia forma secũdum quod habet diuersum subiectum, & diuersum esse, necesse est quod distinguatur numero positiuè: sed sensus est esse eiusdem numero naturæ negatiuè si formatur cũ præcisione, & solum attentis prædicatis constituentibus formam, sic enim quidquid numero, & specie habet in se obiectum repræsentatum a-

tum a-

tum, etiam habet in esse similitudinario, & intentionali species, quæ repræsentatiua est talis obiecti, secundum quod est in se ipso. Nec etiam intendo quod species intelligibilis, quæ primo, & per se nō repræsentat directê singularia sit eiusdem numero naturæ cum obiecto, quoad rationem individualem, cum eam directê non repręsenter, sed solum quod sit eiusdem numero naturæ specificæ, cū ea quæ est à parte rei, non quidem positiuê quoad vnitatem numericam, sed negatiuê.

3 Con. nostram concl. arg. 1. Species habet esse intentionale accidentale, & quandoque spirituale, sed obiectum ad extra habet esse substantiale, quandoque, & esse materiale, & esse naturale: ergo species etiam in esse intentionali, non solum numero, sed etiam specie distinguitur ab obiecto. Prob. conseq. nam esse spirituale genere differt à materiali esse: & idem est de esse accidentali, respectu substantialis, & de esse intentionali respectu naturalis. ℣. Con. Si natura speciei in esse intentionali esset eiusdem speciei cum obiecto, ergo species lapidis esset essentialiter lapis, sed hoc est falsum, quia lapis essentialiter est substantia corporea, quod non habet species etiam in esse intentionali, siquidê est forma sine materia, cum tamen materia sit pars essentialis corporis substantialis. ℣. Conf. 2. Prædicata essentialia lapidis, aut equi non prædicãtur vniuoce, sed ad summum analogicê de specie secundum quod intentionaliter est lapis, aut equus: ergo species illa etiam in esse intentionali, non est eiusdem speciei, seu magis ipsa species lapidis, aut equi vt sunt à parte rei. ℣. Tertiô conf. Essentia diuina in Deo est species, qua Deus cognoscit creaturas, & continet eas formaliter eminenter, vt docet D. Thom. 1. p. qu. 12. art. 9. & qu. 14. art. 2. Et tamen nequit dici quod essentia Diuina sit eiusdē naturæ numero, & speciei cum creaturis, quia essentia Dei quoad omnem rationem in ea repertam, est quid increatum, & creaturæ essentialiter sūt aliquid creatum, vt in Deo sunt creatrix essentia secundum quod in Deo, ergo species, ex quo est similitudo formalis obiecti, non sequitur esse eiusdem naturæ cum obiecto.

4 Resp. tamen quod species solum de materiali dicit entitatem accidentalem, spiritualem, & res repræsentata, solum etiam de materiali dicit esse materiale, aut naturale, & ideo pro formali secūdū esse intentionale, eiusdem naturæ, & speciei est species repræsentans, & obiectum repræsentatum, & sic essentialiter habet species prædicata essentialia lapidis, licet non in modo habendi, & sic etiam repræsentatiuè continetur materia obiecti in specie, sed non materialiter, sed intentionaliter, & hic diuersus modus habendi sufficit, vt prædicata constitutiua lapidis prædicentur analogicê de lapi-

lapide habente esse intentionale in specie, & aparte rei, sed hoc, non obstat quin idem sit lapis repræsentatus in specie, & existens à parte rei numero, & specie, & sic ad argumentum; & eius confirmationes constat solutio vsque ad vltimam, ad quam resp. quod essentia Dei non repræsentat primario creaturas, sed Deum, & ideo non est eiusdem naturæ cum creaturis. Vel dic ea repræsentare formaliter eminenter, & per modum speciei inadæquate per excessum, & ideo eminet; nec est eiusdem speciei cum creaturis, sed tamen eas continet quoad omnem perfectionem specificam, & numericam, quam in se habent, & hoc est intentum nostrum, quod species eo ipso ac est formalis similitudo repræsentatiua obiecti continet in se tale obiectum quoad omnem eius rationẽ specificam, & numericam, & sic est eiusdem speciei cum illo in ratione continentis ipsum in alio esse, & sic potest etiam concedi essentiam diuinam in esse repræsentatiuo esse ipsas creaturas, licet non subesse creato, sed subesse increato, & sic creaturæ vt in Deo sunt ipse Deus, & creatrix essentia, & Deus est ipsæ creaturæ eminenter formaliter in esse repræsentatiuo, at creaturæ in se non sunt Deus, sed id, quod in Deo est increato modo, extra Deum est creatura, creato, & limitato modo existens. Vide D. Tho. 1. p. q. 4. art. 2.

5 Arg. 2. Species repræsentat obiectum, quatenus est formalis similitudo obiecti, & eius naturæ, at idem numero non est simile sibi ipsi, ergo species non est eiusdem numero naturæ cum obiecto. Resp. dist. mi. Idem numero positiuè non est sibi simile conced. Idem numero tantum negatiuè neg. min. Vel aliter, idem numero sub eodem modo essendi non est simile sibi conced. sub alio modo essendi nego. Sic enim quasi in concreto sunt diuersæ naturæ, licet formaliter, & præcisiuè sint eadem natura.

6 Arg. 3. Intelligibilitas, est passio transcendentalis entis, sed substantia, & accidens pluspquam genere differunt, ergo implicat quod si species, est accidens, & obiectum est substantia, sit species eiusdem speciei in esse intelligibili cum obiecto, & multo magis implicat, quod sit idem numero. Tum etiam sequeretur quod species Angeli inferioris repræsentantes Angelum supremum quiddatiuè essent multo perfectiores in esse intelligibili, quam Angelus inferior cum excederẽt perfectionem intelligibilitatis quam habet ex se Angelus inferior, sed hoc est falsum, & impossibile, quia perfectiones connaturales, quę se habẽt ad modum proprietatis respectu alicuius substantię excedere nequeunt perfectionem substantiæ cui debentur: ergo §. Resp. quod intelligibilitas propria, & vt quod est passio adęquata cum ente, non autem ea quæ est, vt quo ex parti-

cipa-

cipationē obiecti, & ideo licet ſpecies accidentalis, ſit multo minoris intelligibilitatis, quam ſubſtantia, ſi conſideretur intelligibilitas vt quod debet intelligi, at ſi conſideretur, vt quo, & intentionaliter, poteſt eſſe ibi æqua, immo eadem intelligibilitas, quæ eſt in obiecto. Et ſunt plura exempla: nam virtus corporea, poteſt eſſe vt quo ſpiritualis, vt patet in virtute elevativa Sacramentorum in ſententia plurium; patet etiam in habitibus ſupernaturalibus, qui ſunt liberi, & vitales, vt quo, non vt quod, & ſic patet ad confir. Non enim eſt abſurdū, quod proprietas excedat ſubſtantiam in perfectione quam dicit, vt quo, & intentionaliter licet non poſsit excedere in perfectione conſiderata vt quod: & ſic illa ſpecies Angeli inferioris eſt imperfectioris intelligibilitatis, quam ipſe Angelus, ſi vt quod intelligatur, eſt tamen maioris, ſi intelligatur vt quo, & neque ſic, excedit perfectionem Angeli inferioris, etiam vt quo, quia debetur Angelo imperfectiori, quod poſsit fieri totum vniuerſum intelligibiliter, & intentionaliter, vt inſinuat D. Thom. qu. 2. de verit. art. 2.

7 Denique arguit. Si ſpecies eſt eiuſdem quidditatis cum obiecto non poſſet ſpecies vnica Angeli ſuperioris repræſentare tot obiecta ſpecie diuerſa, quia idem non poteſt in pluribus, & diuerſis ſpeciebus collocari. Sed Reſp. quod in eo caſu tot illa obiecta non habent ſpeciem formalem diuerſam in ordine ad illam ſpeciē, ſed materialem, & cum ſpecies illa non cauſetur ab obiectis, ſed participetur ab idęis Diuinis, in quibus continetur obiecta creata per exceſſum, & eminentiam, ſpecificatur illa ſpecies ab idæa Diuina ſecundum participabilitatem, quam habet, & ſic plura ſpecie diuerſa inter ſe continet formaliter, & per formalem ſimilitudinem ſub ratione ſpecifica eminentiori.

## QVÆSTIO XLVIII.

*Quomodo potentia cognoſcitiua fiat obiectum cognitum media ſpecie repræſentatiua?*

1 CErtum eſt, quod ex potentia cognoſcitiua, & ſpecie conſiderata in eſſe entis, & qualitatis non fit vnum per ſe, ſed vnum per accidens in creatis: etiam ſi ſpecies ſit ſubſtantia ſicut contingit in Angelo, & cum intellectus ſit accidens, ex illo, & ex ſua ſubſtantia in eſſe entis fit compoſitum accidentale, at ſi ſpecies eſſet accidens ex illa, & ex potentia cognoſcitiua, etiam fieret concretum accidentale, ſicut contingit quoties vnum accidens eſt in alio, ſicut in ſubiecto; quæſtio ergo procedit conſiderata ſpecie in eſſe intentionali, quatenus continet eandem naturam obiecti ſpecie, & numero, quomodo fiat vnū ex potentia cognoſcitiua, vt cognoſcitiua formaliter, & ex ſpecie

vt

vt est cōtinentia identica cum obiecto; nam eo modo quo fuerit factum vnum ex potentia, & specie, fiet vnum, ex potentia, & obiecto repræsentato. Cardo ergo totius difficultatis deuoluitur in dictum Auerrois lib. 3. de anima comment. 5. *Ex intelligente, & re intellecta fit magis vnum quã ex materia, & forma.* An scilicet sit verum, & quomodo sit intelligẽdum.

2 Dicendum igitur. Ex potentia cognoscitiua vt tali, & obiecto quodammodo, ideſt in esse intentionali fit magis vnum, quam in esse phisico fiat vnum ex materia, & forma, quia quodammodo, ideſt in esse diminuto, & intentionali fit vnum per identitatem. Sic grauissimi Thomistæ p. p. qu. 79. art. 2. & videtur concluſ. esse de mente Arist. ait enim lib. 3. de anima text. 14. *Intellectus potentiæ quidem est quodammodo intelligibilia ipsa.* Et tex. 17. *Intellectus talis est vt omnia fiat*, & ioquitur de intellectu possibili, sed fieri aliud à se, si non fit per identitatem aliquo modo, ideſt intentionaliter verificari non potest, quia per solum recipere aliquid componendo cum illo non verificatur quod hoc fiat illud, ergo sentit Arist. nostram conclusionem. Potest confirmari ex Arist. ibi tex. 8. vbi ait: *Quod intellectus factus vnum quodque est scicns*, ergo quia intellectus media specie impressa, aut expressa fit obiectum, sed sine identificatione aliquali saltem in esse intentionali non fit vnum alterum, ergo. Conf. 2. ex Arist. 12 metap. text. 10. lect. 11. apud D. Th. *Cum igitur non sit diuersum ab eo, quod intelligitur, & intellectus, quæcumque non habent materiam idem erunt.* Vbi D. Th. *Cum igitur intellectus in actu, & intellectum non sint alterum, in his quæcumque materiam non habent, manifestum est quod in substantia prima, quæ maxime remota est à materia maxime idem est intelligere, & intellectum.* Ex quibus sic formari potest argumẽtum. Arist. ex eo probat in Deo idem esse intellectum, & id quod intelligitur, & Deum esse intelligibile subsistens, & cognoscens seipsũ per se ipsum, quia quodlibet cognoscens, secundum quod est immateriale, est idem cum obiecto intelligibili, ac per cõsequens, si Deus est maxime immaterialis, in quo non distinguitur esse intentionale, a suo esse phisico erit maxime idem intellectus, & id quod intelligitur, sed hoc argumẽtum non concluderet intentum; si quodlibet intelligẽs eo ipso quod intelligit in linea intelligibili, & intentionali non fieret idem cum obiecto media specie, sicut si intelligens eo ipso quod intelligit, & formar verbum, non generaret saltem intentionaliter verbum mentis, nõ esset efficax argumentũ (immo nec apparens) quod processio Verbi diuini, quia procedit per intellectum, maxime, & substantialiter talẽ est generatio, ergo

ergo dicendum est de mẽte Arist. esse, quod cognoscens media specie fit quodammodo, id est intentionaliter ipsum obiectum per identificationem, non quidem phisicam, sed intentionalem.

2 Hoc ipsum docet D. Th. dum ait: *Ex intellectu, & specie seu obiecto, non resultare tertiam naturam, seu compositum* Sic. 3. cont. gen. c. 51. & q. 8. de verit. a. 1 & in 4. dist. 4. q. 2. art. 1. in compendio Theologiæ cap. 105. sed obiectum media specie actuat intellectum, & perficit, ergo si non perficit per compositionem, perficit per identitatem, maxime cũ non faciat compositionem cum his, quia hæc est ex natura, & termino, maximè cum non resultet tertia natura, sed constituat in ratione naturæ intelligibilis, ergo per identitatem, quod explicuit opusc. 14. in fine dum ait: *Anima quasi transformata est in rem per speciem quam egit*, Ergo obiectum actuat intellectũ non componendo, sed transformando ipsum in rem intellectam. Confir. maior, quia D. Th. in terminis tenet nostram conclusionem. *Quod anima mediante specie est quodammodo ipsa quidditas, rei intellectæ.* Sic quodlib. 8. art. 4. qu. 2. de verit. art. 2. sed si est quidam modus quo intellectus, fit ipsa quidditas rei intellectæ, nõ potest esse alius quam quod in esse intentionali fiat intellectus res intellecta media specie per identitatem intentionalem, ergo.

3 Prob. mat. desumpta, ex auctoritatibus Arist. iam relatis. Intellectus possibilis diffinitur per posse fieri alia a se in quo consistit eius perfectio, vt eleganter explicat D. Th. q. 2. de verit. art. 2. scilicet, vt sicut vniuersum habet in se omnia in esse naturali sic intellectus fiat alia à se in esse intentionali. *Ita vt in anima describatur totus ordo vniuersi, & causarum eius*, sed vnum fieri aliud consistit in entitate, ergo si essentia intellectus, cõsistit in fieri quodammodo omnia, id est in eo quod in esse intentionali fit alia à se per identitatem intentionalem, & non per compositionem fiet hoc (Inter hos aut in duos modos non est dare medium) Prob. conseq. nam quod tantum habet aliud per modum formæ cum qua componit, non dicitur fieri illam formam, sed potius formam illam fieri ex subiecto, ideoque Arist. lib. 1. phisic. materiam primam, quæ potens est ad habendas omnes formas materiales, aut materiali modo informantes, & cum materia componentes, non dixit esse potentiam ad fieri ipsas formas, sed potius esse primum subiectum ex quo fit aliquid cum insit, ergo si Arist. diffinit intellectum non per hoc quod ex ipso, aut in ipso fiat intelligibile obiectum, sed per hoc quod fiat ipsum intelligibile, sequitur sentire quod per identitatem intentionalem, licet non per identitatem phisicam sit quodammodo ipsum obiectum.

4. Conf.

4 Couf.1.Si fieri alia à se in intellectu, & qualibet alia potentia cognoscitiua, solum consisteret in eo quod intellectus reciperet formam obiecti in esse repræsentatiuo per informationem intentionalem, & non per identitatem, non esset ratio quare, quodcumque subiectum recipiens formam alicuius rei in esse phisico nõ diceretur fieri talem rem in esse phisico, v.gr. lignum recipiens qualitates tangibiles, calidi, & frigidi, non diceretur fieri ipsum sensibile, & tangibile in esse phisico, ergo si hoc non verificatur in esse phisico, quia solum recipit qualitates sensibiles per informationem, & non per identitatem, sequitur quod vt dicatur, quod tactus fit ipsum tangibile, quodammodo recipiendo qualitates illas in esse diminuto, & intentionali, non solum habet eas per compositionem, sed etiam per quandam identitatem ℣. Conf.2. Si ad sensationem, & cognitionẽ sufficeret recipere formam obiecti sensibilis, aut cognoscibilis per informationem, & non requireretur, quædam identitas non esset ratio cur lignum recipiens qualitates frigidi, & calidi nõ sentiret, sicut fiat tactus recipiendo eas solum per informationem intẽtionalem nam in eo casu lignum fit in actu per qualitates phisicas tangibiles, & similis fit illi per easdẽ qualitates, & sic haberet lignum esse actu simile rei tãgibili in qualitatibus sensibilibus, at quod simile similicognoscitur, & quòd cognitio fit per assimilationem certum est, ergo ratio ob quam lignum non est sensibile earum qualitatũ est, quia nõ habet eas modo speciali habendi qualitates sensibiles, at iste modus non est alius secundum Arist. & D.Th.3. de anim. text. 124. & 1.p.qu.14.ar.1. nisi quia cognoscens per suam immaterialitatem potest habere formam obiecti, & fieri illud, sed quia dum recipit qualitates phisicas per solam informationem, non fit illud phisice, nec phisice potest etiam cũ alio identificari, necesse est quod cognoscens recipiat formam cogniti sine materia, vt sic possit fieri vnum, & idem cum illo in esse intentionali, & immateriali, in quo sublata materia, & quantate, non est absurdum etiam idẽtificari cum alio quodammodo, id est non in esse phisico, & naturali, sed in esse intentionali.

6 Prob.3. conclus. ratione Caiet. Quod ex genere suo habet esse vnum cum altero, & non importat per se, & ex suo genere distinctionem, aut principia distinguendi, sed solum per accidens, & in genere extraneo: necesse est quod in eo genere dicat identitatem, & indistinctionem ab illo cum quo habet per se vnitatem, sed obiectum cognoscibile, per se, & ex suo genere dicit esse vnum cum intellectu, quatenus intelligens, & cum potentia cognoscitiua in quantum cognoscens, & in hoc genere nullum dicit principium

pium distinguens vnum ab altero sed tota distinctio se habet per accidens, & in alio genere, ergo cognoscens, vt tale, & obiectum cognitum identificantur in genere intentionali, & intelligibili; mai. videtur certa, quia vnitas vnius cũ altero absque vlla distinctione in alioque genere, & absque principio distinguendi in illo genere identitas est in tali genere; mi. autem prob. Obiectum cognoscibile, vt cognoscatur per se petit esse principium specificatiuum cognitionis ex 12. metaph. propter quam est potentia cognoscitiua, vt dicitur 2. cæl. text. 17. alias natura cuiuscumque operantis petit constitui in actu, & in specie vt operetur, vt dicitur 3. phisic. & intellectus petit quod iste actus fit ad intra, ergo petit quod fiat obiectum vnum cum potentia cognoscente intrinsece constituens in actu ipsum cognoscens eiusque potentiam ad cognitionem. Tunc vltra, sed principium distinctiones inter cognoscens, & cognitum supposita illa vnione quam habent cognoscens, & cognitum per modum specificantis, & specificabilis, per modum formæ, & formabilis, actusque, & potentiæ cognoscitiuæ non prouenit ex eo quod sint cognoscens, & cognitum; sed ex eo quod vnum substantia, & aliud sit accidens, quæ sunt differentiæ in linea entis, non verò intra lineam cognoscentis, & cogniti, cum possit substantia cognosci ab accidenti, & accidens à substantia, ita quod linea entis, aut esse accidens, vel substantiam accidat cognoscibili, & cognoscenti in quantum talia, ergo vnitas cognoscibilis cum cognoscente, eiusquè vnitas requisita vtrunq; inter vt fiat cognitio ex suo genere dicit vnitatem sine vllo principio distinctionis intra hoc genus, & si inuenitur ibi distinctio, est peraccidens, & in alio genere; prob. mai. quia cognitum non specificat cognitionẽ, quatenus accidens aut substantia est, sed quatenus potest esse vnum cum cognoscente in linea cognoscibili.

6 Conf. Quò est maior vnitas inter cognoscentem, & cognitum eò perfectior est intellectio, ideoque si identitas sit summa, & omnibus modis est perfectissima intellectio vt patet in Deo, vt notat Diuus Thom. 1. par. q. 14. ar. 4. ergo vnitas per se exacta inter cognoscens, & cognitum in genere cognoscibili per se identitas est in illo genere, & excludens distinctionem, etsi aliqua misceatur distinctio peraccidens est, & ex vi alterius generis; prob. conseq. nam si genus cognoscibile ex se non admitteret, & peteret aliqualem identitatem, non saluaretur perfectior cognitio, quo est minor distinctio sicut perfectio resultans ex compositione substantiali, quia excludit identitatem ex vi compositionis, non saluatur perfectius quo est maior vnio crescens vsque ad identitatem, & ideo in Deo vbi est summa vnitas, non

est

est summa compositio, neq; perfectio eius consistit in sūma compositione, sed potius in summa simplicitate; ergo si genus cognoscibile, ex se diceret compositionem, aut non afferret identitatē in sua linea, non esset perfectior cognitio, quo magis idētica esset vnitas cognoscentis, & cogniti. §. Conf. 2. Si ex genere suo non importa. ret cognoscibilitas aliqualem idēritatem, & distinctionem peraccidens, & ex necessitate materiæ non importaret, non posset colligi, quod quia in Deo est perfectissima cognoscibilitas excludens imperfectionē omnē, est omnimoda identitas inter cognoscēs, & cognitū: quia illa linea importaret ex se distinctionē, & per consequens crescente perfectione lineæ ex se perfectæ crescere ret distinctio, vt patet in relationibus, quæ quia important distinctionem, & oppositionem ex quo perfectissime sunt in Deo non tolletur distinctio, sed potius magis argūitur, & infertur. Prob. hoc sapientia, quæ est perfectio simpliciter simplex ex suo genere non diceret aliquam cognitionem rei per altissimas causas, & importaret ex se discursum causalitatis, non sequeretur quod ex quo est in Deo perfectissima, debet esse sine discursu causalitatis, nec posset dici quod sapientia obicumque reperitur necessario dicit cognitionem rei per causam altissimam, & quod cognoscere hoc per formalem discursum de materiali importatur vbicūque reperitur, & non ex genere sapientiæ, ex quo solum exigitur cognitio per talem causam, ergo similiter si genus cognoscibile ex se, & non peraccidens, & ex necessitate materiæ afferat distinctionem, non posset dici, quod quia in Deo est perfectissima cognitio est summa idēnitas, nec potest negari quod vbicumq; est cognitio, est aliqua identitas cum cognito, sicut si est sapientia est cognitio aliqualis per causam, & quod si est distinctio, hæc non est de genere cognoscitiuo, sed in alio genere entis, & ex necessitate materiæ proueniens, quia in creatis, non potest vniri cognitum cum cognoscente, nisi mediante specie accidentali, aut si hoc non exigitur sicut in Angelo cognoscente se, quia intellectus debet esse accidens tali substantiæ superadditum.

7 Si dicas quod ex quocumque capite proueniat distinctio tollit identitatem, & ideo si semel concedimus in nobis ex necessitate materiæ esse realem distinctionem inter intellectum, & speciem in qua est obiectum intentionaliter: non poterit saluari identitas inter intellectum, & obiectum, etiam intentionalis, sicut, & si inter Petrum, & Paulum non sit principium diuersitatis formalis, ex cōceptu naturæ specificæ, sed potius ex vi illius generis sit vnitas formalis, tamen non est identitas formalis in ratione specifica inter Petrū, & Paulū, quia necessitate

te materiæ est distinctio realis inter Petrũ, & Paulum, ac proinde etiam ratio hominis est diuersa realiter formalitas in Petro, & Paulo, & soluitur identitas, ergo similiter si inter intellectum, & speciem est distinctio realis, etiã in ratione, & linea intentionali erit distinctio.

8 Sed cont. est quod, & si hinc possemus concludere quod inter intellectum, & obiectum in illa contentum solum est idẽtitas negatiua in esse intentionali, non autem positiua, & hoc solum intẽdere Caiet. facile posset ostendi, ex verbis eius, tamẽ potest stricte defendi inter intellectum, & obiectũ esse identitatem positiuam in esse intentionali stante distinctione reali entitatiua inter intellectũ, & speciem, & contra responsionẽ tradicam stat argumentum manifestans disparitatem, & si enim ex quocumque capite proueniat distinctio entitatiua realis, soluat necessario identitatem entitatiuam realem, tamen non est necesse soluere identitatem intentionalem, ergo admisso exemplo responsionis adhuc stat nostrum fundamentum; prob. ant. Tum quia stante entitatiua identitate inter intellectum, & obiectum potest esse distinctio intentionalis in sententia opposita, cum Angelus cognoscit suum intellectum, quia est in diuerso genere linea intentionalis, & entitatiua, ergo etiã stante distinctione entitatiua inter intellectum, & speciem continentem obiectum, poterit esse idẽtitas intentionalis, quia sunt in diuerso genere. Tũ etiam, quia identitas positiua intentionalis, solum dicit vnum esse aliud repræsentatiuè, & in esse diminuto, & quasi secundũ quid, at distinctio simpliciter nõ tollit in genere entis identitatem secũdum quid, ergo multo minus identitatem intentionalem. Tũ etiam linea cognoscitiua ratione immaterialitatis tollit limitationem impedientem, ne vnum fiat alia à se diuersa, ergo quod est positiue in linea intentionali positiue, & non tantum negatiuè dicit principium identitatis remouendo principium limitationis, sed per hoc, quod entia fiũt cognoscibilia, & cognoscitiua supergrediuntur, & eleuantur supra materiam, ergo supra principium distinctionis, & imitationis tollentis identitatem, quod genus quia ratio specifica non supergreditur, quia est in linea entis, non consequitur identitatem formalem, stante distinctione individuorum: ergo, & si non ster idẽtitas positiua formalis inter Petrum, & Paulum, in ratione specifica, stabit identitas positiua intentionalis inter potentiam cognoscitiuam, & obiectum, etiã stante distinctione entitatiua inter potentiam cognoscentem, & obiectum, & ideo dixit Caiet. citat. loco 1. p. q. 14. ar. 1. in fine, *nõ esse iudicandum tamquam de aliis rebus, cum de cognoscente, & cognoscibili tractatur, sed oportere ele*

*ua-*

*uare ingenium, & alium rerum ordinem ingredi.* Ac per consequens ex ordine rerum naturalium, non valere exempla translata ad ordinem intentionalem.

9 Deniq; prob. concluſ. Obiectum cognoſcibile media ſpecie vnitur potentiæ cognoſcitiuæ, & non per inhærentiam, aut puram terminationem, cum eam conſtituat in actu per modum formæ intelligibilis, cum tamen terminus ſupponat naturam conſtitutam, eamque compleat: ergo ſi vnitur obiectum per identitatem vnitur tali potentiæ, prob. aut. pro. 1. parte (nam pro ſecunda iam ibi probatum eſt) vniri per informationem, & inhærere. Eſſe per ſe, & in alio ſunt differentiæ entis in linea entitatiua; ſed obiectum, & potentia, vt talia formaliter ſunt in linea cognoſcitiua, & intentionali, & non in entitatiua, ergo vnio obiecti cum tali potentia nõ eſt per inhærentiam, cõſeq. prob. Quod vnitur alteri fit vnum cum illo, ergo ſi vnitur non inhærendo, aut terminando (neque per modum partis integralis, vt modo ſuppono) neceſſe eſt vniri, & vnum fieri ſine cõpoſitione, quæ ſolum reſultat ex eo quod fit vnio inhærentiæ, terminationis, aut integrationis, ergo nõ cum diſtinctione, nam vnio diſtinctorũ manente diſtinctione facit compoſitionem, ergo ſi hæc vnio eſt ſine compoſitione eſt cum identitate. Quod verõ ſpecies, qua parte eſt obiectum intẽtionaliter nõ inhæreat. Cõſtat etiam ex verbis, Caie. 1. p. 36. art. 1. vbi rationem reddit: dicendo hoc accidere quatenus ſpecies eſt accidens, quia ſi eſſet ſubſiſtẽs, nihilominus ad eundẽ effectũ concurreret, & deniq; conſtat, quia ſi de ratione ſpeciei vt talis eſt, eſſet in hærẽtia nec in Deo, nec in Angelo poſſe inueniri ſine inhærentia, ſicut hac ratione qualitas non inuenitur ibi, quia repugnat ibi inhærentia, ergo ſequitur hanc vnionem eſſe per identitatem.

10 Con. noſtram concluſ. quam defenſant grauiſsimi Thomiſtæ non ſine multa probabilitate, vt Ferrar. 1. cont. gen. c. 44. Hæduæus quodlib 7. q. 18. Silueſter 1. p. qu. 14. art. 1. Arg. 1. ex pluribus teſtimoniis D. Th. ait enim 1. p. q. 14. art. 2. *Quod intellectus in actu informatur ſpecie ſenſibilis, aut intelligibilis*, Sed vnio per informationem dicit diſtinctionem, & tollit identitatẽ, nihil enim informat ſe ipſum, ergo ſpecies pro formali, quo obiectum continet, & actuat intellectum, & ſenſum non dicit identitatem obiecti, cum potentia cognoſcitiua ſecundum D. T. §. Cõf. Cũ dicitur quod intellectus in actu fit intellectu in actu. *Non eſt intelligendum quod ſubſtantia intellectus ſit ipſa ſimilitudo, ſed quia illa ſimilitudo eſt forma eius, & fit vnio ex illis ſicut ex actu, & potẽtia.* Sic 1. p. q. 55. ar. 1. ad 2. & q. 85. ar. 2. ad 1. & q. 87. ar. 1. ad 3. *Quod ex illa vnione fit vnũ perfectum,*

*fectum, sicut ex anima, & corpore, non tamen ita quod species illa fiat substātia intellectus, vel pars eius nisi formalis, sicut nec anima, & corpus.* Sic in 4. distin. 49. q. 2. ar. 1. ad 10. vbi hoc idē clarissimē cō firmat, & quodlib. 7. ar. 2. in corp. dicēs. *Quod cū dicitur intellectū esse omnino intelligibile intelligēdū est, non quod essentia intellectus sint res intellecta, vel species eius, sed quia cōplete informatur per speciem rei intellectæ dum eam actu intelligit.*

11 Resp. In primis D. Th. in omnibus illis testimoniis solū docere quod potētia cognoscitiua nō fit obiectū in esse entitatiuo, & idem cū illo per essentiā, & substātiam, quæ sūt formalitates rei in esse entis per informationē speciei, quæ entitatiuè est, quid accidentale. Cū autē vrgetur, quod docet D. Th. quod illa similitudo informat intellectum, Resp. ex doctrina D. Th. iam tradita 12. metaph. ad tex. 39. quod informatio intentionalis causat identitatem, licet physica informatio arguat, & inferat distinctionem. Vndē iterum repetenda est doctrina Caiet. Quod cum tractatur de potentia cognoscitiua, & obiecto cognoscibili, non est iudicandum sicut de aliis rebus, sed esse elevandum intellectum, & alium ingrediendum rerum ordinem, & licet informatio entitatiua arguat distinctionem, intentionalis arguit identitatem, quia illa informatio non est per inhærentiam, sed per transformationem vt etiam docet D. Th. opus. 14.

12 Arg. 2. Potentia cognoscitiua fit vnum cum obiecto mediante specie cum qua fit vnum, sed hæc est imago, & similitudo obiecti; similitudo autem, & imago dicit relationem realem ad terminum, ergo distinguitur realiter ab eo, ad quod dicit relationem, ergo potentia cognoscitiua vt talis in esse intentionali media specie non obiecto. Tum etiam similitudo fundatur in vnitate distinctorum, ergo. Resp. quod ad hoc sufficit distinctio entitatiua quamuis sit identitas intentionalis, & sic vnitas distinctorum saluatur ad similitudinem, vnitas inquam identitatis intentionalis, cum distinctione entitatiua, hoc enim exigit ordo rerū intētionalium, nam, & in Diuinis, cum vnitate reali naturæ, reperitur verò ratio imaginis in verbo, & relatio solum stante distinctione suppositorum quamuis non in omnibus teneat exemplum; sed tenet quantū ad intētum, sufficit enim quod possit fundari relatio imaginis, & similitudinis in vnitate identitatis, dum aliunde inueniatur, quod hæc vnitas sit in alias distinctis, & diuersis, quanto magis poterit saluari in vnitate identitatis intentionalis, quæ valde diminuta est?

13 Arg. 3. Si ex cognoscēte, & cognito fit idē in esse intētionali media specie, ergo intellectus beati fit ipsa essētia diuina sed hoc

negat

negat Diu. Thom. in 4. distin. 49. quæ 2. articul. 1. ad 10. ergo. Tum etiam si eadem forma obiecti posset esse in re, & in intellectu, idem numero accidens posset esse in duplici subiecto distincto naturaliter, sed hoc est falsum, ergo Denique si media specie impressa intellectus cognoscens fieret homo, etiã fieret idem homo per speciem expressam, ergo bis fieret idem, & sic contingere illud mirabile, quod homo, & homo intentionaliter nascatur in ea potentia intellectiua, sed hoc incredibile apparet, & absurdum ergo, §. Respo, quod Beatus fit Deiformis, per transformationẽ intentionalem, non per naturam, & essentiam, & hoc secundum negat D. Thom. Ad 2. neg. sequel. quid enim est consequentiæ, si intellectus fit obiectum, quod in esse reali idẽ accidens fit in subiecto eodem, non enim in isto casu subiectum fieret accidens, per identitatem, nec intellectus fit obiectum ita vt illud inhæreat intellectui, & indiuiduetur per illud, & ideo non est ad rem obiectio. Ad 3. Non sequi quod idem intellectus fiat duo homines, dum cognoscit eundem, seu quod bis fiat idem, sed quod fiat idem diuerso modo, in actu primo per speciẽ impressam, & in actu 2. per speciem expressam modo explicato qu. ant. de quo etiam potest videri Ferrar. con. gent. cap. 11.

14 Arg. 4. Intellectus humanus est infimus inter omnia intellectiua, sed quia Deus, est supremus identificat obiectum, vt intelligibile, tam in actu primo, quam in actu secundo, Angelus verò, quia deficit ab illa perfectione identificat in sua substantia rationẽ intelligibilis in actu primo, ideoque cognoscitur per se sine speciẽ superãddita, ergo intellectus humanus, quia infimus non identificabitur cum obiecto etiam quatenus in actu primo continetur in specie §. Conf. Intellectus factus in actu per speciem specificatur ab obiecto, dicitque relationem ad illud in esse cognoscibili, & intentionaliter. Tum etiam numquam intellectus habet eadem prædicata quidditatiua obiecti, quia non est actus neque obiectum fuimet, ergo non est idem cum obiecto in esse intentionali, §. Resp. quod ex summa immaterialitate Dei prouenit, quod intellectus idẽtificet etiam in esse rei suum obiectum etiam in actu 2. & quia Angelus, est medius sequitur quod identificet etiam realiter rationem speciei in sua substantia, quorum neutrum identificat homo. Cæterum inde non sequitur non posse intellectum humanum in esse pure intentionali identificari cum obiecto cognito, §. Ad 1. Conf. Resp. quod intellectus factus in actu, vel non specificatur ab obiecto, vel specificatur per idẽtitatem, & nõ per depẽdentiã realẽ, nã Caiet in hac ipsa specificatione fundat idẽtitatẽ, quia in hoc alio ordine

rerum intentionaliũ ſpecificatiuũ poteſt identificari cum ſpecificato; vel vt ſaluetur ſpecificatio intellectus ad obiectũ cũ quo idẽtificatur intentionaliter ſufficit diſtinctio realis in eſſe entitatiuo, & quod identificatio fiat non per conuenientiam intellectus reſpectu obiecti, ſed per transformationem in ipſum. ℣. Ad 2. quod denominationes illæ reduplicant diuerſas, & oppoſitas formalitates, ideoque etiam ſi identificetur obiectum cum potentia intentionaliter, non dicitur quod intellectus eſt obiectum, ſed quo fit obiectum, & ſit homo qua nuis ſi concedatur quod eſt obiectum cum addito, ideſt in eſſe intentionali, in quo transformatur in eius quidditatem, nõ eſſet abſurdum.

15 Nota nos non rõ tueri hanc concluſionem, quia intellectio, eſt actio immanens, aut quia eſt generatio imperfecta verbi, aut quia non per ſe poſſet cõuenire alicui rationi inferiori, quod rationi ſuperiori conuenit peraccidẽs, ſed quia intellectus operando ad intra generat verbum mentis factus in actu, & factus vnum cum obiecto, abſque compoſitione, inhærentiæ, integritatis, aut terminationis, & quia hoc conuenit per ſe cognoſcentibus inferioribus, etiam ſenſitiuis, & ideo rationes, quæ contra noſtram ſententiã inſtruuntur oſtendendo, quod non ſequitur identitas inter potentiã cognoſcitiuam, & obiectũ, ex eõ quod agit actione immanẽti, aut generando verbum internum mentis, aut quia diſtinctio, peraccidens contingens, in linea ſuperiorum intelligentium, nullum habent robur contra nos; licet nonnulla explicuerimus per id quod competit generi cognoſcitiuo in ſupremo cognoſcente.

## QVÆSTIO XLIX.

*An ſpecies impreſſa quatenus in ſe continet obiectum, effectiuè concurrat ad formationem notitiæ, & quomodo?*

1 DVAE extremæ ſententiæ cauendæ ſunt in præſenti, quarum vna aſſerit obiectum, mediante ſpecie, non actiuè, ſed ſolum terminatiuè concurrere, cui reduci poſſunt etiam Neoterici aſſerentes ſolum concurre ſpeciem, vt conditionem requiſitam ad cognitionem, ſolum ſe tenendo ex parte efficientis principij. Altera aſſerit ſpeciẽ eſſe totam rationem agendi cognitionem, potentia cognoſcitiua merè paſſiuè ſe habente, ſicut cadon in aqua, eſt tota ratio calefaciẽdi. Alii autem Philoſophi cum D. Thom. & Scoto media via incedunt, exiſtimantes ex ſpecie, & potentia cognoſcitiua, ſicut vnum principium completum agendi, vtroque in ſua linea effectum è concurrente; & ſolum diſcrepant in explicando, an ille concurſus eſſectiuus ſit partialis, aut totalis in suo genere, & an ſpecies

ſe

se teneat solum, ex parte obiecti, an etiam se teneat ex parte potentiæ, quatenus concutrit ad cognitionem.

2 Certum autem debet esse, quod species se tenet ex parte obiecti repræsentatiuè, & intentionaliter, cū sit eius similitudo, etiam certum est, quod se tenet ex parte potētiæ inhęsiuè, & entitatiuè, cum sit in illa tanquam in subiecto, sed quia intētionaliter, est forma intellectus, & sensus constituens in actu primo etiam intentionaliter, se tenet ex parte potentiæ, nō ita vt sit tota ratio agēdi, vt quo fiat forma substantialis, quæ informat materiam primam: sed vt determinatio, & primus actus potentiæ cognoscitiuæ non quidem vt operatiua est, quia sic intellectus, & sensus non sunt pura potentia, siquidē supponunt animam sensitiuam, & intellectiuam, quæ sunt radicaliter actiuæ, & cognoscitiuæ, sed assimilatiuè, & intentionaliter, quatenus omnis cognitio fit per assimilationem, & per receptionem obiecti media specie. Quo supposito licet in Phisicis lib. 2. qu. 12. num. 17. aliter docuerim tamen hic tanquam in propria sede velut ex proposito rem tractantes pro resolutione.

3 Dico potentiam cognoscitiuam, & tam speciē impressam effectiuè cōcurrere ad cognitionem, non partialiter, sed totaliter per modum duplicis causæ superioris, & inferioris, sicut sol, & homo generant hominem, sic obiectum media specie, & potentia cognoscitiua generant notitiam, & cognitionem obiecti.

4 Et quidem ab obiecto, & potentia pari, seu producit effectiuè notitiā, expresse constat, quia notitia, est vitalis actio, ergo radicaliter fit ab anima mediante potentia vitali cognoscitiua; alias non potest non fieri ab obiecto media specie, quia est imago obiecti, & hæc causatur effectiuè, & procedit ab eo cuius est imago vt docet D. Tho. p. p. qu. 34. art. 1. per totum, at obiectum influere non potest, nisi quatenus ponitur intra potentiam, quia de ratione actionis immanentis, & eius termini, maximè si sit vitalis, est quod ab intrinseco principio efficiatur, & obiectum non ponitur intra potentiam cognoscitiuam, neque actuat eam nisi quatenus mediante specie actuat potentiam: ergo species, & potentia, & obiectum media specie, & simul potētia actuata obiecto effectiuè causant notitiam, seu cognitionem, nec sufficit dicere quod species solum applicat obiectum potētiæ, Nam est forma tantū ad extra sine materia, vt tapē dixi ex Arist. hic tex. 121. ergo species non est applicatio, sed ipsa forma obiecti in alio esse, Vnde quando obiectum non causat speciem, vt in Angelis, & in intellectum nostro obiectum, vt ad extra est in se non causat notitiam effectiuè, sed vt est in specie, actuat determina-

riuata ab ideis, vt cõtingit in Angelis, aut ex intellectu agente, vt contingit in nobis.

5 Quod autem obiectum nõ partialiter cum potentia, sed in genere causæ totalis concurrat tenent Caiet. p.p.q.79.art.2.circa finem contra Scotum (vt ipse refert) cum aliis Thomistis, & ratio est, quia ea concurrunt partialiter, quæ sub eodẽ ordine, & modo causant partem effectus, aut partem virtutis apponunt, at potentia in ordine agentis, est virtus animæ cognoscitiuæ, & in suo ordine cõpleta est virtus, species autem quantum ad specificationẽ, quod sit huius, vel alterius obiecti, lapidis, aut equi habet etiam adæquatam rationem, ex quo non est ille concursus partialis. Conf. Tunc est partialis concursus, quando sub eadem ratione causatur effectus a duobus, vt cum a pluribus trahitur nauis, at cũ idem effectus totus sub diuersa ratione causatur, quælibet causa totalis est, vt patet in Sole, & homine generantibus, vbi Sol totum effectum causat sub ratione corporis, & homo totum sub ratione talis, scilicet corporis humani, sed intellectus causat notitiam, quatenus est vitalis cognitio, seu operatio sensitiua, aut intellectiua, quia ad hoc est adæquata virtus proxima animæ sensitiuę, aut intellectiuæ, & similiter quantum ad specificationem, quam habet notitia ab obiecto species est adæquata virtus obiecti, ergo sub diuersa omnino ratione, causant notitiam potentia cognoscitiua, & obiectum, ergo non vt causæ partiales, sed totales.

6 Quia tamen ex potentia, & obiecto media specie fit magis vnum quam ex materia, & forma, vt iam ostensum est intellectus, & obiectũ licet in esse entis sint duo principia actiua, tamen in ratione causandi vnum principium efficiuntur, sola quasi ratione differentes, quod, & insinuat Arist. cum D. Thom. hic text. 141. docens eandem actum esse sensitiui, & sensus differens ratione, ex eo maxime quod est ab vno principio concurrente sub diuersa ratione.

7 Sed quia intellectus est principium quo intelligendi, & species vt cõtinet obiectũ se habet, vt forma actuans, & quo ad hoc sicut calor in aqua, quod sæpe repetit D. Tho. 1.p.q.56.art.1. & q.85.art.2. posset dici quod intellectus est principiũ quo in sua linea respectu notitiæ, & intelligens, est principium, quod formaliter influit, at species, & obiectum prout est in ea se habet vt principium quod agit, & specificat notitiam, & intellectus, & intelligẽs, vt principium quod, seu subiectum denominationis, sicut aqua respectu calefactionis, ita quod intelligens est principiũ effectiuum totale, intellectionis, vt intellectio est, & intellectus, vt principium quo, at species, & obiectum in sua linea, vt principium quod,

quod, & sic quatenus intelligens medio intellectu identificatur cũ obiecto intentionaliter, est vnum principium, quod intelligendi, & simul specificandi, & obiectum, etiam intelligendi, sed sub diuersa ratione, vt dictum est, & cũ diuersis etiam entitatibus, vt ex dictis constat.

8 Con. nostram concl. Arg. 1. ad probandũ, quod species impressa, quatenus continet obiectũ non potest effectiuè causare notitiam. Quia secundum esse phisicum accidentale, non potest illa species causare notitiam siquidem hæc non specificatur à specie in esse entis considerata, neque verbum est similitudo expressa entitatis speciei, at esse intentionale non potest exercere causalitatem effectiuam, quæ phisica est, ergo species non concurrit phisicè ad productionem notitiæ. Confir. Causa effectiua exigit existentiam phisicam in principio effectiuè causante, sed obiectum non existit phisicè in specie impressa, sed solum intentionaliter, ergo species prout continet obiectum non causat effectiuè notitiam. Confirm. 2. Obiectum prout in specie concurrit specificatiuè ad notitiam, ad hoc enim solũ vnitur cum potentia, media specie, vt tenet Cai. p. p. q. 14. art. 1. circa finem, sed specificatiuũ, vt tale non efficit, quia sic solum habet rationem formæ, & mensuræ: ergo. Denique, vt volũtas prodeat in actũ sufficit aplicari eius obiectũ ab intellectu, quin intellectus, aut obiectum sic applicatum, effectiuè causet operationem voluntatis, & amorem: ergo, vt intellectus formet notitiam sufficit, quod per speciem applicetur obiectum intellectui, quin causet effectiuè notitiam, prob. conseq. Nam si ob aliquid hoc esset necessarium in intellectu, maximè quia notitia speciem habet a specie, & ab obiecto, sed etiam amor specificatur ab obiecto intellecto, ergo.

9 Resp. quod esse pure intentionale non potest efficere in linea pure phisica cõced. in linea intelligibili, & intentionali, neg. Vel aliter ratione sui conced. ratione eius, quod habet ab obiecto, secundum quod est in se, aut secundum quod ab intellectu agente formatur in specie nego. Sin enim est virtus phisica obiecti, quamuis sit formalis similitudo intentionaliter vnde causat, nõ per esse intentionale formale, sed per esse virtuosum phisicum. ℣. Ad 1. Cõfir. quod vt causa effectiua causet sufficit, quod vel in se existat, vel eius virtus existat, species autem licet sit formalis similitudo, est tamen virtus causatur obiecti in ordine ad notitiam, & ideo existente specie in intellectu, potest obiectum, quod in se ad extra, non existit causare effectiue notitiam. ℣. 2. Ad quod specificatiuũ quod se tenet ex parte termini non efficit, at quod se tenet ex parte principij per modũ formæ afficit, hoc enim est de ratione prin-

ci-

cipii formalis efficere non primo, & per se secundum quod specificat, sed ex consequenti dando formam, & esse physicum, dat existentiam, & sic docet D. Thom. 1.2. q.1.art.3. & alibi sæpe actionem specificari a suo principio effectiuo, ℣. Ad vlt. resp. non esse eandē rationem, quia amor non est formaliter assimilatiuus, ideoque non exigit quod fiat effectiue ab obiecto, sed sufficit specificari ab eo, vt applicato per intellectum, at obiectum in specie, ne dum specificat notitiam, sed assimilat eā sibi in termino, nempe in verbo mentis, & ideo requiritur, quod influat effectiuè in notitiam, quia verbum imago est, & sic dicit dependentiam effectiuam, ab eo cuius est imago, id est ab obiecto in specie. Sed resp. quod amor non pendet ab obiecto; tamquam à forma intrinseca intrinsecè constituente voluntatem in ratione potentiæ appetitiuæ, & ideo solum pendet ab intellectu, tamquā a conditione applicante causam formalem, & finalem specificantē, & finalizantem absque efficientia aliqua, at species constituit intellectum per modum formæ intrinsecæ, de cuius ratione est ex consequenti efficere, vt patet in qualibet forma intrinseca, quia operatur in quantum est in actu per formam, ideoque efficit notitiam ipsa species, quatenus continet obiectum.

10 Arg. 2. ad idem Principiū non vitale non potest effectiue cōcurrere ad actum vitalem, quia hic ab intrinseco petit esse dimanationem a principio vitæ, sed notitia est vitalis actus, & species, est non vitalis, cum sit ab extrinseco, & virtus obiecti extrinseci, & sæpe non viuentis, ergo species non potest effectiue cōcurrere ad notitiam. Tum etiam substantia creata non est immediate operatiua, sed quandoque species est substantia creata, vt patèt in Angelo cognoscente se, ergo speciēs ex se non concurrit effectiue ad notitiam, nam si effectiue concurreret immediate in sua linea, efficeret cognitionem. Conf. species si concurreret: per modum principii, quo concurrere, ergo cum subordinatione ad principium, quod id est ad intelligentem, sed hoc non potest competere Deo cum eius essentia habet munus speciei impressæ in Beatis, ergo ℣. Respon. quod species est vitalis identice quatenus in esse intentionali identificatur potentia cum specie, vt dictum est, & hoc sufficere, vt cōcurrat effectiue ad notitiam vitalem, vel melius dici potest, sicut dicitur, quod habitus infusus, est vitalis, vt quo, & sic etiam species quia ad hoc non exigitur, quod dimanet ab intrinseco; hoc enim est proprium actionis vitalis, quæ in suo conceptu dicit ab intrinseco esse, quod non dicit principiū vitale, sed sufficit illi esse intrinsece in principio, à quo est actio, & sic est vitalis species. Ad 2. Resp. vel quod substantia Angelica, dū fun-

fungitur ratione speciei impressæ, licet immediate actuet intellectum in ratione formæ intelligibilis, in ratione tamen principij effectiue, mediante intellectu efficit intellectionem, & non immediate, quia hoc ipso, quod substantia seipsa est intelligibilis in actu primo, sine specie superaddita intellectus dimanat, vt virtus proxima intelligendi, tam in ratione naturæ operatiuæ, quam in ratione obiecti effectiui intellectionis. §. Vel melius resp. quod substantiæ solũ repugnat immediate operari quatenus principium proximum habet pro fine intellectionem, seu operationem accidentalem; at obiectũ non efficit, se subordinando operationi, sed vt mensura eius, & specificatiuum, ideoque non est propter operationem, nec debet esse in eodem genere, quia non influit per modum potentiæ in actum, sed per modum actus independentis ab operatione, respicitque illam nõ vt finem, sed vt purum effectum, ideoque non est absurdum, quod immediate efficiat, quando species substantia est. §. Ad 3. Resp. quod obiectum non influit, vt principium quo, sed vt quod in suo genere, & si habet rationem formæ respectu intellectus, est forma non ex qua resultet tertium quodam compositum, sed quæ in se trãsformat, & trahit ad suum esse, totum intelligens, & ideo nõ sequitur vlla subordinatio.

11 Arg. 3. ad probandum so-

lum speciem agere cognitionem, non autem potentiam cognoscitiuam, quia comparatur ad speciẽ sicut materia ad formam ex libr. 3. de anim. tex. 14. & 17. Diaphanum ad lucem, aqua ad calorem: sed materia non agit, sed forma est tota ratio operandi, nec diaphanum illuminat, sed lux, neque aqua calefacit effectiue, sed calor ergo nec potencia cognoscitiua efficit notitiam, sed species, quæ se habet vt forma, & constituit potentiam in actu, ad cognoscendũ. §. Resp. quod potentia cognoscitiua se habet ad species sicut materia ad formam, diaphanum ad lucem, aqua ad calorem, in linea in qua obiectum est actus primus eius media specie, id est, in esse obiectiuo, & intentionali, & sic nihil agit potentia, sed obiectũ media specie est agens totale in sua linea, at in linea potentiæ vitalis, & cognoscitiuæ, sic non est pura potentia, cum sit proprietas animæ, vt est natura cognoscitiua, & sic in sua linea potentia proxime cognoscitiua, proximè efficit cognitionem, estque virtus proxima immediate operatiua.

12 Tandem obiici potest quod duæ causæ totales eiusdẽ effectus non dantur nisi vna alteri subordinetur, & sint in diuerso ordine, at in nostro casu, si aliqua causa esset superior, esset obiectum, ac proinde vniuersalior, ad hoc est falsum, quia obiectum concurrit ad speciem actus, at potentia ad rationem cognoscitiui, & vitalis, quæ

est

est ratio vniuersalior, ac proinde potius obiectum deberet, subordinari potentiæ, sicut causa particularis subordinatur vniuersali causæ: ergo nisi concurrant partialiter, vt vna causa non est intelligibilis concursus intellectus, & obiecti. §. Ref. quod tunc causa particularis subordinatur vniuersali, quando est purè efficiens, at si sit specificatiua, & formalis, potius vniuersalis subordinatur particulari, quia obiectum specificâs, est mouens immobile (sicut de fine dixit Arist.) & causa vniuersalis, est mouens motum. Certum autem est, quod motum mouenti subordinatur, Cælum ergo quia est mouens respectu causæ sublunaris, & hæc mouet mota à Cœlo, ideo subordinatur Cœlo, & ideo illi subordinatur in operando, quaptopter optime intelligitur, quod potentia cognoscitiua, & obiectum in specie sint causæ totales in suo genere, eiusdem noticiæ.

(§)

# DE SENSIBVS EXTERNIS.

## De visu.

## QVÆSTIO L.

*Quid sit perspicuum, quid color, quid lumen?*

1 POtentiæ diffinũtur per actus, & actus per obiecta, ideoque incipimus ab obiecto visus, quod est color, seu lumẽ: sed quia color perspicuo definitur, prius de hoc agendum, quam de colore, & lumine, & dicitur perspicuũ, quod est Diaphanum, & transparens, notat autem Arist. quod color habet visibilitatem pro passione sibi propria, quod probat text. 67. huius 2. lib. quia color potest mouere perspicuũ factum in actu per lumen seu Diaphanum illuminatũ & sic est causa, suæ visibilitatis, ideoque prius de perspectiuo, & lumine, & postea de colore, agit Arist. vt sic explicet, quid sit color, & obiectum visus. Sed tamen in sententia Aristot. color non est adæquatum obiectum visus, sed color illuminatus, & aliquid aliud innominatum, vt ea quæ in tenebris ignea apparent, quę neque vt colorata percipiuntur a visu, neque in luce sunt, sed in tenebris, vt ignis, fungi, piscium capita, & squamæ oculi aliquorum animalium, quorũ in tenebris nullus color videtur, etsi adsit lumen non videntur ea quæ in tenebris, visu capiebantur, est ergo obiectum visus aliquid abstrahens a colore illuminato, & ab his quæ in tenebris videntur, vt constat ex Arist. hic text. 66. & 72. & ex Diu. Thom. ibidem, & sic obiectum adæquatum visus est visibile, hoc autem est color mouens perspicuum illuminatum, & illud quod in tenebris videtur, nec tamen color est.

2 Perspicuum igitur sic diffinitur ab Arist. text. 68. *Quod non per se, sed per alienum colorem visibile est.* Vel sic est text. 69. *Perspicuum est cuius actus est lumen, vel naturalis potentia ad recipiendum lumen.* Et ponit exempla, sunt enim perspicua inter fluida corpora, aer, & aqua, inter solida autem vitrum, & glacies seu christallum, sed aqua, & aer non sunt quid perspicuum, qua ratione tales naturæ sunt (inquit Aristot.) sed quatenus participant cum superiori corpore, ideſt, cum Cœlo, est ergo perspicuitas propria Cęlestis corporis, & per participationem in sublunaribus. Sed notãdum cum D. Tho. quod cum ait Aristotel. perspicuum esse visibile non ratione sui, sed per alienum calorem nomine coloris intelligit, lumen, vnde & infra ait:

*Quod lumen quasi perspicui color est.* Quia etiam videtur perspicuũ sine colore dũmodo sit perfusum lumine quamuis color etiam mediante perspicuo illuminato videatur. Ex quibus colligitur, quod perspicuum visibile est quatenus actuatur lumine, & est medium videndi colores. Vide alia in Caietan. ca. 7. §. circa descriptionem.

3 Lumen autem sic diffinitur ab Arist. tex. 69. *Lumen actus est perspicui, ea nimirum ratione, qua perspicuum est.* Idest lumen est, quod facit actu perspicuum, sicut anima animatum, & albedo albũ, nam est perspicuum in potentia, quod est in potentia ad lumen, & tenebras, sed sit actu transparens, & visibile, & medium videndi colores, quatenus actuatur à lumine. Notandum pro inteligentia huius definitionis, quod lux, lumen, radius, & splendor sunt eiusdem speciei, sed in modo, & nomine differunt, dicitur enim lux quatenus inhæret corpori lucido, lumen autem quatenus participatur in Diaphano, & radius quatenus per lineã producitur, splendor autem, quatenus, reflectitur ex corpore in quod directe diffunditur sic complut. hic disp. 10 quæst. 10. art. 1. numer. 2. necnon ab aliquibus refertur D. Thom. hic lec. 14, in fine, & in 2. dist. 23 quæst. 1. art. 3. & quæst. 9. duceret art. 1. ad 7. agit tamen Arist. in præsenti potius de lumine, quã de luce, quia quatenus lux est in medio est vniuersalis ratio visibilitatis, quamuis sit visibilis, etiam secundum, quod est in corpore lucido, sed de natura lucis, aut luminis infra plura.

5 Color autem dupliciter diffiniri potest, vel quatenus per se visibile est perfeitate secundi modi, vel quatenus qualitas quædã est; primo modo diffinitur ab Aristotel. text. 73. *Est color motiuum eius, quod est perspicuum actu sui illuminatum*, Natura autem coloris, ex qua oritur visibilitas ab Aristotel. lib. de sensu, & sensat. cap. 4. Sic *Est perspicui extremitas in corpore terminato.* Quod autem vtraque definitio, quę de colore in abstracto considerato traditur bonã sit facile colligitur. Nam per propriũ genus, & differentiam in sua linea vtraque traditur diffinitio; nam color in quantum visibilis per immutare intentionaliter mediũ conuenit, cum quolibet alio sensibili proprio sensus externi per hoc autem, quod Diaphanum, sit perspicuum in actu, vt actu lucidũ est sit propriũ medium intentionaliter immutabile, & sic differt à quolibet alio sensibili proprio, in primis à lumine, hoc enim non immutat Diaphanum, præcisse, vt medium, sed vt subiectũ, neque supponit illud actu illuminatum, & perspicuum, sed potius facit actuale, quod erat lucidum, & perspicuum, & trasnlucidum in potentia, differt etiam à quolibet alio sensibili alterius sensus,

lus, quia licet aerem, & odor aquã quæ sunt perspicua, non tamen ea immutat in quantum perspicua sunt; quod autem secunda definitio coloris, vt qualitas quædam est, & secundum suam in essentiam procedat bene per eius genus, & differentiam exprimendo naturam coloris etiam ostenditur nam per ly *extremitas*, perspicui notatur ratio generica coloris quæ quidem est extremitas, seu terminus non quidem corporis quantitatiui, vt corpus est in genere quantitatis, sic enim competit superficiei, & lineæ; sed perspicui, vt perspicuũ est, quod de formali est in genere qualitatis, & sic idẽ est dicere, quod color est extremitas perspicui, ac dicere quod est in genere qualitatis & in hoc genere esse nõ qualitercũq, sed per modũ extremitatis cõplementi, & vltimæ terminationis permanentis, quia quod in suo genere supponit aliam formam in subiecto formalis extremitas, & complementum est sicut superficies est extremitas in genere quãtitatis, quia supponit corpus, & illud complet, & sic ly extremitas est ratio generica, quatenus color conuenit cum alijs extremitatibus, quæ sunt in genere qualitatis, vt figura, & alia huiusmodi, vel etiam duricies, aut mollitudo, sed quia in diffinitione phisica accidentis in abstracto proprium subiectum ponitur loco differentiæ, ideo ly *perspicui in corpore terminato*, ponitur loco differentiæ, quia hoc est proprium susceptiuum coloris, sicut cum dicimus similitas est curuitas nasi, est enim color terminus perspicui in actu, non cuiuscumque, sed eius perspicui, quod est corpus terminatum propria figura, & resultat ex aliqua opacitate terrea, ideoque nec aqua, nec aer propriẽ sunt susceptiua coloris, quia terminantur alieno termino, & non habent figuram, nec ex se habent opacitatem terream, nisi quatenus admisceatur aliud corpus illis, de quibus legendus est D. Tho. de sensu, & sensato, lect. 5.

5 Sed contra id quod num. 1. supposuimus, scilicet visibile non solum esse colorem aut sublucidum, sed abstraens, à luminoso, & colorato argum. 1. videtur enim esse contra Diu. Thom. lect. 6. de sensu, & sensat. vbi docet quod ea quę videntur in tenebris, vt quercus, squamæ aliquorum Piscium, & oculi aliquorum animalium, habent in se lucem, licet in infimo gradu, & ideo non lucent nisi in nocte: ergo quidquid videtur sub lumine videtur, ℣. Respon. aliud esse quod obiectum visibile, si non est lucidum, vel coloratum sub lumine non videatur, aliud quod nihil videatur, nisi sub lumine quod faciat perspicuum medium in actu; primo modo verum est, quod nihil est visibile;

nisi aut sit in selucidum ; aut sit coloratum sub lumine illustrante medium secundum autem falsum est, quia vt ea corpora ex se lucētia sint visibilia, licet in ipsis requiratur lux, non tamen requiritur quod medium illuminetur, & ideo in tenebris videntur, vt ait August. & experientia docet, quis enim dicat quod cum à longe video oculos catorum, aut felium totum medium in nocte est illuminatum, at color non est visibile, nisi medium sit illuminatum, & hoc est quod ibi dixit ex Aristot. lumen namque non est quæcumque lux, sed ea quæ diffusa est in medium, à corpore luminoso pro alia obiectione, quam ad hoc idem opponit Auicen. 6. natural. parr. 3. capit. 3. in fine. Vide Caiet. hic cap. 6. §. *Ad hoc breuiter.*

6 Contra diffinitionem Diaphani, argum. 2. Non fit visio per actu Diaphanum, & perspicuum, sed in tenebris aliqua videntur, ergo perspicuum actu, non fit per lumen. Tum etiam aer sæpè videtur in iride condensatus, & tamē ibi non est verus color, sed solū lumē refractum: ergo diaphanum est visibile, & non per colorem extraneum, §. Respon. etiam cum Caiet. quod Diaphanum sit actu simpliciter per lumen, at sine lumine potest esse secundum quid actu perspicuum, & sic videntur actu lucida in tenebris, vt sunt squamæ, & oculi, & cornua aliquorum animalium, §. Ad 2. Respond. quod illi colorēs iridis, & aeris sunt lumen quoad substantiam, & solum colores quoad apparientiam, sed tamen vocantur colores quia sic videantur apparenter, & ideo abstraendo à colore vero, & apparente verificatur quod perspicuum solum est visibile per extraneum colorem.

7 Con. 1. diffinitionem coloris, scilicet, quod est motiuum eius, quod est perspicuum actu. Arg. 3. Omne actiuum in quātum tale nobilius est passiuo, sed color non est nobilior diaphano in actu constituto per lumen, quia lumen nobilius est colore, ergo non benē diffinitur color per esse motiuum diaphani actu illuminati. Nec difficultatē eneruant dicentes, quod color ratione luminis in se recepti mouet medium diaphanum illuminatum, quia non fit actio nisi à proportione maioris inæqualitatis, sed color lucidus non est nobilior perspicuo illuminato, ergo non est eius motiuum. §. Conf. 1. Corpora actu lucida ratione lucis habent mouere perspicuū medium, ad sui visionem prius natura illuminando illud, ergo diffinitio coloris hac ratione conuenit alijs à diffinitio §. Conf. 2. Sequitur quod si coloratum poneretur iuxta Cœlum, & in ipso, vel supra esset videns, vel etiam si non esset, tamen color moueret illud corpus diaphanū cęleste illuminatū à sole, ergo cęlū par i posset pe-

re-

fegrinas impressiones, quod est cõtra Philosophum, §. Cons. 3. Corpora lucida non mouendo perspicuum actu videntur in tenebris, ergo etiam color. Prob. Tũ quia color actu habet aliquam lucem, vel potest in se eam participare. Tũ quia actu omne obiectum per se alicuius potentiæ debet eodem modo immutare potentiam.

8 Resp. ex Caietan. citat. cap. 6. huius libr. §. *Ad hoc dicitur.* Quod non est idem numero lumen, in colore, & diaphano cum sint diuersa subiecta, sed in colore est intensior propter reflexionem corporis opaci, & diaphani ibi obumbrati, & ideo potest agere color lucidus in diaphanum etiam illuminatum; & sic nobilior est color ratione maioris intensionis, quàm perspicuum illuminatum. Vel aliter, quod color non immutat diaphanum quatenus actu illuminatum, sed quatenus actu perspicuum, & transparens, qui effectus licet proueniat à lumine, tamen secundario prouenit, & ideo non est mirum, si color possit esse nobilior, saltim secundum quid, quam perspicuum actu, vt sic possit illum immutare intentionaliter, quia hoc habet non ratione propriæ naturæ, sed quatenus participat a Cælo, quod sit visibilis, vt possit immutare medium intentionaliter, & sic rectè diffinitur color in quantum visibilis. §. Ad 1. Confes. Respond. quod per se lucidum non immutat perspicuum, vt actu sit transparens per lumen cum possit in tenebris videri, & ideo quod immutet diaphanum illuminatum, quando visibile est perfectè lucidum, est per accidens, & ideo diffinitio coloris rectè traditur per illud quod est per se, quamuis hoc, non per se, sed per accidens alijs possit conuenire, sicut rectè diffinitur habitus, per esse difficilè mobilem a subiecto, quamuis per accidens possit dispositio etiam esse difficilè mobilis. §. Ad 2. quod cum immutatio quam infert color in diaphanum, non sit naturalis, & corruptiua, sed perfectiua, & intentionalis, non est absurdum, quod possit immutare corpus Cœli in quantum actu est perspicuum. §. Ad 3. Quod omnia quæ referuntur ad vnam potentiam, debent habere eũdem modum immutandi intentionaliter formaliter, at quod aliquantulum varietur in modo immutandi medium non obstat vnitati sensibilis, & sensus, & ideo licet luminosa corpora, quæ in tenebris videntur, solum immutent visum per medium, quod est perspicuum in potentia, & color solum per medium quod est actu perspicuum non obstat vnitati sensibilis formalis, quia solum arguit maiorem, aut minorem actiuitatem ex parte visibilis exigentis maiorem, aut minorem dispositionem, in medio, quod quidem non variat speciem sensibilis.

9 Contra 2. coloris diffinitionem arg. 4. Color non est eiusdem generis, & ordinis, cum perspicuo, ergo

go nec complemẽtum, & extremitas eius. Confes. Ignis est flaui coloris, & tamen non est extremitas, ex mixtione qualitatum resultans, cum elementum non sit mixtum. Præterea humor christallinus pupillæ non est coloratus, & tamen est perspicuum mixtum, & coloratum, ergo non benè diffinitur color per esse extremitatẽ perspicacui terminati, ergo male explicatur hæc diffinitio, §. Resp. quod color in genere est qualitatis, sicut perspicuitas, & ideo potest eam terminare. Ad conf. quod ignis in se vt est in sua sphera purum elemẽtum non habet colorem, in nobis autem, secundum quod est carbo, aut flamma mixtum est, & sic habet colorem: pupilla autem non habet perspicuitatem terminatam, & ideo non habet colorem, qui non per perspicuitatem vtcumque, sed per eam vt cuius color est extremitas diffinitur.

## QVÆSTIO LI.

*Vtrùm lumen sit substantia, an qualitas, & an naturalis, an intentionalis, & habens vicem speciei respectu colorum; vel an distinguatur ab illis.*

1 LVmen, & lucem tantum subiecto distingui dixique antec. quia lux dicitur, vt est in subiecto connaturali, id est in corpore lucido, & luminoso, lumen autem secundum quod ab eo corpore in alia subiecta extranea diffunditur. & quidem de natura lucis, aut luminis multiplices sunt sententiæ. Empedocles relatus ab Arist. hoc 2. lib. 70. dixit lucem esse corpus solare, & inde defluere ad nos corpuscula, quæ lumen dicuntur, & idem dixit Democritus, & Bassonius hæreticus. Galenus dixit esse substantiam spiritualem. Auicenn. autem lumen esse formaliorem colorem, nobiliorem inter colores, & spiritus, euidentia, & manifestatio eorum. Scotus autem, num. 2. dist. 15 quæst. vnica docuit lumen esse qualitatem intentionalem, non autem naturalem (vel vt eius discipulorũ nonnulli interpretantur) voluit simul esse qualitatem naturalem, & intentionalem, quatenus seipso est visibile, estque species qua videtur color, sic etiam plures Thomistæ; ad D. Angelicus, p. p. quæst. 67. artic. 3. dicit esse qualitatem tertiæ speciei, non ex mixtione elementarium qualitatum resultans, sed celestem.

2. Dicendum 1. Lux aut lumen non est substantia spiritualis neque substantia corporea, aut corpus. Prob. ex Aristotel. & Diuu. Thom. hic lect. 14. & p. p. quæst. 67. art. 3. Quia per se est sensibilis sensu externo, & extensa, ergo non est substantia spiritualis, aut corporea, prob. conseq. spiritualis entitas, nec percipitur connaturaliter à sensu externo, nec habet esse extensum, & idem est de qualibet substantia quam esse sensibile per accidens, & non per se, supra ostendi, at lux,

lux, seu lumen extendatur per diaphanum, & percipitur sensu visus, connaturaliter, non ergo, est substantia spiritualis, aut corporea, quod verò non sit corpus, neque athomorum congeries (vt contendit Bassonius hæreticus) probat Arist. hic text. 69. Impossibile est duo corpora esse simul in eodem loco, sed lumen est simul in eodem loco cum diaphano, vt experientia constat, ergo lumẽ non est corpus, nec defluxus corporis, aut athomus, sic enim etiam esset corpus, licet defluens, & minutum min. etiã prob. quia idem est subiectum cõtrariorum, sed tenebræ sunt cum diaphano in eodem loco, & in ipso diaphano, tenebra autem est priuatio lucis, ergo si lumen esset corpus esset in eodem loco, cum diaphano inhærens illi. Præterea si lumen est corpus, ergo illuminatio fit per motum localem, sed illuminatio fit in instanti, ergo lumen non est corpus, aut defluxus corporis, neque delatio athomorum per aerem ab Oriente vsque ad Occidens, cum oritur Sol est motus localis. §. Si dicas illuminationem non fieri in instanti, sed subito, idest breuissima morula temporis imperceptibilis, & ideo nobis apparet fieri in instanti. Contra insurgit Arist. contra Empedoclem sic respondẽtem. Quod ad illuminationẽ sufficit oppositio corporis luminosi absque obstaculo, ergo frustra recurritur ad motum localem. Tum etiã posset esse credibilis positio Empedoclis si illuminatio Solis esset in parno spatio, at ab Oriente vsque ad Occidens tã subito fieri lationem luminis, vt non possit percipi, & ita vt appareat fieri in instanti incredibile est cum Sol, qui vt gigas exultat ad currendam viam, (quo ociorem esse lucem falsum est) percipiatur, & deprehendatur in motu, saltim mediante vmbra quod non contingit in illuminatione Solis, ergo vanum effugium parauit Empedocles. Alias rationes vide in D. Thom. hic ad text. 70.

3 Dicendum 2. Lux vel lumen non habet esse intentionale formaliter, sed reale, & naturale, quamuis habeat modum essendi intentionalẽ, & virtualiter, seu vt quo possit dici intentionalis. Sic plures Thomistæ; ad quam sententiam fortasse potest non absurde vocari Caietan. lib. 2. de animal. cap. 6. circa finem; est tamen nostra conclus. in primis expressa D. Thom. hic text 70. Lect. 14. dum docet: *Lumen nõ habere esse solum intentionale, quia radij Solis transmittant (naturaliter) totam naturam. Vnde dicimus quod sicut corpora alimentaria habent qualitates actiuas per quas agãt, ita lux est qualitas actiua corporis cælestis per quam agit*, & est in tertia specie, sicut & calor, sed calor habet esse purè naturale, & non intentionale, ergo, & lux secundũ D. Thom. Et hinc efficax ratio nostræ conclusionis colligitur. Lux est proprietas corporis cælestis, & lumen diffusum est eius participatio, sed corpus cæleste est entitas naturalis formaliter, & solum vi-

tualiter intentionalis, quatenus communicat virtutem inferioribus, vt immutent potentias cognoscentiuas intentionaliter, ergo idem dicendum est de luce, & lumine, nec est, asserendum habere esse quoddam adeo eleuatum vt sit eminenter formaliter in linea qualitatis naturalis, & intentionalis, prob. conseq. nam proprietas excedere non potest in modo essendi, & in eius perfectione naturam cuius est proprietas.

4 Conf. quia ferè eadem verba repetit D. Thom. p. p. q. 67. artic. 3. vbi dicit lucem esse proprietatē corporum naturalium, & præstare effectus naturales illuminandi, & calefaciendi, & immutandi corpora, secundum esse naturale, sed hoc est proprium formæ, aut qualitatis naturalis, non autem intentionalis, ergo sentit D. Thom. lumen nō habere esse intentionale. Vnde, & 2. partem nostræ conclusionis docet ibidem ad 1. quod: *Sicut calor agit ad formam ignis producendam, quasi instrumentaliter, ita lumen, quasi instrumentaliter agit in virtute corporum cœlestium, ad producendas formas substantiales, & ad faciendos colores sensibiles in actu in quantū est qualitas primi corporis sensibilis* Sed calor non est eminenter formaliter qualitas naturalis, & intentionalis, sed formaliter naturalis, & quod modum, & virtualiter intentionalis, quatenus est virtus instrumentaria, substātiæ ignis ad alium ignem producendum, ergo idem est dicendum de lumine secundum D. Thom. Et hoc est quod dicit D. Thom. in 2. distinct. 13. quæst. 1. art. 3. quod *ipsum lumen virtutem spiritualem habet*, id est, intentionalem, sed non dixit habere formalitatem spiritualem, aut intentionalem, & quæst. 5. de potentia, art. 1. ad 6. *Quod lumen non est in aere sicut forma naturalis perfecta, sed magis per modum intentionis, sicut similitudo hominis in speculo.* Vbi non dixit habere esse, sed modum intentionis, nec arguit habere esse naturale, sed nō habere esse formæ naturalis perfectæ, quia nō est in aere sicut in subiecto connaturali, sed extraneo, vt docet p. p. quæst. 67. art. 3. ad 1. Ergo tenet D. Thom. 2. partem nostræ conclusionis, & assimilat quantum ad modum esse luminis ad esse specierum, non tamen quātum ad omnia, quia species illa, seu similitudo primo instituta est, vt sit intentionaliter repræsentatiua, & ideo esse naturale, quod habet secundarium est, & trahitur ad esse intentionale, ad lumē primo institutum est, vt sit in sole, *& inde illuminet terram* (vt docet sacer textus,) & influat, in hæc inferiora immutando naturaliter, & sit vehiculum totius Cęli, vt ait Caiet, & ideo primario habet esse qualitas naturalis, & virtualiter esse intentionale, & secundario, & per accidens, quia in subiecto extraneo habet esse intentionale fluidum, sicut similitudo speculi, per quod etiam euanescit fundamentum Scoti.

5 Dicendum 3. Lumen non est per

per se ipsum species, quo videtur color, & ipsum lumen: sed eget specie superaddita vt videatur. Sic communiter Thomistæ cõtra Scotum, quôd & sæpè docet D. Thom quæst. 10. de verit. art. 8. ad 10. & prob. quia Arist. hic tex. 69. diffiniens lumen docet esse *actum perspicui*, & quasi esse dispositionẽ, vt recipiatur species coloris in diaphano per immutationem intẽtionalem, quod & docet apertè D. Tho. ibi ad tex. 70. ergo lumen nõ est species qua videtur color, sed dispositio, vt color emittat speciẽ in medium perspicuũ. Et prob. non lumen est ratio vidẽdi alia per modũ speciei, nec videndi se ergo nullo modo est species. Pro. aut. quod non sit ratio videndi colores constat ex dictis in doct. Arist. & quia si sic esset, sicut species coloris refracta in speculo repræsentat hominẽ etiam lux procedens a Sole, aut à corpore lucido, aut à corpore colorato resiliens, & reuerberans in aliud corpus necessario repræsentaret corpus luminosum, vel coloratum illuminatũ, sicut species vnius speculi refracta in alio repræsentat ipsum, & omnia quæ in eo repræsentantur, sed hoc est falsum, vt cõstat experientia; ergo lux non est species qua videntur alia, ℣. Quod non sit species sui ipsius constat etiam: nam in primis lux quæ non est terminata in corpore opaco, nõ videtur: ideoque si per vnam fenestram obscuri carceris intraret, & alia directê oppositа exiret radius & non essent athomi opaci quibus terminaretur, non videretur, & idẽ est cum lux diffunditur per purum aerem, absque corpore opaco quãobrem lux Solis nocte non videtur in cuspide piramidis, in qua supra nostrum emisphærium copulantur radij solis versus cœlum (cũ enim corpus solare sit maius terra vmbra terræ non ascendit, vsque ad cœlum, sed in piramide in medio spatio consumitur) ergo lux nõ est species sui, nec ratio videndi se per modum speciei si non sit terminata corpore opaco, ℣. Quod verò, nec sit species sui cum est in corpore opaco. Prob. quia tunc habet esse naturale, vt probatum est, & esse intentionale non nisi virtualiter, ergo eget specie, vt actu intentionaliter immutet sensum. Denique lumen etiam terminatum corpore opaco non videtur nisi intersit aliquod medium; hac enim ratione lumen existens in pupilla non videtur ab oculo, & tamen si nos inspiciamus in speculo videmus illud, sed hoc ipso quod obiectum egeat medio, etiam eget specie; hæc enim est vna ex rationibus porendi species, necessitansque ad illas, de quo videri etiam potest Caietan. hic c. 6. circa finem, ergo lumen non est se ipso species visibilis.

9 Dicendum 4. Lux seu lumen est qualitas distincta à colore vero. Sic Diu. Thom. de sens. & sensato, lect. 6. cum Arist. lib. de coloribus, vbi docet lucem non resultare ex mixtione elementarium qualitatum, ergo lux, seu lumen distincta qualitas est à calore in specie qua-

qualitatē. quas autem causas habeat color infra dicemus. Cōf. sec. D. Thom. & Arist. colores sunt inter se contrarij: lux & lumen non patitur contrarietatem, & ideo colores transmutatione fiunt, & corrumpuntur, per verum motum, lux autē in instanti producitur, & cessat, ergo qualitas coloris veri diuersa est omnino à qualitate lucis, & luminis; quod autem ad colores detur per se motus alterationis docet Arist. 7. phisic. c. 3. Prob. con. Tum ab experiētia; videmus enim diuersos colores corporum in eodem spatio, & percipimus, non esse variationem in lumine ergo, quia sunt diuersæ qualitates sensibiles, sensus enim circa proprium sensibile non fallitur saltim frequenter, & regulariter, vt supra ostendimus cū Aristot. hoc 2. lib. text. 63. & 161. ergo cum semper videamus varios colores sine variatione luminis afficientis: & illustrantis colores sequitur esse qualitates distinctas, videmus etiam intendi, aut diminui lumen quin intendantur, aut minuā tur colores, & etiam variata luce non variantur colores, siue enim ad lumen solis, siue candelæ inspicias picturam ijdem, & in eodem situ, & figura apparēt colores: ergo experientia, quæ mater est philophiæ constat, veros & permanentes colores à lumine distingui.

7. Dicendum 5. Colores apparentes in aere in iride, in collo columbæ, & in alijs non sunt veri, nec distinguntur a lumine refracto; colores autē veros voco eos qui permanenter sunt in rē quantūmcumque varietur lux externa, vel qui in fieri & conseruari non pendent ab externo luminoso: at apparentes, eos qui in fieri, & conseruari pendent solum à luminoso externo, eo que variato quoad situm variātur, vt patet in coloribus iridis, & in illis qui apparent in collo columbæ. Sic intellecta conc. prob. ex illo Genes. 9. *Apparebit arcus meus in nubibus.* Vbi solum apparentiam, non autem veritatem attribuit illi Textus Sacer, & Ecclesiast. 41. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum valde speciosus est in splendore suo.* Vbi non dixit speciosum, formosum, & visibilem esse, aut delectare visum in colore suo, sed in splēdore; splendor autē nihil aliud est, quàm lumen oppositi luminis reflexum in opaco, vt ex D. Thom. hic l. 14. ad text. 70. & alijs locis iam notaui, ergo valde consonum est sacris litteris colores iridis apparentes tantum esse, & non veros, quod satis latinæ poesis Coriphęus Eneid. 5. innuit: *Mille trait varios aduerso sole colores.* Vbi totam rationem trahendi varios *colores* in iride assignat ex aduerso sole, sed tunc est color non verus, sed apparens, quando solum ex opposito luminoso causatur, & variatur, ergo. Suadetur rat. Nam veri colores ex temperamento primarum qualitatum ab intrinseco resultantes non pendent ab extrinseco, neq; ad motum, & varietatem extrinseci luminosi variantur, neque subito causantur, & subito corrupuntur, & colo-

res

res iridis hoc subeunt nam debite disposita nube opaca, & rotida, si Sol opponatur statim resultat, si interponatur nubes cessat: ergo solum est lumen reflectum, & non verus calor in iride, ideoque contingit in aqua maris, quæ in ipso mari cæruleo apparet, si extrahatur nitida est, & transparens: non ergo in se habet verum colorem, sed solum apparentem.

8. Tandem dicendum colores veros esse tertiam qualitatem resultantem ex mistione primarum. Sic Arist. in prædicament. cap. de qualitate vbi constituit colores inter passibiles qualitates cõcordat expresse D. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. ad 1. & hic libr. 2. de anima, lec. 14. in fine, & ratio est, quia verus color est qualitas permanens in corporibus mixtis eorumque proprietas, cum tamen nulli elemento competat, sed qualitates permanentes, & propriæ mixtorum, ex mixtione primarum resultat.

9 Con. 1. conc. arg. 1. Lux non habet contrarium, nõ educitur per transmutationem de potentia subiecti, cum in instãti fiat, estque causa æquiuoca omnium corporalium: ergo est spiritualis, & superioris ordinis. ℣. Resp. ex D. Thom. 1. p. q. 67. art. 3. ad 2. quod ex quo lux nõ habeat contrarium non sequitur esse incorporeum, sed solum quôd sit proprietas primi alterantis, in quo nulla contrarietas accidit. Ad 2. quod ex quo ea qualitas nõ habeat contrarium sequitur non fieri per transmutationem, non tamen quod non sit corporea: nam ad hoc sufficit quod fiat dependenter a subiecto, siue educatur, siue non (quatenus eductio significat transmutationem quæ fit per verum motum) & sic fere de nomine est altercatio inter auctores. Ad 3. etiam respondet D. Thom. ibidem ad 3. quod lux est causa æquiuoca instrumentalis colorum, & ideo non sequitur quod sit perfectior effectibus, quos causat, aut quod sit spiritualis.

10 Arg. 2. ad idem, quia Arist. 5. topic. c. 3. & lect. 12. problemat. q. 33. vocat lumẽ ignem ergo quia est substantia. Tum etiam S. Agust. lib. 3. de lib. arbitrio, & alij Patres asserunt: *Lucem tenere primum locum inter res corporales*, ergo quia corpus est, denique accidens non transit de subiecto in subiectũ, sed variatis superficiebus aeris, vel alijs corporibus succedentibus, lux manet in eodem loco immota, vt constat experientia, ergo non est accidens; sed substantia, ℣. Resp. ex D. Thom. 1. p. q. 67. art. 2. quod nomine luminis intelligit Arist. ignem in propria materia, non autem solum lucem, quę est accidens eius, & sic est species ignis, qui solet distingui in carbonem flammam, & lumen, aut ignem, & sic explicat Arist. lib. de animal. si autem Aug. & alii PP. accipiunt lucem pro corpore lucido, idest pro Sole, & Cælis vt docet D. Thom. ibidem. Ad rationem resp. negando lucem mutare subiecta, sed mutato subiecto successiue perire, aut produci in eadem distantia à corpore lumi-

noso, licet in instanti hoc fiat, sicut ignis in eadem distantia producit calorem mutatis corporibus inter medijs, & partibus aeris succedentibus, sic communiter Thomistæ, §. Nec obstat quod si in instãti producitur lux, & desinit esse stante vẽ to tempus esset inter medium inter luminis desitionem, & productionem, & sic essent interpositiones tenebrarum, quod tamen videtur cõtra experientiam, ac proinde semper videtur vigere argumentum, quod variato subiecto; immotum manet lumen, & quod non est accidens, §. Nam ad hoc sufficit, quod sint morulæ imperceptibiles, vt patet in calore aeris circunstantis ignem, mutato, & flante vento, certum etiam est colorem esse accidens, & tempore desinere, & incipere, & tamen non percipitur mutatio caloris, nec illa morula qua incipit esse donec intendatur in eo gradu in quo antea erat; ergo etiam imperceptibiliter continget idem seruata proportione in luce.

11 Arg. 3. cont. 2. concluſ. quã impugnant plures graues Thomistæ, quos refert, & sequitur Thomas Hurtad. de anima sensit controuers. 1. membr. 5. §. 8. ex Diu. Thom. 3. Meth. lect. 6. & in 2. dist. 13. & alibi asserente lucem habere esse intentionale, & hac ratione, & si sit posita supra sensum visus in pupilla, non impedit sensationẽ, quod veique faceret si haberet esse naturale, quia sensibile positum supra sensum impedit sensationem, vt supra ostẽdimus, ex Arist. §. Resp. D. Th. docuisse lucem habere esse intẽtionale, non qua ratione opponitur cũ esse naturali, sed qua ratione opponitu cum esse permanenti, & sic virtutum qua Deus agit in causis secundis vocauit intentionalem q. 2. de pot. art. 7. ad 7. & virtutem instrumentalem ad patranda miracula eodem nomine, explicat q. 6. de pot. art. 4. in fine corporis, & alibi sæpẽ loquens de virtutibus Sacramentorum, & instrumentorum, secundum quod mouentur à principali agente, & probat hinc D. Thomas non impedire sensationẽ, quia est quasi medium quo colores possunt videri, & corpora illuminata, vel lucentia, quia esse quod habet non est perfectẽ permanens, & habet rationem medij quasi intrinseci; medium autem vt tale dicitur habere esse intẽtionale, & ideo lux in oculo ẽtiam si sit permanẽs, quia tamen habet rationem medij, aut rationis formalis ex parte potẽtiæ, non impedit, & hoc est habere esse intentionale, quod non opponitur esse naturali in sensu in quo loquimur.

12 Arg. 4 con. 3. concl. ad probandum lucem se ipsa tanquam specie videri, & esse similitudinem ad videnda alia. Quia D. Thom. q. 8. de verit. & 1. p. q. 56. art. 6. & pluribus alijs locis relatis a Bergomens. dub. 828. docet lumen *Videri per suam essentiam absque similitudine in oculo relictam*, ergo §. Respond. aliqui, nec nimiæ notæ Auctores D. Thom. non negare lucem

cem, & videri specie super addita, sed solum quod mediante alia ratione formali videatur per modũ obiecti, sicut colores ratione lucis reddũtur visibiles, sed quis nõ videat hãc respõsionẽ refragari D. Th. asserenti per se, & nõ per similitudinem relictã videri melius? ergo. Resp. P. P. Complut. quod ea docet D. Th. non ex propria sententia, sed gratia exempl. tunc autem vti solitum D. T. & Arist. sententijs alienis nõ improbabilibus, aperte dicat ipse D. Th. 1. p. q. 67. art. 2. referẽs Arist. in principio librorum de generat. hoc idem asserentem.

13. Arg. 4. ad idem. Species eò super additur, quia obiectũ habet esse materiale, & ideo requiritur forma, seu species sine materia, vt proportionet obiectum cũ potentia: sed ad hoc requiritur species, vt lux sit visibilis, ergo non datur, prob min. quia lux ex se est immaterialis, & quasi spiritualis, & habet esse non minus intentionale quam species posset habere, & tam immateriale, ergo ℣. Resp. negando quod lux supposito quod habet esse naturale, & physicum non habeat materiã saltem metaphysicam, quæ est materialitas, sic etiam habet improportionem cum sensu, qui est potentia receptiua solum immaterialiter, & potest poni exemplũ in rebus spiritualibus, quæ agent specie, vt cognoscant, quia eorum esse immateriale habet in se materiam, id est potẽtialitatem, aliquã à qua depurantur, vt informet potentiã cognoscitiuam ℣. Sed instãt Scotistæ, cũ per vitrum viride, aut puniceũ, transit lux & ferit parietem oppositũ, lux illa ibi apparet colocorata, quando refrãgitur in pariete: sicut species cũ refrangũtur in speculo: ergo, quia illa lux habet rationem speciei respectu vitri colorati ℣. Resp. quod sicut in iride lux refracta colores apparẽtes causat quin sit species, aut similitudo Solis, sic lux ex quo penetrat vitrum, & refrangũtur species, lumẽ quod transit formal colores apparentes: nõ quia sit species, & similitudo vitri, quia vitrum vmbram aliquam causat in toto medio vsque ad parietem, & sic refranguntur illi radij, & formantur illi colores; vel dic quo lux in se non est visibilis, vt quod sed solum in corpore terminato, vel colorato, & ideo non videtur nisi specie eius corporis, & sic non habet propriam speciem.

14. Arg. 5. con. 4. concluſ. (in quam armantur plurimi Thomistæ) ex D. Th. de sens. & sensat. lec. 6. & alijs locis vbi assignat colori, & luci idem susceptiuum, nempẽ diaphanũ; & ait nihil aliud esse colorem quã lucẽ receptã in corpore terminato, sed quod habet idẽ susceptiuũ propriũ est eadẽ forma, ergo colores nihil aliud sunt quã lux secũdũ D. Th. ℣. Cõfir. secund. D. Th. q. 2. de verit. art. 4. ad 4. albedo, est mensura colorũ, & hæc refulgat, ex multo lumine & pauco opaco, vt ibi docet

D.

D. Thom. & ideo omnis color est clarus, ex participatione aliqua abedinis, vt docet D. Th. 1. 2. q. 2. art. 1. ad 1. ergo §. Conf. 2. ex D. Th. hic lect. 14. *Color nihil aliud est, quàm lux obscurata*, & 3. Meth. lect. 6. q. 3. *Quod oppositio luminis ad opacum secundum aliam, & aliam quantitatem variat colores*: ergo sentit D. Th. lucem à coloribus non distingui §. Resp. hæc omnia verificari de colore, & luce consideratis in esse visibilis, sic enim non ponunt in numero, & sic vocatur lux forma, & tota hypostasis colorem ex Arist. & D. Th. de sens. & sensato lec. 6. & hic lect. 14. & quia lux facit colores in actu, id est confortat, vt moueant visum, vt docet D. Th. quod l. 7. q. 2. art. 1. & sic quod magis participat de luce, vt albedo dicitur esse mensuram colorum, & quod nihil aliud est color quam lux obscurata, vt in ratione naturæ distingui, certum debet esse ex dictis, nec oppositum euincunt allata testimonia, quamuis nonnulla ex productis de luce externa verificentur, quatenus sunt colores apparentes; negandum semper est quod color apparens, & verus habeant easdē causas, quamuis in ratione coloris visibilis conueniant in aliquibus, at in principijs suæ naturæ non conueniunt, quia verus color ex mixtione primarum qualitatum prouenit; apparens verò solum ex refractione lucis, & aduertendum quod color non est lux, sed participio eius mixta opacitati, & ex hac mixtione resultat secundum aliquos Thomistas, & ideò quod magis participat de luce est albū, & hoc non est idē ac dicere quod color, & lux, sunt idem; alij verò dicunt, lucem esse immiscibilem & colorem non ex luce, & opacitate resultare, sed ex mixtione primarum qualitatum, quamuis sine luce obscurata in opaco videri non possit, & sic dicitur lux actus opaci terminati, non in esse entis, sed quatenus reddit visibiles colores.

## QVÆSTIO LII.

*An lux non solum ex parte medij sed etiam ex parte obiecti colorati requiratur vt sit visibilis?*

1 DIcendum, Lux requiritur ex parte medij, vt colores efficiant visum sui, immittendô speciem in visum. Quod lumen requiratur ex parte medij, vt colores moueant visum immittendum speciem expresse docet Arist. hic text. 67. *Omnis enim color motiuus est eius quod est actu perspicuum* (id est *illuminatum, vt illicò exponit philosophus,*) *& hæc est ipsius natura, vnàe nihil est visibile nisi in lumine.* Vnde ibi communiter Thomistæ, & Scotistæ hoc pro comperto, & certissimo habent quibus experientia consonat; nocte enim videtur vermes noctiluces, quantum ad lucē quam habent, & tamen color neu-

ti-

tiquam videtur, cum tamen de colores videantur, lux illa seu quidquid est illud innominatum, quod rutilat nocte, die occultatur, sed non alia ratione nisi quia medium actu non est illuminatum, ergo lux requiritur ex parte medij ℘. Dices colores in tenebris non videri defectu luminis, non quia desit in medio lux, sed quia non afficit ipsos colores reddendo visibiles in actu ℘. Sed contra est quod ad sensū percipitur, in exēplo posito vbi est color esse illud lumē, quod noctu apparet, & tamen nō ideo videntur colores, qui ibi sunt quod etiam patet in quærcu putrida, & in carnibus animātium aliquorum; ergo præcisa causa ob quam non videntur colores est defectus lucis in medio, & non defectus eius in ipsis coloribus, requiritur ergo lux ea parte medij, vt colores immitant speciem per diaphanum, nam sine dispositione luminis, non habent colores vim ad immutandum diaphanum, immittendo, & introducendo ibi suam similitudinem; ex quo deducitur lumen extrinsecum, vt est in medio & facit illud actu perspicuum non constituere colores visibiles, dando illis actiuitatem admittēdam speciem, sed solum dispositionem esse, quæ reddit illud passum proportionatum; sicut calor disponit lignum, vt in ipsum agat ignis.

2 Maior difficultas est, an, & quomodo requiratur lux, vt color habeat completam virtutem ad emittēdam speciēm sui in perſ ad emittendā speciem sui in perspicuum illuminatum, idest an sit lux extrinseca, aut intrinseca necessaria per modum dispositionis, aut complementi actiui respectu colorum, vel an sit forma qua tenduntur visibiles, nam circa hoc sunt multa testimonia D. Th. quæ videntur inter se dissonantia, & ad concordiam reduci debent; supponendo prius duo, quæ certissima sunt. Primum est quod colores sunt per se visibiles, ita quod ex natura coloris (quam esse distinctam à luce supra ostendi) resultat tanquam propria passio visibilitas, quod & docet apertè Philosophus, hic text. 67. *Visibile quidem est color per se verò non ratione* (idest essentia, seu diffinitione essentiali) *sed quia in se causam habet, quod sit visibile*; vnde D. Thom. ibi docet sensum esse, quod coloris passio propria est visibilitas. Secundum est, quod lux est formalis ratio sub qua videtur color, & quod color est formale obiectum *quod* respectu visus, quod & late ostendit ex D. Tho. Bergomen. in concordant. dub. 359. cum autem in tantum aliquod obiectum specificet sensum in quantum immittit speciē, seu potens est mouere intentionaliter sensum; quia vt supra dictum est sensus est potentia passiua, respectiuē ad suum obiectum, quod respicit vt principium motiuum, sequitur quod, si color specificat visum sub ratione lucis, quod eius ra-

ratione immittat speciem intentionalem sui, prius in mediũ perspicuum, & tandem in ipsum visum; cum autem lumen extrinsecum constituens actu perspicuum sit dispositio quasi passiua tenens se ex parte perspicui, ad recipiendam motionem intentionalem coloris visibilis, qui per illam motionem explicat exercitium obiecti formalis visus, sequitur quod tale lumen non constituat colorem in actu visibilem, sed hoc iam suppo nat in colore, & per consequens fit quod tale lumen diffusum in medio perspicuo non sit ratio formalis sub qua visibilis redditur color, & ratione cuius vltimo cõpletur in ratione principij motiui visus, & immissiui specierum intentionalium, & sic vel erit lumẽ intrinsecum ipsi colori, aut saltim illud, quod afficit externam superficiem coloratam, licet non ab intrinseco eius oriatur.

3 Dicendum 2. Colores ratione lucis ab intrinseco eis conuenientis redduntur actu visibiles ita quod lumen externum, quod est in medio non sit ratio formalis quo redduntur visibiles. Sic Ferrar. hic q. 13. in corp. & ad 1. & D. Thom. hic lect. 14. in fine, vbi ex professo agit de colore, vt visibili; ait enim *Cum lux sit quædam substantia coloris*, (in ratione visibilis) *ad eandem naturam* (coloris) *reducitur omne bisibile, nec oportet, quod color per lumen extrinsecum fiat actu visibilis, & in eodem sensu dixerat, quod color* (in ratione visibilis) *nihil aliud est, quàm lux obscurata quodãmodo.* Vt intelligeretur quod color in ratione lucis quæ ab intrinseco est redditur visibilis, & ideo subdit egere medio illuminato à pura luce, vt immutet intentionaliter, & hoc fortè innuebat Arist, dum text. 67. explicans quomodo color sit per se visibilis, ait: *Visibile est color: hic autẽ est in eo quod per se est visibile*, quia color eo visibilis est per se, vt quod, quia est in lucido quod habet rationem sub qua visibilis est color.

4 Prob. 2. D. Thom. id ratione. Cuius in color habet vltimam virtutem ad mouendum visum intentionaliter, & ad specificandũ est vltima ratio sub qua redditur visibilis, sed hoc est lux intrinseca ergo, prob. min. eam virtutem immutandi intentionaliter non habet qualitas resultans ex mixtione elementarium qualitatum, vt elementares sunt; sed ex virtute cæli; at hæc virtus est lux ergo, Prob. min. ex D. Thom. lect. 14. *Lux est qualitas actiua corporis cœlestis*, & 1. p. q. 67. art. 3. ad 3. *Lux facit colores visibiles in actu in quantum est qualitas primi corporis sensibilis*, sed latius in 2. dist. 13. q. 1. art. 3. Ergo ratione lucis participatę à cælo, mouent colores intentionaliter, & sic fiũt a actu visibiles, sed hæc virtus intrinsecẽ participatur a colorato, ergo lux intrinseca est ratione cuius colores sunt visibiles, sed est aduertendum cum D. Thom. hac lect.

14.

14. huius 2. lib, quòd lux Cæli nó participatur in natura crassa, & omnino opaca, ideoque terra, nec est medium quo aliquid possit videri, neque in se habet aliquam lucem sicut ignis, & hac ratione non est visibilis, & sic ibi dicitur in nostra vulgata: *Terra autem erat inanis*, alia litera legit, *Terra autem erat inuisibilis*, ideoque quod abundat terreis qualitatibus fucũ est, aut tetrum, & minus visibile, colores ergo qua ratione visibiles sunt aliquid participare debẽt de perspicuitate admixta cum opacitate, & quia perspicuum est subiectum luminis aliquid habent de luce non quæ sit de essentia coloris, sed quæ sit ratio formalis sub qua videtur color, non quidem actuans colorem in esse naturæ formaliter, sed in ratione visibilis, nã lux solum est in perspicuo: etsi sit obscurant tamen ratione perspicui est, at color materialiter est in perspicuo, quia est ratione terminationis, quæ fit per opacitatem, & sic, lux ratione coloris in esse naturalis materiæ in esse naturali est in materiali, &, ê, conuerso color, at in esse visibilis lux colorẽ afficit vt videatur; propterquam connexionẽ, & concomitantiã sæpê D. Tho. colorem vsurpat pro luce interna, & lucem internã pro colore, quia non ponunt in numero in ratione visibilis, vidimus ex D. Tho. p. p. q. 67. art. 3. quod est valdê notandum pro dictis, quæst. antec. & pro dicẽdis in præsenti. Vndê cum sæpê alias docet quod color non ratione luminis est visibilis, sed tantũ ratione sui, & quod lumen solum requiritur, vt dispositio ex parte medij, loquitur de lumine externo non verô de interno, quod confunditur cum colore, quia est illi semper adiunctus, estque eius actus subsistentia, & a quo visibilis vltimo redditur; & sic diuersæ speciei colores in esse naturæ sunt eiusdem rationis in esse visibilis.

5 Inde sumitur 3. probatio pro nostra concl. Si colores ratione sui essent adæquatê visibiles, & non ratione alterius rationis rederentur visibiles, quod est diuersum specie in ratione coloris, esset diuersum specie in ratione visibilis, sed hoc est falsum, nam omnes colores in ratione visibilis sunt eiusdem speciei, at non est alia ratio, nisi quia, lux quæ se ipsa est vltimo visibilis, & primum in genere visibilium est ratio cæterorum, & per consequens ratio videndi colores, ergo ratione lucis redduntur colores vltimo visibiles, at lumen externum solum requiritur, vt dispositio medij, quia est lux pura, & ideo non proportionata per modum formæ cũ colore, quæ est extremitas perspicui opacitate terminati ergo debet esse lux intrinseca, quæ à cælo tamquam à primo sensibili, & visibili (habet enim in se solẽ qui est fons luminis) cõmunicatur omni naturæ visibili, & ratione eius habeãt colores intrinsecã vim ad immutãdũ visum quatenus illi subdũtur, vt rationi sub qua.

6. Dices. Si hoc est verum, omnia colorata possent in nocte videri, quia haberent lucem intrinsecam, & posita ratione, quæ & sub qua debitè applicata potentiæ potentia mouetur, §. Respond. non videri, quia præter rationem, quę & sub qua requiritur medium rectè dispositum, vt moueatur sensus, & quia lux intrinseca in coloratis debilis est, quia ibi est parũ de perspicuitate, & multum de opacitate, ideo nisi medium fit dispositum a lumine externo, & luce pura non potest illud visibile mouere medium, & visum, at quo magis habet de luce interna, cum minore luce externa mouet, & ideo nocte facile alba apparent, fusca occultantur nec distinguũtur, quia albedo multum habet de perspicuitate, & per consequens de luce interna, ideoque minus indiget de externa, §. Inquires cur ergo in nocte videtur lux vermis noctilucis, nec videtur color, nam ibi maior lux est quam in albo, maior que perspicuitas? Respon aut id quod ibi videtur non esse lucem neque colorem, sed aliquid innominatum, vel si lux est, non ea est, qęa colorem afficit, sed quæ est in aliquibus partibus perspicuis non terminatis opacitate, ac perinde non coloratis, & sic videtur lux illa, non autem colores, quia lux illa extrinsicè se habet ad colores, nec intrinsicè afficit. Vide pro tota doctrina D. Thom 2. de anima, lect. 15. ad text. 72. & de sensu, & sensat. lect. 3.

7 Contra 1. concluſ. argum. 1. Qui existit in profundissimo puteo vbi non est lux, videt quę sub luce sunt suprà, ergo luce non existente in medio dum circunstet obiectum videntur colores; ergo lumen non ex parte medij, vt eius dispositio, sed tantum ex parte obiecti requiritur ad videndos colores, §. Resp. cum D. Thom. hic lect. 14. in fine eatenus videri ea, quæ sunt supra in eo casu, quia aliqua lux licet remissa diffunditur per medium, vsque ad oculum, §. Sed contra est quod hinc fieret remissiorem fore visionem, siquidè remissus dispositio medio remissius mouet species, quod tamen est contra experiẽtiam. Tũ etiam intempesta nocte sub tenebris intensissimis à longissimo intervallo videtur lucerna, & tamen hæc non potest in tantum spatium diffundere lucem, ergo tũc medium nullo modo illuminatur. Denique si lux illa minuta sufficit, vt videatur obiectum illuminatum supra os putei, cur foramen specus profundissimi non sufficit, vt ea quæ circumstant, & sunt intra magis approximata, non videantur, & moueant visum? §. Resp. responsionem traditam veritissimam esse. Ad 1. replicam non fore remissiorem visionem, quia lumen diffusum sufficiens est ad conseruãdam dispositionem requisitam, vt species ibi recepta retineat vim motiuam obiecti, quia ad hoc minor lux sufficit, quam vt obiectum primò immittat speciem, quia obiectum

ctum in se habet esse materiale, in specie autem intentionale, & ideo lumen sufficiens, vt species delata ad oculum ab eo quod est sub plena luce moueat perfectê visum, nõ sufficit, vt ea quæ sub remissa luce circunstant, possint speciem emittere, quod & docet Ferrar. hic q. 13. ad 3. & sic etiam patet ad 3. replicam. Ad 2. Vel respondeo eodem modo. Vel dico in eo casu lucem videri, quæ non exigit tantũ lumen in medio, non autem videri colores, qui illud maius esse requirunt.

8 Contra 2. concl. stant. aliqui Thomistæ, & argum. 3. secundum Arist. diffinientem colorem in ratione visibilis, hic text. 67. *Color autẽ omnis motiuus est eius quod est perspicuum, actu, & id est ipsius natura*: ergo color ex natura sua, & nõ ratione alterius, habet emittere speciem, & intentionaliter mouere perspicuum, & visum, ergo non ratione lucis; at in hoc cõsistit natura obiecti visibilis specificatiui visus, ergo lumen non requiritur ex parte coloris, vt est obiectum visibile, sed tantum ex parte medii, §. Conf. ex D. Tho. hic lect. 14. asserente. *Omnis forma in quãtum huiusmodi est principium agendi sibi simile, vnde cũ color sit quodam forma ex se habet quod faciat sui simile in medio*: ergo ex se habet imprimere speciem & immutare sensum intentionaliter: sed quod ex se aliquid habet non habet ratione alterius, ergo §. Resp. quod solum infertur colorem sicut est visibilis, vt quod (loquimur de illo in concreto) sic etiam esse motiuum diaphani, vt quod, sed vtrumque habere ratione lucis, quę quidem cum sit ratio sub qua non ponit in numero cum colore, nec facit mediationẽ. Ad testim. Diu. Thom. eodem modo quod ex quo fit color forma actiua, non sequitur non habere hoc ex ratione aliqua sub qua agat, & imprimat speciem repræsentatiuam sui in medium, quod autem color, & lux se habeant, vt ratio, quæ, & sub qua in ratione visibilis, & vt obiectum formale, & materiale respectiuê, tradit D. Tho. expresse q. 14. de verit. art. 4. & alijs plurimis locis.

9 Si inquiras, vt quid pupilla sit diaphana, & lucida, & similiter omnia media, seu tunicæ quibus tegitur, §. Resp. eas tunicellas esse perspicuas in actu, vt ab obiecto visibili, vsque ad sensum continuetur idem medium receptiuum speciei visibilis, quod debet esse perspicuum in actu, & hac ratione, non impedit sensationẽ lumen positum supra sensum visus: sed iuuat, quia medium est intrinsecum, quo deferuntur species, & introducuntur in oculum, pupilla autem est etiam lucida, & perspicua, quia lux est primum principium, seu virtus primi alterantis, quo fit omnis actio naturalis, & sensitiua, & ideo debet esse in visibili, & in visu, in visibili, vt moueat visum, in visu vt vitaliter operetur; & quia sensus iste est perfectior,

actior, ibi explicatur, & ratione luminis refertur ad primum mouens, & alterans actio visiua, sicut actio coloris in visum reducitur ad idem principium media luce.

## QVAESTIO LIII.

*An sensus visus sit perfectior inter quinque externos sensus, & in qua parte resideat organum, & sensorium eius.*

1 DIcendum est 1. visum esse perfectiorem sensum inter omnes exteriores, hac ratione prius de illo egi seruato ordine dignitatis, quod enim præstantius est in aliquo genere est mensura cæterorum, quæ sunt in eodem genere. Hoc idē tenet Arist. de sensu, & sensato cap. 1. & clarissimē 1. meth. ca. 1. & probat, quia visus immaterialior est in cognoscendo, & plures rerum differentias facit nos cognoscere quam alij sensus, quod & approbat D. Thom. ibi & hic lect. 14. & p. p. q. 78. art. 1. dum etiam præstantiam attribuit visui immaterialitate, qua mouetur à visibili, & tēdit in ipsum. Oculorum seu visus excellens inter sensus externos, etiam Plato in Timæo commendauit, & Plinius lib. 37. cap. 1. & S. Basil. hom. 11. Exam. & S. Ambros. lib. 6. cap. 9. & Philo de mūdi opificio. Quod in homine præstat mens, hoc in corpore exercet oculus. Sed de his satis.

2 Antequam in qua parte resideat sensus, visus discutiatur necesse est saltim crassa minerua describere omnes partes quibus oculi constant, vt detur locus inquirendi in qua ex illis sensus iste sub sit, & quamuis hoc ad anathomen spectet nonnulla præliband a sunt, quæ apud Galenum lib. 8. de vsu partium cap. 6. & specialiter lib. 10. cap. 10. latius describuntur. Consulendus Vesalius lib. 2. de cō posit. corporis humani, & Arist. diligentissimus naturæ scrutator lib. 2. de hist. animal. cap. 9. & lib. 2. de part. animal. cap. 1. & lib. 5. de generat. animal. cap. 1.

3 Oculus igitur qui est figuræ sphericæ oui vt in plurimū formam referens constat tribus humoribus, quinque tunicis, & duobus neruis qui vocantur optici, quibus pendet à cerebro. In centro oculi est humor christallynus coagulatus ad modum ceræ, qui & glacialis etiam dicitur, contegitur tunica, quæ specularis, quia ad modum speculi est nitida, dicitur, & etiā aranea appellatur, quia in subtilitate araneārum telæ assimilatur, vtrumque hoc compaginat oculi pupillam: huic postea humori glaciali alter adiūctus est quasi corneus, qui vitreus dicitur refert enim splendorem vitri liquefacti, qui etiam incluſus est alia tunicella retina, quia venulis, & arterijs quasi rete cōtexta est, & ea parte desinit, qua humor christallynus super vitreum eminet. Tertia tunica vuea sic dicta, quia folliculū vuę immitatur

colore, & includit vtrumque humorem vitreum, & chrisallinum cum suis tunicis; & quia hęc vuea tunica aliquantulum est colorata nec purè transparens est, foramen habet supra pupillam ne impediat transitum specierum visualium, & ipsam visionem, & ex hac tunica oculi denominantur nigri, aut cælij. Humor qui albagineus dicitur super hanc tunicam natat similis albo oui, qui quasi irrigatur pupilla ne deficcata temperamentum debitum amittat, continet hunc humorem tunica, quæ cornea à similitudine corneæ lamine aut bracteæ nũcupatur, quæ diaphana est, & totum oculũ ambit; vltima tunica alba est, quæ grossior est, & vocatur, adhęrens, & album oculi, habet quẽ foramẽ versus pupillã illi correspondens, vt sic intrent species; oculare corpus neruo pendet à cerebro, qui opticus, seu visorius dicitur; quique duplici tunica continetur altera tenui; altera duriori, & cum duo sunt oculi versus frontem cõiunguntur nerui, & postea in latus dextrum, & sinistrum cerebri separantur; inquiritur ergo in qua ex his partibus sensus visus resideat?

4 Dicendum 2. Pupilla oculi est organum, seu sensorium visus in quo subiectatur sensus visus. Sic Diu. Thom. hoc lib. 2. ad text. 83. ibi: *Sicut enim humidum aqueum, quod est in pupilla caret omni cõlore, vt possit cognoscere omnes colorũ differendas, &c.* Ecce potentiam cognoscitiuam colorum in pupilla collocat D. Thom consonat de sensu, & sensato, c. 2. lect. 5. *In quod est intra pupillam, quæ est organum visus aqueum est,* & Arist. lib. 1. de hist. animal. cap. 9. *Humor oculi interior quo videmus pupilla est.* Prober. Tum ab exemplo aliorum sensuum externorum, quorum sensoria etiam si pendeant à cerebro tamen non sunt in illis neruis, sed in organis ipsis, vt patet in aure ex D. Tho. ad citatum text. 83. & in gustu, & tactu, ergo similiter erit in visu. Tum etiam isti sunt sensus externi non interni ergo in organo exterrno, & non in neruo adhærente cerebro debent inesse. Tũ quia post pupillam quasi a tergo opacus humor residet, sicque tunica pupilę non nisi hæc ratione vocatur specularis, quia vltra nequeũt transire species visuales, & ideo nos conspicimus in pupillis aliorũ ex aduerso stantium, ergo species inde non possunt transire ad nervos, vt ibi fit visio, & hoc magis consonat sacræ Scripturę, vbi dicitur nos oculis videre nõ neruis. Leuit. 13. *Quod sub aspectu oculorum cadit,* & Prouerb. 10. *Aurem audientem, & oculum videntem.* Sed in aure, & non in cerebro est auditio, ergo in oculis visio.

5 Arguitur 1. Nullus humor viuit, sed pupilla constat humore chrisallyno, aut glaciali, ergo non videt, nam visio vita est sensitiua; ergo ibi non residet potentia vitalis sensitiua. Tum etiam.

Humor Christallynus resultat ex quatuor humoribus, ergo est coloratus; at organum visus, nequit habere colorem, ergo visus non est in humore pupillæ tanquam in organo, §. Respond. non quemcumque humorem carere vita (sensitiua specialiter) sed solum qui est simplex, & liquidus, at pupilla, & eius humor ex temperamẽto quatuor humorũ resultat, & ideo potest viuere. Ad 2. respon. negando pupillam esse coloratam, est enim perspicua, nec omnis compositus humor, aut tunica colorata est necessariô, §. Neque obstat visioni, quod sit lucida, & si hoc demus, quia iam diximus lucem ob suam eminentiã esse qua color videtur, qua species eius recipitur in medio, & qua oculus effectiuê videt, sicut de lumine intellectus, & de lumine gloriæ, docet D. Thom. 1. p. q. 12. art. 5. est enim etiam lumen effectiuum, quo primum aliquã in sua linea causat visionem, & ideo non impedit, sed iuuat.

6 Arg. 2. Si visio eliceretur à pupilla oculi, & non à neruis opticis, qua parte iuxta cerebrũ coalescunt in vnum dum duplici oculo, & puplla aspicimus gemina apparerent obiecta, nã visio fit quatenus cuspis piramidalis anguli, cuius basis est in obiecto contingit sensorium visus, sed in isto esset duplex angulus ad quamlibet pupillam acuminatus, ergo apparerent gemina obiecta, sicut si digito detorqueamus oculum gemina apparens quia multiplicantur anguli. Contra Potentia visiua, vna est, & visio vna, ergo non potest esse in quolibet oculo; sic enim esset duplex visio, solo numero distincta in eadem potentia, §. Respond. instando, Visio fit per speciem, sed in quolibet oculo sua species intrat, nam vno clauso nihilominus videmus, ergo, & si sit duplex angulus idem videbimus; & ratio est quia vterque angulus est sub eodem axe, vt nota, M. Io. à S. Thom. hic q. 5. art. 1. Immo si sensus visus est transfrontem, & in medio, ergo non videt res præsentes visualiter, sed absentes, nec linea recta fit visio, quæ sunt absurdissima. Ad conf. resp. quod cum sit potentia vna, organica, & pluribus partibus constans possunt esse plures actus immanentes diuersi numero in diuersa parte subiecti, quia in ordine ad vnum obiectum est vtraque partialis visio: nec superflua fuit natura, sed prouida, quia in sensu adeò necessariô multiplicauit instrumenta, vt si vnum deficit relinquatur, & alterum.

## QVAESTIO LIV.

*An fiat visio per extramissionem oculorum, an per intramissionẽ tantum specierum, & actus immanentis.*

1 QVod visio oculorum fiat per extramissionem eorũ in obiecta, fuit priscorum philosophorum receptum dogma, Stoicorum scilicet, Platonicorum, & dis-

discipulorum Galeni, Plato quidem, qui citatur lib. 6. de legibus & in Timæo, non negauit speciebus indigere visum ad visionem, vt notat Galenus lib. 7. de plantis, sed volebat ab oculis emitti splendorem, & lumen, quod commixtum externo lumini tenderet in obiectū, & immutaret ipsum, vt emitteret species, & commixtum illis regrederetur, & reflecteretur, & sic fieret extramissio in visione nō formaliter, sed præsuppositiuè, & sic quasi dabat Plato sensum visuum agentem, & sensum patientē, & dicebat hoc lumine in oculis catorum nocte obiecta percipi, & omnibus animalibus in esse, licet non ita deprehendatur, quod contingebat Tiberio Cæsari teste Plinio lib. 11. cap. 37. & Tranquillo in Tiberio cap. 68. & Cælio, lib. 30. cap. 9. qui media nocte expergefactus eo lumine scintillante ex oculis omnia conspicabatur, tam clarè sicut in meridie, dicebat ergo Plato, quod si illud lumen erat debile, & medium erat obtenebratum sibi extinguebatur, & ideo nō fieri à nobis visionem in tenebris, at in luce conseruabatur lumen emissum ab oculis, & tendere vsq, ad obiectum, donec eliceret species, & reflexione traheret, & ad oculum, sicque formauatur visio, & in hoc sensu sequuti sunt Platonem cum Galen. de placitis Platonis cap. 4. & 17. plures antiqui Philosophi etiam SS PP. licet diuersimodè Platonem exponāt, dum alij dixerint illum solum cōtēdere, quod ad aliquā distātiam extenditur radius, & tunc immutare lumen externum, & hoc vt immutatum a lumine oculari continuari, vsque ad obiectum, & illud immutare, & regressum afferre speciem ad oculum. Democritus existimans omnem sensationem externam tactu quodam fieri, loco specierum, voluit quod lumen esset diffusio athomorum, aut corpusculorum emissa ab obiecto loco specierum, & sic immutari oculum per lumen, & fieri visionē quatenus oculus emittit piramidem, cuius cuspis sit in pupilla, & basis in obiecto viso, & sic fieri contactu quodam, visionem mediante piramide illa, quæ constat ex illis athomis sic refert Aquar. lib. 2. de anim. in addit. ad q. 13. Ferrar. & innuit D. Thom. hic ad text. 74. Alij denique admittunt primo per species immissas ab obiecto immutari oculum; at visionem dicunt fieri per extramissionem spiritus visorij per aerem, vsque ad certam distantiam, & ibi fieri visionem ab illis spiritibus non in ipso oculo, & sic exponunt sententiam Galeni, & Platonis.

3 Quod vero visio non fiat extramissione, sed per immissionem specierum ab obiectis immutari oculum, qui est potentia passiua, & sic actione immanenti oculum efficere visionem obiecti docet Arist. hoc 2. lib. text. 62. sententiam Platonis, impugnans, quā nescio an fideliter referat, & refutet, quia suspectus est in referendis

dis eius sententijs; quandoque enim ad sonum, & non ad sensum impugnat. Quidquid tamen sit de hoc contra Platonem omnes Peripatetici sentiunt, & concorditer tenent visionem non fieri per extramissionem.

3 Dicendum ergo est. Visio externa oculorum non fit emissione, sed fit in ipso oculo, ita vt nec præsuppositiuè, neque formaliter fiat extra missione; quod vero non fiat extra missione formaliter prob. Visio corporalis est actio vitalis immanens, vt latè probat D. Thom. in 1. dist. 40. q. 1. art. 1. & alibi, ergo neq; fit extramittendo aliquid quo contingatur obiectum ad extra per modũ piramidis, vt voluit Democritus, neque spiritu emisso in aere ad certam distantiam. Quod, & confir. Nã in eo casu non oculus propriè videret, sed aer immediate, sicut ignis immittens calorem in aerẽ, aut aquam distantem, cum ibi aliquid calefit, non dicitur ignis immediate calefacere, sed aer, aut aqua distans, vt informantur calore ignis.

4 Fieret etiã vt satis bene adrem argumentatur Abulens. Paradoxa 4. c. 6. quod eo instãti, & primo tempore, quo aperirentur oculi nihil videremus, quia tunc temporis per motum elicerentur illi spiritus ab oculis; & refrangerentur in aere ad certam distantiam, & rursus reflecterentur ad oculũ, deferendo species, quod morulam temporis exigit, & postea fieret visio, & sic fieret illud mirabile, quod contigit Paulo, quod *apertis oculis nihil videremus etiã in lumine*. Immo si flaret ventus, cũ illi spiritus hac illac mouerentur, & defferentur quandoq; post tergum, etiam fieret, quod non videremus ea, quæ ante oculos sunt, vel si viderẽtur mutantia, & mobilia viderẽtur, sicut abebrijs, & eueniret quod de illis lepidè narrat Horat. *Cũ bibitur concha. tũc iam vertigine tectum. Ambulat.* &c. Cum autem illi spiritus post tergum deferentur, & rursus facta reflexione ad oculos vento retraherẽtur videremus, quæ sunt a tergo, imõ cum spiritus illi animales sint calidi, & humidi, continua emissione eorum deficeretur omnino cerebrũ, & amitteretur visus, & in aere congelato congelarentur (sicut in halitu videmus) & spissarentur, & sic grauitate frigoris constipati decciderent in terrã, & nulla fieret visio, & sicut in speculo oppositio halitus cõtegit speculum, vt nihil videatur in eo, quia frigiditate vitri cõstipatur, sic in hieme cõtingeret, quod fere nihil ex distantibus cerneremus constipatis illis spiritibus in aere calido posito ante oculos, vel sicut fœmina menstruata immittente ex oculis spiritus corruptos in speculum frigiditate vitri cõspissantur spiritus illi in speculo, & fiunt maculæ cruentæ in speculo, nec fit regressio, & reflexio eorum ad aspicientes, sic etiam illis spiritus ocularis congelarentur in aere fri-

gi-

gido, & obtubilarent ipsum, nec gossent videri quæ essent distantia, nec ea quæ sunt sub aqua, quia ad superficies primas aquæ etiam congelarentur, & dessipato calore ibi sisterent, neque contingerent quę sub aqua insunt, nec esset regressio ad oculum, vt fieret visio, imô positis, ante oculos perspicilijs nihil videremus, quia spiritus illi totam reflexionem facerent in vitro, neque per illos possent penetrare, & sic resultarent, ê vitro ad oculum, nec nisi vitrum cerneretur. Mitto, quod cum illi spiritus non possent penetrare corpus primi cæli, nec aer, vt ignis vt motus illis spiritibus posset ipsum penetrare nõ videremus planetas, qui sunt in alijs cęlis superioribus, ergo illa sentẽtia nec apparientiam habet in philosophia, sed explodenda, & relegenda est ab illa tanquam absurda.

5. Ex dictis constat à fortiori visionem, neque formaliter, neque præsuppositiue fieri per emissionem spirituum, qui progressi ab oculis tendunt in ipsum obiectum visibile, aut immutando ipsum, vt emittat species, quas per regressionem trahãt spiritus illi ad oculum; quanta enim virtus potest esse in oculis, vt sufficiat emittere spiritus vitales, vique ad solem quin exhaletur virtus, & viuens emissis spiritibus in multa minori distantia, & per consequens conuincitur, quod neque formaliter fiat visio per huiusmodi emissionẽ

6. Quamuis positio Platonis in se non sit vera, quia tamen cum specie probabilitatis potest absq; difficultate defendi, præsertim si generatur disputatio academica, & solum honestæ voluptatis causa ad exercendam mentem, & acumen, vt inter erũdita, & florida Italiæ ingenia vsuvenit, placuit in illa paulisper immorari. Duplici namque via potest hæc sententia defendi, aut dicẽdo quod præsuppositiuê fit visio per extramissionem non quidem spirituum vitalium (quod multum a vero aberrat) sed per emissionem luminis oculatis, quod habeat oculus ex participatione cælestis luminis, quod quidem intẽcionaliter emittit à se ad illuminanda obiecta sensibilia, & inde extrahẽdas species, ponendo sensum agentem, sicut ponitur intellectus agens ad illuminanda phantasmata lute intellectuali, & inde extrahendus species intellectuales, & dicendo quod hoc lumen cum non procedat alteratiuê alteratione corruptiua, potest in instanti diffundi per totũ spatiũ obiecti visibilis, & penetrare cælos ad videndum solẽ, sicut eos penetrant radij solis, & quod sicut modo virtute cæli obiectum materiale coloratum mouet diaphanum actu illuminatum sic illud lumen solum per medium illuminatum diffundi potest, & immutare obiecta ad species eliciendas, & quod illud lumen non splendet formaliter nobis, sed est virtus luminis cælestis, quia est naturæ valde subtilis, sicut ignis

in

in ſua ſphera haber lucem, & tamen ob ſuam ſubtilitatem nõ percipitur à noſtris ſenſibus, & ſuadendo hoc. Nam ſi nos dicimus obiecta craſſa, & materialia, habere vim ad immittendas ſpecies in medium diaphanum illuminatum à longa diſtantia vſque ad oculũ, & hoc virtute cæli, quanto magis in nobiliſsimo ſenſu externo qualis eſt viſus erit à cælo participata vis ad illud lumen diffundendũ vſque ad obiecta materialia, immutando ea ad eliciendas formas ſine materia, ſeu ſpecies ex illis, & adducendas ad ſenſus, ſicut intellectus hoc præſtat illuminando phantaſmata materialia ad extrahendas ſpecies immateriales, & proportionatas intellectui poſsibili, & addi poteſt ad hoc exercitij gratia defenſandum, quod virtus illa intentionalis effectiua ſpecierum connaturaliori modo debet redere in potentia cognoſciti ua, & immateriali quodammodo quam in obiecto craſſo, & materiali, quod non eſt in linea cognoſcitiua. Quod, & ſuaderi poteſt, quia abſurdum videtur, quod ſenſus perfectiſsimus conſtitutus in linea viuentis ſenſitiui, immutetur, & ſpecificetur ab obiecto materiali; multo enim ſimilius verò videtur quod, ẽ contra res fiat quando ex hoc non apparet abſurdum manifeſtum, & poteſt deſumi fundamentum ex his quæ D. Th. de luce docet in 2. diſt. 13. q. 1. art. 3. in fine corp. & in 3. diſt. 14. q. 1. à 2.

7 Poſſet idem alia via defendi, quod lux vitalis viſus non diffunditur vſque ad ipſum viſibile, ſed ſolum vſque ad lucem externam contiguam oculo, & cum ibi ſint tamquam in medio externo, & non nihil improportionato ſpecies immiſſæ ab obiectis, lux illa interna oculorum immutat medium illud, ſeu lucem externam, & elicit inde alias ſpecies viſuales puriores, & vltimo proportionatas viſui & per aliqualem reflexionem, eas trahit ad ſenſum, & ideo telas illas, ſeu tunicas, quibus tegitur pupilla eſſe lucidas, & diaphanas, quia ibi reſidet lux ab oculo, & hoc contigere in viſu, ſicut in intellectu contigit; perueniunt enim ſpecies rerum materialium vſque, ad phãta ſiam, quæ noſtro modo concipiendi eſt potentia contigua intellectui, & ibi intellectus agnes luce interna, & proportionata intellectui, ea illuminat, & elicit ſpecies proportionatas intellectui poſsibili, & ſic intellectio fit per quaſi extramiſſionem per ſe præſuppoſitam ad intellectionem, & ſic viſio erit actio immanens, vt docet D. Th. ſed præſupponet actionem tranſeuntem ſpecierum eductiuam.

8 Sed tamen iuxta Ariſt. & D. Th. neque cum his moderationibus tenenda eſt ſententia Platonis in via peripatetica & ideo eſt fundamentum in D. Th. de ſenſ. & ſenſato lec. 4. ad impugnandum ſecundum modum explicandi ſenſum Platonis, & ſupra la ẽ oſten-

di

di ex eodem relegandum sensum agentem, & omnem actionem trã seuntem etiam præsuppositinê, & hoc esse inte verum contra primum modum conuincit experiẽtia speculi, in quo videmus quæ sunt à tergo, si enim species non immittuntur ab obiecto, sed extrahuntur ab illo per radium lucis emissum ab oculo, quia via recta procedit, & tendit in speculũ qui fieri posset, vt ea quæ sunt à tergo per illũ radium videremus in speculo cum omnibus motibus, quos edit, & omnibus accidentibus, etiam si sint obiecta à nobis distantissima? Quod vero, nec secundus modus expendens sententiam Platonis admitti debeat, etiam suadet, quod si semel obiectum virture cælesti potens est immittere speciem sui intentionalem, & formam sui, sine materia vsque in oculum, ipsa erit proportionata ad immutandum sensum, quia est in eodem genere sensibili; cum visus sit potentia materialis, & cum natura horreat superflua, ea vis sensus agentis relegenda est, nec ideo negandus intellectus agens, vt suo loco dixi, quia vt ex D. Th. ibi expendebam species materialis, quæ est in phantasmate, & ipsum obiectum, prout ibi non est in genere spirituali, in quod est intellectus, & ideo necessario est admittendus intellectus agens.

9 Contra nostram resol. arg. 1. Si visio non fiat per extramissionem non erit cur obiectum distans possit videri in minori magnitudine, & quantitate, quia multiplicabitur species vsque ad oculũ absque aliqua resistentia contrarij, & sic eandem seruabit repræsentationem: cum ergo à longe aut vix videatur, aut nihil dicendum hoc ideo contingere, quia fit visio per extramissionem spirituum, aut luminis, quæ debilitantur in ea distantia, vt patet in calore emisso ab igne, & in luce lucernæ à longè positæ. Tum etiam si non fit visio per emissionem spirituum aut luminis ad obiectum, & regressionem ab illo ad oculum non erit ratio, cur visione percipiatur distantia rei visibilis, quia eam non habet obiectum, dum primo imprimit speciem sui in circunstantẽ aerem, nec aer inter medius ob eandem rationem, dum multiplicat speciem eam potest repræsentare, quia omne medium multiplicat speciem, vt indistans ab illa, ergo distantia repræsentatur, quia radij seu spiritus, quibus fit visio illam metiuntur, & pertranseunt bis. 9. Resp. cum D. Th. hic lec. 15. ad text. 74. quod apparet obiectum minoris magnitudinis, quo magis distat, quia visio fit per minorem angulum piramidis, cuius basis est in obiecto, quia quo magis distant latera, necesse est minorem esse angulum, & ideo si visus sit perspicax etiam si in minimo tangatur sentit, obiectũ, si autẽ hæbes fit nõsẽtit, distantia autem percipitur ex hoc ipso, & quia à spatio modifi-

can-

cantur illæ ſpecies, vt repræſentent ſitum, & vbi rei viſæ per modum ſenſibilis communis, & ſic percipitur diſtantia.

10 Arg. 2. Si viſio non fit per extramiſsionem lucis, nõ erit rario cur inter nebulas, quæ ſunt propè videantur, quæ ſunt procul oculentur, cum omnibus partibus ſit nebula æquè obſcura, data autem illa ſententia facilè percipitur oculum illuminare propinqua, & diſtantia non pẽcipere, quia lumen opacitate obſcuratur, nec poteſt illuminare, quæ aliquã tulum diſtant. Tum etiam. Cur quæ a longè ſunt addita quantitate præciſè videntur, etſi nec virtus potentiæ addatur, nec maius lumen medio (cum tamen antea nõ viderẽtur) niſi quia lux ſi creſcat obiectum diſtans non ita facile diſsipatur: ergo ſic fit viſio? Reſp. in eo caſu diſtantia non videri, quia illa medij intercapedo debilitat actionẽ obiecti, ne ita poſsit immutare oculum, namcolor non immutat medium, niſi actu lucidum, & ideo in minori diſtantia videntur, quia minor virtus requiritur. Ad 2. rationẽ cur addita magnitudine videntur, quæ ante nõ videbantur, eſſe quia fit maior angulus, quia creſcit baſis piramidis viſualis, quæ figitur in obiecto à Perſpectiuis.

## DE SENSV AVDITVS.

## QVÆSTIO LV.

*Quid ſit ſonus, quid etiam ſonorum, & quomodo generetur echo?*

1 ARiſtoteles in 8. c. huius l. in primis diſtinguit ſonum dicens, alium eſſe in potentia, alium in actu, ſonus in potentia eſt in corpore potente ſonare, vt ſunt corpora plana, & lænia, & hæc dicuntur habere ſonum in potentia, & idem eſt de cõcauis corporibus; ſonus autem in actu non eſt in ipſis corporibus ſonantibus (ſicut color eſt in viſibilibus obiectis,) ſed ſolum eſt in medio, aut in auditu, ideſt in potentia auditiua, in aere quidem, quatenus mouetur ex percuſsione corporis ſonantis in auditu autem, quatenus media ſpecie ſentitur.

2 Tria autem requiruntur ad ſonum in actu, ſcilicet, quod ſit alicuius, ab aliquo, & in aliquo ideſt ex percuſsione vnius corporis ſonatiui ad alterum fit ſonus in aliquo medio, quia fit percuſsio locali motu, qui non eſt ſine medio, & in hoc medio fit ſonus in actu, cauſatus tamen ex colliſione corporum, corpora autem, ẽ quorum percuſsione fit ſonus, nõ debent eſſe mollia, vt ſpongia, & lana, quia cedunt percutienti, & ſic ex percuſsione nõ extruditur aer

aër in quo fiat ſonus, ſed debent eſſe corpora dura, vt ex percuſſione aer extrudatur, & læuia, vt aer qui extruditur ſit vnus, & non diuidatur, quod ſint concaua, quia ſic aer ex percuſſione commotus, cum non poſsit ſtatim exire fiunt multi ictus, & multiplicatur ſonus, vnde etiam fit, quod ea quæ in ſui compoſitione habent aerem bene diſpoſitum, bene ſonent, vt æs, & argentum, at quæ habent fęcem, cum in ſui compoſitione non habent aerem benè diſpoſitũ male ſonant, vt plumbum; mediũ autem in quo fit ſonus eſt aer, & etiam aqua, ſed magis aer, & quia medium receptiuum alicuius ſenſibilis qualitatibus ſenſibilibus carere debet, nec aer, neque aqua habent ſonum proprium, ſed generatur in illis ex percuſsione corporum ſolidorum, requiritur autem, quod fiat percuſsio in aere medio inter corpora percuſſa velociter, quia ſi fit tardè dilabitur aer, & contactus non fit in aere ante eius diuiſionem, vel elapſum, ſed in eo caſu fit contactus vnius corporis ad alterum, ſed ſine ſono.

3 Hucvſque de directa generatione ſoni, reflexa etiam poteſt eſſe, quatenus reflexa eſt immutatio aeris non diuiſi; nam ſonus ſequitur immutationem aeris prouenięs ex percuſsione corporis duri, & leuis aut concaui, cum ergo percutiuntur primo duo corpora in aere medio fit directè ſonus, ſi autem aer ſic percuſſus, diffundatur, percutiens, & mouens proximum, aerem & allidatur ad corpus oppoſitum, leue aut concauũ regreditur aer, & generatur ſonus ex aduerſo loco ad illum in quo primò factus eſt, & ſic fit echo. Ponit Ariſt. aptum exemplum in ſtagno aquæ ſi immittatur lapis, ex percuſsione fiunt circumcirca ad locum ictus, girationes breuiores, ſed fortiores, & vltra has aliæ maiores ſed lentiores, donec ſic in longum interuallum porrectæ deficiant; ſi autem vna giratio aquæ non diuiſę adidat ad parietem, vel corpus ſolidum regreditur giratio cum tanto maiori impetu, quanto colliſio proximior eſt loco, in quo primum percuſſa eſt aqua, ſic in ſono fit ſonus hic ex percuſsione aeris ad corpus durum, & leue ſiunt girationes aeris & defertur ſonus, longo interuallo, licet lentius, quia commotio aeris debilior eſt, ſi autem allidatur aer ad corpus ſolidum cõcauũ ſonus reflectitur, & fit echo & ſonus ſentitur ab oppoſito loco ab eo in quo primo genitus eſt; vnde ſemper fit echo ſi ſit oppoſitum corpus in quod impingit aer, ſed non ſemper percipitur, ſicut in lumine Solis ſemper fit reuerberatio ad corpora, alioqui vbi directè non irradiat Sol eſſent tenebræ, ſed non fit refulgentia niſi fiat reflexio in corpore leni, & nitido, vt cum fit irradiatio in aqua, aut in vitro, aut in politis marmoribus. Hæc Ariſt. in hoc c. & a text. 77. vſque ad 80.

4 Ex quibus facilè innotescit natura soni, & sonatiui; sonus autem sic potest describi: *Qualitas fluida sensibilis, ex forti collisione duplicis corporis solidi, & lenis, aut concaui, & resilientia medij proueniens.* Quod sit qualitas sensibilis est commune omni obiecto sensus exterioris; omnis namque sensus habet pro obiecto qualitatem sensibilem, nam motus est sensibile commune, & sonus transacto motu manet, vt patet in campanis. Quod vero sit fluida qualitas, & non permanens etiam constat, quia in fieri & cõseruari pendet à motu, vel parum post dura; & ideo dicitur a D. Thom. ad text. 77. *Esse eius non esse fixum, & permanens.* Quod vero ex duplici motu resultet, scilicet, ex forti percussione, & resilientia medij satis constat ex dictis. Quod autem licet sonus dependeat tanquam à causa positiua a duplici illo motu locali collisionis corporum solidorum, & resilentia aeris tamen fiat ex motu quodam alterationis ibi interueniẽte videtur rationi congruũ, quia motus localis non habet pro termino qualitatem palsibilem; sed *vbi*; ergo sonus motu alio alterationis fit, qui alterat aerem præsuppositra percusione, & resilientia, vnde sicut motus dicitur causa caloris, quia ex collisione duorum corporum etiam fit alteratio, & per eam calor, sic etiam in nostro casu alteratione fit sonus; causa autem efficiens est corpus sonorum; sic etiam insinuat Arist. hic text. 77. assirens corpora sonatiua, quæ habẽt sonum in potentia, ea esse quæ efficere sonum possunt, & text. 79. *Auditur sonus in aere, & in aqua, at vero, nec aqua est auctor soni nec aer, sed opus est vt inter se solidorum corporum, atque ad aerem ictus fiat.* Huc vsque de sono di ectẽ causato.

3 Echo autem, seu sonus ex reflexionem causatus, sic diffinitur: *Sonus causatus ex repercussione medij deferentis sonum in aliquo decerminante, & prohibente diffundit.* Quod satis constat ex dictis ex doctrina Arist. hic ad text. 80. & sect. 11. problem. 13. Echo autem est distinctus sonus à sono directo. Tum quia hac ratione resonatio dicitur. Tum quia sonus comparatur impulsui, at impulsus causatus à motu reflex diuersus est ab eo qui est à motu directo impressus, ergo similiter ſ. An autem echo fiat sola reflexione specierum, sicut in speculo absque eo quod sit naturalis color, videtur imago, an autem requiratur quod sonus realis reuerberet, quæstio est anceps, & quia diuisi sunt Philosophi & Theologi, non sine sufficient. fundamento vtrũque probabiliter defendi poterit; mihi autem arridet quod requiratur realis reflexio soni, & quod qualitas illa terminetur. Tum quia assimilatio ad giratio nem aquæ, & exemplum de pila reflectente hoc suadent, & tamen

per

per illud exemplum hoc explicat Arist. loquitur enim ibi de naturali generatione soni, quem diuidit in directum, & reflexum, at de sono secundum quod intentionaliter mouet auditum, non agit vsque ad text. 81. vt ibi adnotat D. Thom. nec est idem de obiecto colorato visibili, nam vt etiam obseruat D. Thom. ad text. 77. quia sonus non habet esse fixum & permanens, sicut color, & aliæ qualitates, quæ sunt per se obiecta aliorum sensuum, simul agit Arist. de illis secundum esse naturale, & intentionale, quia vnum alterum concomitatur & habet esse simile fluidum.

6 Sonorum autem, seu sonatiuum, seu corpus causans per se sonum secundum Arist. text. 82. sic definitur: *Quod mouet aerem continuatione vnum vsque ad auditum.* Quæ definitio ex dictis clara est, nec indiget expositione.

7 Inquires, an generatio soni sit naturalis, an violenta? Videtur enim violenta, quia ex forti percussione fit. ℣. Sed dicendum esse naturalem, quia illud est naturale, quod habet potentiã naturalẽ actuam ex intrinseco suæ naturæ, at sonus habet huiusmodi potentiam ex sua natura; quamobrem Arist. hic text. 77. diuidit sonum in actum, & potentiam, & potentia sonum dicit esse, quod est solidum & leue, quod quidem a natura prouenit, & infra docet ea, quæ habent in sua dispositione aerem appreẽ commixtum melius sonare, vt sunt argentum, & æs, vt notat D. Thom. ad text. 68. ergo. Tum etiam. Potentiæ passiuæ naturali, necessario actiuum naturale correspondet: quia ab actiuo pendet & specificatur, & denominatur potentia passiua, vt hic docet Arist. lib. 3. text. 17 sed auditus est potentia naturaliter passiua a sono, vt supra de omni sensu cum Arist. statutum est, ergo sonus habet esse naturale, & non violentum: nam esse violentum non ex inclinatione naturæ, sed contra illam habet suum esse. Denique habet potentiam naturaliter actiuam, & passiuam, quia corpora collisa conferunt vim, vt aer ipse sua resilientia causet sonum, & illi motus naturaliter disponũt ad sonum generandum: ergo sonus habet vndique rationem entis naturalis.

8 Inquires 2. an illa tria quæ ad sonum requiruntur, scilicet per aliquid ad aliquid, in aliquo, seu corpus percutiens & percussum, & medium resiliens sint causa esse actiua sonus? ℣. Resp. in primis constare ex Arist. text. 78. semper fieri sonum per illa tria, sed non requiritur quod sint discontinua, sed sufficit secundum partes distinctas hoc præstare, si sit corpus percutiens & percussum mediis aliquibus partibus, quod patet si virga aerem percutias, ibi enim solus aer & virga sunt & fit sonus, quia vna pars aeris mediante alia percutitur, &

idem

idem est cum vox formatur ex percussione aeris ad arteriam vocalem; & idem cum scinditur papyrus aut lintheum, vna enim pars percutit alteram medio aere, forti collisione, donec altera cedit, & sic fit strepitus, & fragor. §. Secundo dico, cum Arist. text. 79. *Nec aer est actus soni, nec aqua sed opus est, vt inter sese solidorum corporum atque ad aerem fiat percussio.* Sentit ergo, quod causa soni non est medium, sed corpora, quæ se collidunt, sed vtrum eorum sit per se causa docet text. 88. *Constat vtrumque sonare, verberans & verberatum, modo autem diuerso*, alterum scilicet vt agens percussionem, alterum vt patiens, & resistens & faciens resilire corpus medium, ergo vtrumque corpus partialiter concurrit ad resilientiam sicut ad collisionē medij in quo fit sonus concurrunt.

9 Con. diffinit. sonus agr. In Si sonus esset qualitas denominaret subiectum aliquod (est enim qualitas, qua quales esse dicimur, sed sonus non denominat corpora quæ se collidant, nisi extrinsecè, vt principium efficiens, neque auditum quia in eo non est physicè, alias cum sit sensibile si poneretur supra sensum impediret sensationem, & in ipso sensu non audiretur alius sonus, quia intus existens prohibet extraneum, neque denominat aerem, qui est medium, quia resilientia illa motus est, & non qualitas, ideoque non denominatur sonans cum hoc attribuatur corporis se percutientibus, ergo. §. Conf. Si esset qualitas, aut esset de primis, aut de secundis qualitatibus ex his resultantibus, neutrum horum est sonus; ergo non est qualitas, prob. min. nam non esse frigus, calorem, humiditatem, aut siccitatem, quæ sunt primæ qualitates patet, quia hæc non pendent ab illa allisione in sua generatione, quod neque sit secunda qualitas ex his resultans prob. quia non resultat ex primarum qualitatum mixtione, sed ex collisione corporum, ergo. §. Ad hoc Respon quod sicut sonus est in medio resiliente, scilicet in aere, aut aqua denominat illud medium formaliter sonantem. Ad conf. quod sicut lux, & impulsus reductiuè spectant ad secundi generis qualitatem, quia non resultant ex mixtione primarum, sed ex alteratione quadam non corruptiua, sic similiter sonus. Adde ad 3. speciem qualitatis, quæ est palsio cito transiens attamen sonum; & tandem nota non posse sonum esse motum localem, quia differentia eius motus est velox aut tardus, sonus autem acutus, & grauis, vt ait Aristotel. hic text. 86.

10 Arg. 2. ad probandum sonum non exigere fortem percussionem, quia etiam cum diuiditur lintheum fit sonus, at tunc non est fortis percussio, ergo. Tum etiā Arist. text. 79. non solum fortem, sed etiam percussionem velocem exi-

exigit, ergo diminutè diffinitus est sonus, non addita illa particula veloci percussione, §. Respon. quod etiam in diuisione est fortis percussio, quia partes aeris cũ impetu concurrunt ad replendum vacuum, & sic fortiter se impellunt, & vna pars cedens alteram fortiter collidit ex impulsu rumpentis. Ad 2. quod fortis percussio imbibit velocem, & ideo non fuit necesse hoc exprimere in diffinitione, quia facilè subintelligitur.

11 Argument. 3. ad probandum non requiri quod corpora collisa sint leuia, & solida, vt fiat sonus con. Conimbricens. quia duo lapides asperi, & non lenes si collidantur fortiter sonant: aqua & aer si vimine verberantur etiam sonant; & tamen sunt mollia corpora, ergo §. Respond. cum Diu. Thom. ea corpora non sonare, nisi quatenus habent aliquid lenitatis in qua collidantur, vt resileat aer intermedius, & aer, & aqua quatenus comprimuntur velociter aliquam duritiẽ induunt, quia consolidantur partes ad resistendum diuisioni, & sic sonant, non tamen ratione mollitudinis, & idem est in lana, & in spongia.

12 Argument. 4. ad probandum diffinitionem sonus reflexi non esse bonam; nam semper sonus inuenit obsistens corpus, & tamen non semper fit echo, ergo illa diffinitio est mala. Confir. 1. Echo non fit eodem motu quo directus, & alias est in eodem medio continuo, ergo est idem, & non est idem sonus cum directo, ergo est impossibilis ex illo principio idem esse, & non esse simul est impossibile; antecedens autem prob. quia variata causa variatur effectus, ergo variato motu, qui causat sonum, variatur sonus: alias esse accidentis sumitur à subiecto maximè si non habet contrarium; ergo manente eodem subiecto manet idem accidens. Confir. 2. quod non fit idem sonus imò nec eiusdem speciei, quia vox solum potest fieri ex viuente, & in determinato organo, ergo non potest fieri a corpore inanimato obsistente, imò si tuba nõ potest articulare vocem, quanto minus corpus concauum terminatus aerem delatiuum vocis, §. Resp. cum Arist. semper fieri echo si sit corpus obsistens, licet nõ semper percipiatur, quod exemplo lucis solaris supra ex Arist. ostendi. Ad 1. conf. Respon. non esse eundem numero sonum, quia licet sit idem subiectum materialiter; est tamen diuerso modo terminatam, & est causa diuersa, & diuersus motus, a quo sonum in fieri, & conseruari pendere ostendi. Ad 2. quod echo vocis non est vox articulata, sed similitudo eius, & sic tibiæ ita ab arte perfici possunt, licet non sit hoc facilè, statuas autem loquentes ex diuersis fistulis ad excipiendum aerem varie dispositas nouit antiquitas, vt statua Memnonis in Aegipto ad radium Orientis Solis voces emittẽs apud Celiũ lib. 22. lec. an

rigoarum cap. 5. Nec recordendum est pro solutione quod echo vltima tantum syllaba respondet loquenti: nam vt ego sæpius expertus sum apud Cœnobium sanctæ Crucis de *Carboneras* in cliuo, aut colliculo quem scorpiorum, aut næparum appellant versus parietem Templi vociferando integra oratio etsi prolixa sit citissimè redditur. Idem etiam in nostro Cœnobio Iesus Mariæ de *Valuerde* prope villam de Fuencarral, qui iuxta publicam viam vociferatur versus claustrum audit echo respondentem, & repetentem integram orationem (nec miror,) plures enim in fronte sunt anguli, & angi portus, ergo non tantum vltima syllaba redditur echo, sed integra oratio, & vox; ergo hac ratione non est dicendum edere vocem, sed solum satisfier stando in responsione tradita, nec echo est vox vitalis, sed sonus similis voci.

13. Argum. 5. ad probandum quod diffinitio sonatiui non est bona; nam in cubiculo vndique clauso audiemus, quæ foris sonãt, & lapillus clausus in timpano, aut musca sonans foris auditur, & tamen aer non continuatur, ergo, &c. Respond. per timulas tennes continuari, alioqui non audiretur & sic respondet Caietanus.

## QVÆSTIO LVI.

*De essentia, & vnitate vocis, & de instrumentis quibus formatur.*

1 VOX sic diffinitur ab Arist. hic text. 87. *Percussio aeris respirat, qui fit ab anima in pulmonibus ad arteriam vocalem cũ quadam imaginatione.* Vbi per causam, & finem diffinitur vox, cum enim hæc sit sonus aeris respirati refracti, & percusi, vbi non est respiratio non est materia vocis, hinc fit quod animalia exanguia, quæ carent respiratione muta sint, & sunt quatuor genera horum animalium, vt D. Thom. ibi ex lib. 4. de hist. animal. capit. 9. refert, scilicet, quæ mollem carnem habent exterius, vt pulpi, & sæpiæ, & quæ sunt molles testæ, vt chancri, & duræ testæ, vt ostreæ, & corporis annulosi, vt apes, & formicæ, & huiusmodi, idem est de grillo qui diffragmate pectoris causat sonum, & verè non cantat, & de cicadis, quæ percussione alarum resonant, sicut & arundines marinæ alijs cient strepitum similiter pisces, & si non careant sanguine, vocales non sunt, quia non respirant. Vnde pisces fluminis. *Aquilao* (inquit Arist.) quamuis dicantur habere vocem muti tamen sunt, nam branchijs motis sonum vocis similem edunt, sed nõ vocem, est autẽ vox sonus animalis non quacumque patefactus, sed ig-

in organo respirationis, quia ibi fit percussio aeris respirati; debet esse ab animali, quia quæ carent anima sensitiua non respirant; & licet sonum edant Tibiæ, & Buccinæ similem voci in continuitate melodiæ grauis, & acutæ, & inde à cortilatione aliqua non tamen vocem. Instrumentum est pulmo, & percussio fit ad arteriam vocalem, quæ Gurgulio dicitur, & dirigitur ab imaginatione, cum fine repræsentandi, & significandi aliquem conceptum imaginationis, quia voces sunt signa cõceptuũ vt dicitur l. 1. Perhier. c. 1. ideoque tussis vox nõ est quamobrem, nisi anima per hæc instrumẽta vtatur aere vitali, & respirato, ad verberandum aerem, qui est in arteria vocali ad ipsam arteriam cũ imaginatione ad aliquid significandũ non erit vox esto fit sonus; signum autem quod vox sit percussio aeris respirati desumit Arist. text. 9. quia neque est vox dum attrahitur, aut expellitur aer, sed dum retinetur, & eo percutitur aer existens in arteria vocali.

2 Solet inquiri in præsenti, an vox quæ profertur ab vno, & auditur à plurib⁹ sit vna vel plures, sed res est facilis, nec maiorẽ difficultatem habet quam in alio sono, nam certum est quod per diuersas species intentionales auditur à quolibet, & certum etiam quod secundum quod vox est prolatio vocalis ab vno loquente vna est cum autem aer extra percussus ab eo qui respiratur, & attenditur ad arteriam vocalem diffunditur in medio, & defert sonum, vnus est secundum esse phisicum, sicut in girationibus contingit, nam si discontinuaretur aer, nisi esset noua percussio, non permaneret sonus, sicut non esset vna regiratio, si girationes apuliæ ad concauum corpus labererentur, & non integræ resilirent, sed sonus multiplicatur secundum quod in aere continuo vna pars impellit aliam, sicut etiam in girationibus contingit cum in stagnum immittitur lapis. Vide D. Thom. de sensu, & sensato lect. 16.

3 Contra diffinitionem vocis argument. 1. Aer est medium, & subiectum sonus, ergo non est qui percutitur ad arteriam, aut qui percutit, & causat sonum effectiuè, nam aliud debet esse causa sonus, & subiectum eius, ℣. Respond. quod pars aeris detenti, & respirati percutit aerem existentem in arteria, sicque non subiectatur sonus in aere percutiente, neque in arteria percussa, sed in aere medio inter vtrumque.

4 Arg. 2. Sine lingua nequit formari vox, ergo diminutus fuit Arist. non assignando hoc instrumentum, ℣. Resp. quod illa tria instrumenta, scilicet pulmo, aer, respiratus, & arteria sufficiũt ad vocem; quamuis lingua requiratur ad dearticulationem.

5 Abulens. in Math. 17. q. 116. existimat non requiri ad vocem aspirationem, aut respirationem,

quia in Beatis post Resurrectionem erit vera vox, & tamen non erit aer qui respirari possit, & hac ratione nonnulli, quos refert S. Th. in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. q. 4. negarunt loquelã corporibus beatis in Empyreo post Resurrectionem, §. Sed resp. quod, etsi supra Empyreũ non sit aer externus elementaris, tamen ex vi resurrectionis accipit corpus aerem internũ sufficientem ad respirationem in finem loquutionis, quæ est de cõplemento humani corporis, & sic aer condensatione, & rarefactione attrahi, & extrahi potest à gutture intra os, & ibi percuti, & fieri locutio, & vox absque aere externo: & quia non est in statu corruptibili semper conseruatur. Vide D. Thom. in 2. dist. 2. & in addit. ad 3. p. q. 82. art. 4.

## QVAESTIO LVII.

### *De subiecto Physico sonus.*

1 DVo sub hoc titulo occurrunt discutienda. Primum an sonus in corporibus sonãtibus, & se percutientibus subiectetur, an solum in medio corpore resiliente. Secundum an hoc medium resiliens sit aer tantum, an etiam aqua, vel ignis. Vnde dico 1. Sonus nõ subiectatur in extremis sonantibus, id est in vtroque corpore se collidente. Sic deducitur ex Arist. ex text. 78. *Fit autem secundum actum sonus alicuius ad aliquid, & in aliquo, percussio enim est quæ facit.* Sed in quo aliquo id est nominat subiectum, nõ vero a quo aliquid est, vel fit, ergo si secundũ Arist. sonus est in aliquo, id est in medio ex percussione alicuius ad aliquid, id est corporum se percutientium, quæ faciunt sonum non est in illis sonus tanquam in subiecto, sed est ab illis tanquam a causa effectiua agente actione transeunti, quæ externũ passum immutat, & in illo habet terminum, educendo formam ex illo, (quod dico, vt abstraham ab illa quæstione an actio transiens sit in agente, nã etiam hoc dato indubitatum est terminum esse in distincto subiecto ab eo, quod agit tali actione, hoc idem docet D. Thom. hic ad text. 77. *In corpore sonante, non est sonus, nisi potentia*, (effectiua scilicet.) *In medio autem quod mouetur, ex percussione corporis sonãtis fit sonus actu, & propter hoc dicitur quod sonus in actu, est medij, & auditus, non autem subiecti sonabilis.* Quam sententiam non solum hic nostri Thomistæ, sed etiã aliqui Scotistæ amplectuntur.

2 Prob. concluſ. rat. Tũ quia sonus fit solum quarenus verberatur aer medius, vnde si quis in vacuo verberaretur non esset sonus, ergo quia in medio fit sonus, & ex illo educitur. Tum quia si sonus in corporibus se percutientibus fieret, & non in aere statim ac percutiuntur corpora audiremus, quia in eo casu aer solum esset medium delatiuum specierum intentionaliũ, quæ sine motu succesi-

uo

no peruẽniunt ad potentiã, sicut contingit in visu, & experientia constat fieri prius percussionem, quam audiatur, hac enim ratione prius videmus coruscationem, quam tonitruum audiamus, ergo sonus in medio aere fit. Tum deniq; quia aere versus me flante audiuntur percussiones à longe factæ, cum tamen proximæ non audiantur, si aliorsum perflet; ergo quia sonus est in aere continuo, & non in sonatiuo corpore, nam si in illo esset, sicut color in re visa, & ad nos solum perueniret per species intentionales receptas in aere, sicut flante vento, hac, aut illac eodem modo videmus obiectũ coloratum, sic etiam audiremus sonum, & ratio omnium horũ est (quam insinuaui,) quia corpora sonatiua agentia sunt respectu motus, & non sunt passiua sicut est aer.

3 Dicendum 2. Medium, & subiectum soni non solum est aer, seu etiam aqua, & quodcumque corpus facile potens defluere, & resilire, ex percussione aliorum corporum, licet aptius inter hæc sit aer Prob. ex Arist. hic text. 79. ibi: *Auditur quidem sonus, & in aere, & in aqua.* Vbi Diu. Thom. *Ostendit quale sit medium in quo generatur sonus, & dicit quod medium in quo sonus auditur est aer, & aqua sed minus auditur in aqua quam in aere, vnde propriissimum medium, tàm in genere soni, quàm in auditu est aer.* Hoc idem probat experiẽcia, quam testificatur Aristot. lib. 4. de hist. animal. c. 9. vbi docet ranas sub aquis licet vocem non edant reddere tamen sonum, & idem de alijs piscibus docet, etiamsi nullus ibi subsit aer, quod & de lapidibus se raptu aquarum concutientibus sub aquis quotidie experimur.

4 Con. 1. concl. arg. 1. Quod libet corpus se percutiens impulsum imprimit in corpore percusso, ergo sonum. Insuper si rumpitur papyrus in partibus diuisis est sonus, ergo in partibus percussis corporum solidorum erit etiã subiectum sonus. Tum quia si manu aprehendas cimbalum ferrea lingua percussum, & tinnientem, aut tremicantem, ex percussione cessat sonus, & tinnitus, ergo in ipso cimbalo est sonus, nam si esset in aere cur cessaret sonus manu aprehẽso cimbalo? Tum etiá, quia si percussio fiat in vase vndique clauso, lapide intra incluso, & si nullus habeat poros sentitur, ergo quia fit, & generatur in corporibus se collidentibus. Tum deniq; quia pro diuersitate corporum se concutientium causatur diuersus sonus; vnde sicut visa albedine cognoscimus album, sic ex auditu percipimus an lignum sonet, an æs, an plumbum, ergo sonus in ipsis corporibus est, & non in aere. Tandem stante æquali percussione, sonus est maior, aut minor ex qualitate corporis percussi, & ideo cimbalum plus sonat, quam duo lapides si impingant, ergo.

5 Resp. sonum non esse impulsum, sed alterius generis qualitatem: & ideò ex quo impulsus recipiatur in corpore percuso, non sequitur ibi esse sonum, sed in aere resiliente. Ad 2. nego quod sonus sit in partibus diuisi corporis, sed est in aere quatenus concurrit ad replendum vacuũ, & alliditur ad partes rumpendas, & cum vi dissilit. Ad 3. quod cessat sonus apprehenso cimbalo, quia suo tinnitu relicto, & percussione percutit aerem in girum, nõ quia fit in cimbalo sonus, sed quia cimbalum, vt tremicãs causat sonum in aere, & cessante causa cessat effectus, & ideo facile rumpitur cimbalum in eo casu, quia vna parte apprehensa, non repugnat alteri impellenti, & ideo diuiditur aere intersecante. Ad 4. quod diuersa causa diuersum causat effectum; ideoque à diuersis sonatiuis diuersi sonus, & sic etiam per effectum cognoscitur causa, non quia effectus sit in causa. Ad vltimũ quod non omnia æque sunt disposita ad causandum sonum, & ideo cimbalum plus sonat, quia habet meliorem dispositionem, vt Aristotel. ex D. Thom. expresse docent hic text. 78. quia quæ sunt cõcaua, & læuia, & habent in sua compositione aliquid de aere melius sonant.

6 Conc. 2. conc. militant plures Thomistæ recentiores eam esse de mente Aristot. (cum non sit ita certa sicut præcedens) quia validis (vt solent, mouentur fundamentis. Argument. ergo 2. Pisces sub aquis magno currentes impetu non sonant, nec aqua maris in fundo allisa saxis, ergo in aqua non fit sonus, eo quod nõ ita facile frangitur aqua, aut dissilit sicut aer, ergo non est medium neque subiectum, §. Sed Respond. instando, nam etiam Aquilæ maiori impetu secantes aera non sonant, ergo, & si pisces non sonent intra aquas, non sequitur ibi non esse sonum, sed vix percipi ob subtilitatem aquæ, quæ non ita resistit, vnde sicut testante Aristotel. text. 80. semper fit echo cum contra parietem fit vox, sicut, & splẽdor si feriatur paries radijs luminis, non tamen semper ita percipitur, quia alijs sonantibus distrahimur; sic similiter contingit in nostro casu, cum aquæ maris impingunt ad saxa. Ad 2. Respond. solũ inde elici posse aqua non esse medium ita aptum ad sonũ sicut aer, non autem quod non sit sufficiens vt ostensum est.

## QVÆSTIO LVIII.

*Quomodo deferatur sonus, vsque ad auditum tàm in esse reali, quàm intentionali?*

1 SVpponendum est ex Arist. hoc lib. 2. text. 73. quod sensibile positum supra sensum nõ facit sensationem, quod specialiter de sono docet ibi text. 75. ex quo deducitur, quod vt auditio fiat non requiritur sonum in esse reali pertingere, vsque ad audi-

tum,

tum, ideoque esse in aere plores reflexiones, & timpanum, aut pelliculum auris ad quam ad summum potest sonus realis peruenire vt audiatur, sed tamen quandoque non existente aere intra illam spheram auris in qua realiter est sonus: auditur tamen (experientia teste) quia non mouet auditum contingente aere ipsam potentiam: ad hoc enim sunt illæ reflexiones in aere: sed solum immutatur per species intentionales sonus existentis in aere, aliàs etiã, & si aer pertingere posit organum non tamen sensum nisi media specie, vt ait D. Thom. in 2. dist. 2. quæst. 2. art. 2. ad 5.

2 Sed modo est difficultas, an sonus mittat speciem vbi primo formatur, aut in toto spatio in quo diffunditur. Respond. cum experiẽtia immittere speciem, vbi primo formatur, quia sic percipimus an à longe fiat, an prope, & quamuis diffundatur in aere, hoc non obstat, quia non percipitur pro vt ibi, nisi fiat echo ex aliqua reflexione, quia non agit minus actiuũ in præsentia maioris si fit eodem modo agens, ℣. Nec obstat quod si color diffunderetur realiter in medio non non videretur nisi color medii, non autem qui esset in obiecto distanti, ergo si medium habet sonum realem deriuatũ ex illo, qui fit primò in tonitruo, v. gr. nõ audietur sonus qui fit in nubibus: sed qui est in medio aere circa aures, ℣. Nõ obstat in quam quia non est eadem ratio; sonus enim non fit sine mõtũ, vt hic ait Diu. Thom. cum Arist. & ideo ex natura sua habet diffundi per solum medium, quo pertingit immutatio facta in aere resiliente, & sic est vnus numero motus, & ex consequenti etiam sonus est vnus numero, & sic species est quasi vna quæ repræsentat primum vnde incipit motus, & sonus, secũ enim importat immutationem medij realem simul, & intentionalem ob maiorem materialitatem auditus respectiuè ad visum, & eius obiectum, & ideo quod fit in medio extrinseco sonus realiter non obstat auditioni, dum non fit in medio intrinseco, seu intra aures, at visus est potẽtia nimis subtilis, & immaterialis, vt ait D. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. & ideo si color est realiter in medio, solus ille videtur, quamuis in hoc excellat auditus, tactum, & gustum, quod non est necesse quod sonus realiter tãgat organum, sed possit etiam audiri sonus, etiam vbi non est commotio aeris, nec realis sonus, quia per illud medium quasi vacuum à sono deferuntur species intentionales, sicut lucerna in nocte etiam potest videri in spatio, ad quod diffundit lumen, & vltra etiam cum in magna distantia appareret.

3 Nec obstat quod ait Aristo. text. 81. *Id sonum efficit quod mouet à se ad auditum continuatione aerem vnum*, ergo nisi realiter contingat realis sonus auditũ, non potest audiri, hac etiam ratione

videtur reddi efficax argumentū cur visibilia in instanti in quo apparent videamus non autem in instanti in quo fit percusio, & sonus audiamus, sed post aliquam moram, quia debet pervenire, vsque ad auditum, quod D. Thom. de sensu, & sensato lect. 16. in hunc sensum expendit. Non inquam obstat, quia intentio Arist. solum est quod sonus, & odor nō possunt immutare sensum, nisi prius immutetur medium realiter, & ibi sit sonus, vsque ad aurem, vt melius audiatur, vel saltim per magnum spacium, & vlterius per solam speciē intentionalem; nam sæpē Arist. id quod est accommodatissimum ad sensationem designat, vt requisitum ad sensationem, & ideo supra dixit omne quod sonat in aere, sonare, quia aer est medium accōmodatissimum ad sonandū, etiam si in aqua fieri possit sonus, sic in nostro casu, §. Neque obstat secundum, quia, vt non in instanti non audiatur sonus, sufficit quod immutatio intentionalis pendeat à moto locali; ita vt sit cum illo, & requirat sonum realem in aliquo spacio, vt non possit tam cito audiri, sicut videtur, etiam si vltra spacium in quo fit commotio realis, & productio soni per species immissas audiatur; incredibile enim est, quōd strepitus bōbardæ qui à tribus leucis, & eo amplius auditur, toto illo spacio moueat aerem, & sic producat sonum realem.

4 Inquires tandem, an huiusmodi species intentionales soni deferri possint ad auditum tamquam per medium, non solum per aerem, & aquam, sed etiam per terram, aut aliud corpus solidum, & non porosum, §. Resp. quod medium debet esse aer, aut aqua, aut aliud corpus rarum aliqua raritate, ideoq; qui in cubiculo est amplios septis saxeis inclusus audit, quæ sonant maximæ si à foris percutiatur paries, aut quia habet poros, quibus aer adducit species aut quia habet partes raras aliquas, & aereas, seu quæ communicant in illa qualitate aerea raritatis, & sic semper verificatur aerem esse medium, vel aliquam eius qualitatem. Sed de hac difficultate consule Bannez p. p. q. 78. art. 3. de sensu auditus, & recentiores Thomistas.

## QVAESTIO LIX.

*De organo auditus, eiusque structura, & compositione.*

NON omnibus animalibus circa tempora aures sunt, & sensorium auditus, nonnulla in medio corpore; alia incerto, & nondum explorato loco retinent occultum auditum, teste Aristot. 4. de histor. animal. c. 8. & 12. lib. de part. capit. 2. sed communiter in capite in parte eminentiori ex vtroque latere auditus solet esse in animantibus, sicut palpebræ quasi vela sunt oculorum, ita aures prominentes, & cartilagineæ

aggeres sunt, & propugnacula sensorij auditus, & intrinsecus cauernosis anfractibus cauæ; atque viscoso humore, villoque obsitæ sunt ne penetret aliquid quod lædat organũ, vt obseruat Arist. hic text. 83. In intimis abditis tria sunt intercluta, de quibus dubitatur à Philosophis quod nam ex illis sit sensorium, vbi tanquam in proprio subiecto resideat potentia auditiua. Primum est pellicula ad modum timpani distenta. Intra hanc est substantia spiritosa, quæ ob tenuitatem, & subtilitatem, aer animatus dicitur, estq; secundum Arist. immobilis. Tandem continuatur, & quasi pendet a neruo descendente in cerebrum a loco, vbi est sensus communis, & hoc inuenitur in vtraque aure.

2 Dicendum est sensum auditus residere in illo aere animato, & immobili contento in timpano auriculari, & eum esse proprium sensorium auditus. Sic communiter Thomistę, & plures extra nostram scholam Prob. ex Arist. hic tex. 82: *Auditus connaturalis est aer propter id autem quod in aere est*, & ideo inquit, non qualibet parte audit, nisi vbi est ille aer sicut neq; qualibet parte videt, sed sola pupilla. D. Tho. autem de sensu, & sensato lect. 5. ad illa verb. Arist. sic habet. *Sensitiuum sonorum est attribuendum aeri.* Prob. rat. Organũ sensus debet consistere in aliquo maximè proportionato, cũ eo medio in quo est sensibile; sed sẽsus est in aere, aut in habẽte aereas qualitates, ergo sensus in substãtia illa aerea vitali, & immobili debet residere.

3 Arg. 1. cont. nostram conclus. Arist. text. 83. docet, quod læso timpano impeditur auditus, ergo est organum audiendi. Tum etiam, non minus aer est medium visus, quam auditus, & tamen organum visus nõ est pupilla aerea, sed christallyna: ergo etiam sensorium auditus non erit substantia aerea. Quod verò consistat organum in illo ossiculo videtur suadere, quia illo fiunt ictus ad timpanum, & sic sonus percipitur externus per illum internum.

4 Respond. ex verbis Aristotel. non sequi organum audiendi consistere in timpano: quia vt eo læso non fiat auditio, sufficit esse contiguum sensorio, & tegumen eius, & medium intrinsecum, sicut ad impediendum visum sufficit lędi tunicam cornea, aut retineam, etsi non in illis, sed in pupilla visus inhæreat. Ad 2. quod mortuo homine dissipatur substantia illa, quia tenuis est, cęterum patet concauitas, in quam non nisi ea substantia poterat esse. A tertio, quod aer est medium respectu visus ratione diaphaneitatis, seu perspicacitatis, quę melius saluatur in christallyno pupillæ, at aer respectu soni ratione subtilitatis est medium, idêoque sensorium organi auditus debet esse substãtia spiritosa, & aerea. Ad vltimum dico oppo-

oppositum sequi, nã fiat sonus in ipso organo, qui intus sit prohibebit extraneum sonum percipi; & ideo in hoc cap. 8. in fine docet Aristot. quod sonante aure nihil auditur, quando læsa aure vehemens tinnitus sonat in aure.

5 Tandem arg. cont. Arist. qui videtur incõstans: ex eo enim docet substantiam illam aeream debere esse immobilem, quia debet percipere externas differentias sonorum qui exterius fiunt; & tamen text. 82. ait, quod cum externus aer mouetur, etiam mouetur internus, ergo internus aer non est immobilis. ℘. Conf. quia idem Philosophus cum prius dixisset text. 15. *Aer qui in auribus est collocatus, intus est conditus & fit immobilis*: illic text. 84. subiungit. *Signum ideſt audiendi, vel non audiendi: nam auris semper personat perinde, ac cornu. semper enim aer insitus motu suo quodam in auribus agitatur*, ℘. Resp. ex D. Thom. ad illum text. 1oqui aut de immutatione intentionali, sicut enim coloratum est, quod mouere potest perspicuum vsque ad oculum motione intentionali, sic etiam sensus est qui potest imitare aeram (etsi non æquè intentionaliter, vsque ad auditum perueniat) ℘. Ad 2. testimonium ex D. Thom. ibidem resp. quod sicut instrumentum auditus vt recipiat extraneum colorem non debet habere proprium, sic etiam etsi instrumentum auditus possit percipere medio auditu differentias soni, qui cum aerẽ moto formantur, debet carere motu, & ideo si sit aliquis motus intra aurem, & sonent aures, sicut solent sonare, cum apponitur cornu ad aures propter motum aeris in cornu, hoc est signum, & argumentum, non auditus, sed deprauati, & ægrotantis auditus, quia caret debito temperamento, ac per consequens aerea illa substantia in qua consistit auditus debet esse immobilis.

## DE SENSV ODORATVS.

### QVÆSTIO LX.

*Quid sit odor, & quomodo generetur.*

1 SVpponit Arist. hic cap 9. à text. 92. non ita facilẽ posse nos naturam odoris per sensum, & experientiam perscrutari, sicut naturam luminis, coloris aut soni, quia homo habet pelorem odoratuum multis animalibus, nec differentias odorabilis facile discernere potest, sed solum quatenus odor est iucundus, aut molestus, quod reuera est extra differentiam odoris, sicut animalia, quæ fixos, & sine palpebris habent oculos, solum apprehendunt visibilia, vt terribilia sunt, aut nõ terribilia, non autem percipiunt differentias colorum distinctẽ: vnde fit quod cum in homine vigeat gustus, quia includit tactum, qui viget etiam in homine; qua propter, molles carne aptiores sunt men-

mente: ad modum gustabilium apprehendimus differentias odorum, & per proportionem ad sapores, & hac ratione dicimus suauem odorem, aut austerum, acrē, acutum, pinguem.

2 Addit insuper Arist. quod homo neque expirans, ideſt expellens spiritum sed solum respirando, id est attrahendo aerem respirat, & nec distantia olet, neque si odor super sensum ponatur, sed in mediocri distantia, cum tamen vultures à longuissimo interuallo oleant, nam sulphure & alijs bituminibus olfactus læduntur; sed diuersæ rationis est in eis organum olfactus; nam sicut in habentibus palpebras est operculum supra oculos quod nisi amoueatur palpitatione non vident, sic respirātia habent quasi palpebram & operculum supra organum olfactus quod nisi respiratione releuetur, non fit odoratus, at non respirantia, sunt quod adhoc sicut quæ habent fixos oculos absque palpebris, quæ semper habēt patentes oculos & sic semper vident, quæ in prospectu sunt, similiter habent affectum organum olfactus, & sic semper olent quæ odorifera sunt absque respiratione.

3 Docet etiam quod tam habentia sanguinem quam non habentia olent, quod patet in animantibus imperfectis annulosis, quæ fugiunt aliquos odores, tamquam nociuos, sic Aristot. in hoc cap. 9. vbi etiam docet medium odorabilis esse aerem, vel aquam, quia etiam quæ sub aquis sunt olent, quæ supra aquas sunt, vt patet in piscibus.

4 His positis odor sic diffinitur: *Qualitas ex siccitate super ante humidum proueniēs calido decoquente humidum*, vbi simul & quidditas odoris, & modus generationis explicatur. Prima particula ostendit, quod odor etsi possit reficere cerebrum, & ad sanitatem eius maximè iuuare, tamen non potest nutrire, aut augmentare viuens, quia hoc est propriū corporis substantialis, & quanti, quod latè probat contra Pithagoricos Arist. de sensu & sensato cap. 5. in fine; & similiter Galen. 2. aphorismorum sententia corruit; aiebat enim odore nutriri spiritus vitales, & constat, non esse fumosam exhalationem, vt voluit Plato in Timæo, Galenus 1. de instrumento olfactus & Auicenn. lib. 6. natural. cap. de odore 2. parte, quia fumus ille corpus est, & ideo licet sit delatiuum, & vehiculum qualitatis odoriferæ, reuera tamen odor non est, & in hoc sensu accipiendus est Aristot. quando in problematibus, dicit odorem esse exhalationem aut vaporem; ibi enim continens pro cōtento sumitur per sinedochen, nō autem in sensu formali.

5 Quod vero odor sit qualitas proueniens ex eo quod superet siccitas humiditatem, ita vt vtraque qualitas requiratur. Prob. ab Arist. cap. 1. de sensu & sensato, quia in quibus præuaiet hu-

humiditas odor elangueſcit, ideo que flores in Aegypto odore carent, quia prævalet humiditas. Nilo humectante totam regionem, & quaſi paluſtrem reddente; non ergo fit odor ſine ſiccitate, imo nec ſine humiditate; nam hac ratione cineres lignorum, quæ ſunt odorifera non olent: quod vero requiratur ſiccitatem ſuperare humiditatem conſtat. Tum quia in hoc diſtinguitur odor à ſapore, quod in ſapore prævalet humiditas, in odore ſiccitas præſtare debet humiditati, & ideo quæ dulcia ſunt parum olent; quæ autem odoris iucundi ſunt plerumque ſunt amara vt Ariſtot. cit. cap. 5. de ſenſu, & ſenſato docet, & cum illo Theophraſtus lib. 6. de cauſis plant. cap. 24. & Plinius lib. 21. cap. 7. hac etiam ratione *mittunt ſua thura à Sabæi*, & in Arabia proueniunt feraciſsimè odores, quia ſicca ſunt loca; quod autem calor debeat decoquere, & exſiccare humidum ad odorem experientia docet; nam vt ait Ariſtot. probl. ſect. 12. q. 12. calidiora ſpargunt ſuauiorem, aut vehementiorem odorem, & quæ leguntur, roſæ in die claro ſpirant ſuauius, & in terris etiam calidioribus fragrantiores ſunt: vt D. Thom. de ſenſ. & ſenſat. lect. 5. ex Ariſt. obſeruat, notandum tamen hanc ſiccitatem non eſſe terream, ſicut in ſapore, ſed igneam, & hac ratione odorifera exhalant (quod præ oculis maximè eſt habendum.)

6 Hinc deducitur odorem eſſe de ſecundis qualitatibus, quæ ex mixtione primarum reſultant, & eam ob cauſam nullum ex elementis olet niſi mixtum ſit (vt obſeruat Ariſtot. de ſenſu, & ſenſat.) eſt autem odor inter qualitates tertiæ ſpeciei numerandus, vt ſit paſsio, aut paſsibilis qualitas, quatenus, aut citò tranſit, aut aliquibus rebus tenaciter hæret, quod conſtat ex Ariſtot. cap. 5. cit. dum vocat odorem paſsionem, & ibidem D. Thom. lect. 9. ibi docet: *Quod odor eſt in tertia ſpecie qualitatis, quæ eſt paſsio, & paſsibilis qualitas.* Vbi copulatiuè reduxit odorem ad vtrumque extremum, quod conſonat noſtro modo dicendi. Ex dictis etiã conſtat, quare mare quãdoque olet, quia miſcetur humidũ aqueũ, ſicco terreſtri, vt cum Ariſtot. obſeruat D. Thom. ad cap. 5. de ſenſ. & ſenſat. quare etiam lapides non oleant, & ligna emittant odorem, quia illi non habent humiditatem, quia terreſtres duri, & ſolidi, hæc autem eam habent cum quadam pinguedine, & calore, qua ratione de facili incendũtur, conſtat etiam quare aurum non oleat, quia terreſtre eſt, vt manifeſtat grauitatio, & ponderatio, æs, & fertum olent, quia habent humiditatem cum ſiccitate aliqua argentum autem, & æs, plus olent quia magis eminet ſiccitas ſupra humiditatem de quo Ariſt. & D. Th. eo. c. 5.

7 Arg. 1. ad probandum, odorem eſſe humorem, ad exhala-

tio

tionem. Tum quia Indi ripas Gãgis incolentes odoribus nutriuntur teste Strabone lib. 16. & Plinio lib. 2. cap. 21. ergo quia odor substantia est per modum vaporis, aut exhalationis. Conf. 1. In animali partes subtilioris spiritus nutriuntur odore teste Galen. 2. aphorism. & Cælio Rodigin. lect. antiq. lib. 4. ante ca. 21. & Petrus Greg. syntaxis lib. 35. cap. 10 in fine præterea odorabilia progressu temporis odorem perdunt, ideoque sub operculo seruantur diutiùs, sed si odor non esset exhalatio, aut vapor nõ esset cur detecta non permanerẽt, ergo Vlterius Sabæi odoribus stupefiũt teste Strabone ibidẽ feles odore origani fugunt, & ex tabe corruptorũ cadauerum odor pessimus corrumpit aerẽ, & pestẽ, epidimiamq; causat ergo quia odor, aut est vapor, aut exalatio. §. Resp. negando odorẽ nutrire, & eas historias dignas fide cum Arist. & D. Thom. de sens. & sensat. c. 5. l. 14. reficit odor cerebrum, sed nutrit spiritus, quod si hoc aliquatenus facit nõ est ratione sui, sed aeris admixti. Nec negamus odorabilia exhalare vapores, quibus emissis eius virtus imminuitur, sed odor non est vapor, est tamen in illo, vt in subiecto, & licet inficiantur animalia illis exhalationibus distemperatis, sicut cerebrum carbonum inficitur fumo, non tamen odore, vt ibidem obseruat Arist.

8 Arg. 2. ad probandum ex prædominio siccitatis estennantis humidum, non resultarẽ odorem. Nam eadem parte potest aliquid esse sapidum, & odoriferum, sed sapidum fit ex prædominio humiditatis suptà siccitatem, ergo odoriferum non consistit in prędominio, & exuperantia siccitatis supra humidum, quia in eadem parte nequit esse naturaliter duplex qualitas contraria æquê intensê dominans ac dominata. Præterea in quibus excellet humiditas præstat odor, vt in vnguentis, in vino, & alijs cõstat, & inter odorifera excellunt, Muscus, Zebetus, & Ambarum *Almizete, algalia, & ambar*, sed muscus ex sanguine fit cuiusdam ferę vulpi non absimilis, Zebettum ex sudore felium, Ambarum autem ex excremento ceti, quæ omnino humida sunt magis, quam ficca ergo patet hoc etiã in gũmis fragrantissimis in succino, electio, in thure, balsamo, & in lachrimis aromaticarũ arborum, & in aquis stillatis, in vino, in pomis, & ferè in omnibus alijs, quę odorem fragrantiorem exhalant, in quibus exhuberat humiditas, siccitas desideratur, ergo §. Respond. cum Diu. Thom. hic lect. 19. quod sapor, & odor nõ est in eadem parte, sed in diuersis, nam quæ suaueolẽtia sunt acerba sunt gustui, vt dixit Arist. nec obstat homogeneitas partiũ, nã hæc sicut diuersos colores admittit; ita & diuersis partibus odorem, & saporem in prædominio, quia homogeneũ, & eteroge-

neum diuersos situs partiũ; & di-

uer-

uersas terminationes dicit: at diuersas qualitatum in homogeneo non repugnat, nam sapor est in partibus grassioribus, in subtilioribus autem odor. Aliæ solutiones ab alij AA huius sententiæ afferuntur, sed quam dedi communior est inter Thomistas §. Ad conf. Resp. cum M. Ioan. à S. Tho. in illis liquoribus & in pomis, alijsque humidis intermisceri aliquas exhalationes siccas, seu ex illis exhalari & spirari posse, & hac ratione in partibus subtilioribus exhalari, quibus abundant posse redolere; sed quia illæ exhalationes multum habent de humore terrestri, ideo nisi sit aliqua distantia in qua depurentur, & subtilizentur, non ita efficaciter olent, quia calor decoquit humiditatem, quatenus magis eleuatur à liquore, & magis spargitur in medio, & quia si sit pingue multum inhærent qualitates, ideò liquores tenacius odorem retinent. Vel posset dici, quod sicut ratione antiparistasis frigida in medio aeris magis vniuntur, & ideo in grandines, & aliquando in saxa congelantur (vt non semel accidit,) sic similiter partes illæ subtiliores siccæ, quæ redolent in musco & ambaro vniuntur, & ideò magis redolent, & fortius agunt ratione contrariæ humiditatis cui, vt resistant vniuntur illæ qualitates, & consolidantur.

9 Denique arg. Qualitates secundæ non se communicant, nec sunt actiuæ sui similis, vt patet in colore, & grauitate; sed odor causat sui similem in esse reali, nam qui tangit vnguentum, aut rem odoriferam dum olet, ergo, §. Resp. quod odor non agit sibi simile, sed quia corpus olens ratione caloris, & siccitatis multiplicat exhalationes in eis defertur odor, & sic verificatur quod hic ait D. Thom. text. 27. aerem redolere per immutationem ab odore, quatenus exhalationes illæ perundant aerem, non quatenus in eo producitur odor; vel potest negari, quod nulla secunda qualitas sit actiua, nam sonus sonum causat secundum aliquos; licet prima responsio sit magis philosophica: nam odor non ratione sui, sed ratione motus multiplicatur in aere, & sic odor ratione siccitatis immutantis aerem, vel ratione exhalationis diuidentis ipsum est in aere, vnde hac ratione res odoriferæ expositæ aeri, & non opertæ, facilè exhalantur, & odorem perdunt.

## QVÆSTIO LXI.

*Quid sit proprium medium odoris & quomodo immutet sensum?*

1 LOqui possumus de odore, aut in esse naturali, aut in esse intentionali, & quatenus continetur repræsentatiuè in specie. Primo modo subiectum odoris diffusum, & sparsum à corpore, in quo primo inuenitur resultans naturaliter ex mixtione pri-

primarum qualitatum dicitur medium. Secundo modo id dicitur medium, quod est proprium susceptiuum specierum, quodque est habile moueri ab obiecto odorifero in esse sensibilis. Primo modo neque aer, neque aqua est medium odoris in esse qualitatis naturalis considerati, quia non subiectatur in illis, sed in fumosa quadam exhalatione, & vapore; quæ ob suam subtilitatem in se fert odorem, vt diuidit aerem, & sic spargit odorem (vt ex dictis q. ant. constat.) Secundo modo infra dicetur, quod nam sit proprium medium odoris, vt est sensibile immutatiuum, seu sensibile potentiæ odoratricis.

2. Aduerto etiam cum D. Thom. hic quod odor est diffusiuus sui, & ideo semper diffunditur in medium, sed tamen licet illa euaporatio possit nares contingere, non tamen sentitur quatenus naturaliter eas immutat, quatenus per speciem sui intentionaliter immutat sensum, quia in Doct. Arist. sæpius repetita sensibile positum supra sensum impedit sensationem: sicut etiam certum est, quod vltra spatium, in quo naturaliter diffunditur odor, potest diffundi species immutatiua ex se olfactus, nam secundum D. Thom. odor secundum esse naturale, ad 50. leucas extendi non potest, & tamen in ea distantia vultures odorantur cadauera, quod ex parte confirmat Auerroes. Immò odorabile non immittit speciem sui, nisi immutetur in se per calorem, aut aliqua alia immutatione physica contusionis.

3. Dicendum est igitur. Medium odoratus receptiuum per se specierum, quæ repræsentant odorabile est aer, & aqua. Sic expresse Arist. hic text. 97. & alibi cum D. Thom, dicente: *Est autem omnis olfactus per medium aerem, aut aquam.* Conf. experientia, quia pisces sub aqua olent pabulum super aquas proiectum, & nos attrahendo aerem, & respirando odorem percipimus, non autem expirando, aut continendo respirationem, ergo quia aer est medium deferens species; vnde quæ sine respiratione sunt olent in aere, & in aqua; si autem paries aut aliquid aliud impediat aerem, aut aquam continuari ad nares ab odorabili non sentitur odor.

4. Contra ista præsupposita arg. 1. Graues odores inficiunt olfactum immutatione reali, ergo, quia naturaliter, & non intentionaliter immutant, nam immutatio solum intentionalis non habet effectum realem, & naturaliter corruptiuum. Tum quia vento in contrarium flante non odoramus, sed ventus non impedit immutationem intentionalem, vt patet in visibili respectu visus, ergo. Tum etiam, quia color intentionaliter tantum immutat visum, & non tantum naturaliter; remoto autem colorato à prospectu visus nõ vi-

videtur; sed remoto odorabili ad hic odoramus, quia manet odor diffusus in medio, in manibus, ergo non immutatio intentionalis, quæ efficit odoratione, sed naturalis, §. Resp. ex dictis superius olfactum ex graui odore aeris moueri; hic enim immutat intentionaliter, neque immutat corruptione, sed immutatione per, ectiua & quatenus cum odore in aere immiscetur alia qualitas noxia, quæ naturaliter inficiat sensorium, quod maximè cõtigit in homine, qui cum sit tardioris olfactus semper olet in eo spatio, quo etiam est diffusus odor naturaliter cũ qualitatibus illis morbidis: atqui puroleret immutatione purè intẽtionali, vt vultures à magna distantia, in qua nõ esset diffusas odor naturaliter inficiõ posset ab eo nisi in sensu, in quo dicitur, quod vehemẽs sẽsibile lædit sensum, de quo supra. Ad 2. quod aer in contrarium diffluens aufer odorem, quia remouet, & alio defert odorabiles exhalationis, quæ à nobis odorari possunt, existente odorabili primò extra speram nostri odoratus; sed hoc non obstaret, quin vultures in eadem distantia perciperẽt odores; quia potentioris sunt olfactus. Ad 3. resp. quod in eo casu nos non odoramus odorabilia absentia, sed exhalationes, quæ in prospectu sunt.

5 Inquires. Cur ergo odorabilia non sentiuntur in instanti in quo approximantur ad speram nostræ cognitionis? Sed egemus tempore. Resp. primo instando in sono; deinde reddendo exinde rationem: nam sicut sonus non statim sentitur, quia per motum localem defertur simul species in aliquanto spatio, sic in odore immutatio realis odorabilis, & medij exigitur vt intentionaliter immutate, quia hic sensus olfactus magis materialis est, quàm visus, & ideo non statim sentitur odor. Inquires etiam si non requiritur immutatio naturalis, cur applicamus flores ad nares, vt odorẽ percipiamus? Resp. hoc ideo esse quia tardiores sumus olfactus, sicut qui hebetiores sunt in videndo, applicant etiam librum ad oculum.

6 Arg. cont. concl. Medium proportionatum debet non habere qualitates oppositas sensibili, ideoque medium non diaphanum non est medium ad visum, nec terra, quia est opaca, est medium videndi, sed aqua, & aer sunt humida, & aqua præterquam quod est humida frigida est, & nec aer, nec aqua habent siccitatem in prædominio, sed prævalet in aere humiditas, in aqua frigiditas, quæ impedit odoratũ, ergo aer, & aqua non sunt per se medium odoratus, §. Resp. quod, etsi humiditas, & frigiditas aquæ, & humiditas aeris impediant, ne fit in illis subitanea iuẽ odor, quia tamen facile cedunt sunt apta, vt per diuisionem in ipsis immisceãtur exhalationes odorabiles, & etiam

eriam, vt per illa ferantur ſpecies odoratus, quia potius mediũ debet carere qualitatibus ſenſibilibus, vt ſit medium obiecti ſenſibilis, vnde ſicut aer, quia inſonabilis per ſe eſt medium auditus, vt docet hic Ariſt. text. 83. eadem ratione, quia propter illas qualitates inodorabilis eſt aer, ideo medium eſt odoratus, nam licet alia elemẽta, vt talia inodorabilia ſint quia purum elementum non olet, vt dictum eſt q. ant. tamen qualitates ſicci, & calidi minus repugnant in igne, & terra, & ideo non ſunt media odoratus.

## QVAESTIO LXII.

*Quid ſit organum odoratus, & in qua parte reſideat iſte ſenſus?*

1 IN fabrica ſenſorij olfactus cõcurrunt partes externæ, nempe naſus ſuperius oſſeus, inferius cartilagineus, partes internæ, & intimæ ſunt foramina in oſsibus narium à natura formata, quæ carne ſtricta ſunt, & contiguata, quæ non niſi reſpiratione patent; deſinunt hæc foramina in os quoddã ſpongioſum, & foratum multis foraminibus, & cribrum vocatur, habet duas vias alteram, quæ ducit ad fauces, alteram, quæ reſpirationi deſeruit. Deinde ſunt quædam vbera carnea, quaſi mammillæ, quæ contegũtur tunica, ſeu mẽbrana exangui, quæ reſpiratione eleuatur. Tandem illę mammillæ duplici neruo pendent à cerebro, & illi continuantur; inquiritur ergo in qua ex his particulis reſideat organum olfactus, & in quo ſenſus iſte ſubſideat?

2 Dicendum igitur. Senſorium proprium olfactus ſunt capita mammillarum, non nerui illi, nec alliæ partes; quamuis illi nerui miniſtrẽt ſpiritus animales ſenſorios, & ſint medium deferendi ſenſationem ad ſenſum communem. Sic communiter Philoſophi cum Ariſtot. hic text. 110. qui dicit reſidere ſenſum iſtum ſub operculo in his qui reſpirant; ſicut in videntibus in pupilla ſub palpebris, ſed mammillæ ſunt ſub operculo in ſententia Ariſtotel. ergo. Prob. conc. Senſus non reſidet in parte cartilaginea narium externa, quia in ea non ſentimus odorem, neque reſidet in oſsiculis externis, aut internis, quia oſſa non ſentiunt ex Ariſt. hic; neque reſidet in cerebro, quia neque hoc ſentit, maximè ſenſu externo, neque in neruis, quia iſti (vt ſupra oſtendi) ob ſuam humiditatem, & frigiditatem non ſunt apti; neque in membrana, quia hæc remouetur ad olfaciendum, ſicut & palpebræ ad videndum, ergo immamillaribus illis eſt ſenſoriũ à ſufficienti diuiſione ſumpto argumento. Et ratio ſuadet, quia ſenſorium ſenſus debet eſſe potentia tale, ideſt in potentia ad qualitates ſenſibiles per talem ſenſum, vt docet Ariſt. text. 100. ſed hoc habent mãmillaria capita ſunt enim humida, (& non ſicut

nerui, cum excessu,) & sunt spongiosa; sic enim sunt in potentia ad siccum odoris prædominans super humidum calore decoquente, & exsiccante humidum.

3 Con. conc. arg. 1. Odores instituti sunt ad reficiendum cerebrum secundum Arist. de sensu, & sensat. ca. 5. ergo cerebrum sentit odores, ergo ibi est sensus olfactus vbi fit sensatio. Confir. Sensus debet esse proportionatus cum sensibili, sed solum cerebrum est vaporosum, & vt ita dicã halituosum; ergo solum illud est sensus perceptiuus odorum, qui odor vapore, & exhalatione diffunditur, vt sentiatur. Conf. 2. Nàm ea ratione pupilla habet sensus visum, quia habet perspicuitatem lucidam, & sic conuenit cum medio, quod defert species ad visum; sed cerebrum eo ipso, ac vaporosum est conuenit cum medio olfactus, ergo §. Resp. quod odor in esse naturali est institutus ad reficiendum cerebrũ, non in esse sensibilis, & ideo licet suaui odore vegeretur, non tamen sequitur odorem sentire. Ad Cõfir. resp. quod medium olfactus non est vaporosum, aut exhalatio; in hoc enim est, vt in subiecto naturali, sed est in aere, & aqua tanquã in medio specierum, & cerebrum non habet qualitates, sub quibus aer, & aqua recipiunt eas species, quia non est potentia siccum prę ualens supra humidum, sed hoc competit capitibus mammillaribus, & ideo in illis non in cerebro est sensus olfactus.

## QVÆSTIO LXIII.

*An homo sit deterioris olfactus inter alia animalia, & an olfactus sit diuersæ speciei in respirantibus, & non respirantibus?*

1 VTrumque discussit Arist. hoc lib. 2. c. 9. Dicẽdum est igitur hominem esse peioris olfactus, & hebetioris inter plura alia animalia. Prob. Tum quia à maiori distãtia alia animalia olent. Tũ quia plures differentias percipiũt canis enim per vestigia percipit an dominus eius transierit, & feras inuestigat, & prædã venatur. Tum denique, In homine sensoriũ olfactu vicinum est cerebro, & temperamento illi proximum, ergo abundat humiditas, ideoque minus tenaciter species imprimuntur.

2 Dicendum 2. odoratus respirantium, & respiratione carentium eiusdem speciei est. Prob. Tum ab exemplo habentium oculos duros, aut molles, fixos, aut cũ palpebris, quibus assimilat Arist. odoratum respirantium, aut non respirãtium: visus enim in illis est eiusdem speciei, Tũ à priori, quia vbi sensibile est eiusdem speciei, etiam sensus debet esse eiusdem speciei, quia potentiæ specificantur per obiecta, sed respectu respirantium, & non respirantium, idẽ odor, & per idem medium, & secundum easdem differentias sentitur, ergo.

3 Con-

3 Con.1.conc.arg.1.Principium sentiendi est, anima, cor, & cerebrū; sed hæc nobilioris vitæ, & operationis principia sunt in homine, ergo perfectior olfactus est in eo. Tum etiam. Homo excedit alia animalia in percipiendo odores in ratione instabilis, aut iucundi, ergo non exceditur ab illis in odorando, ℘. Resp. quod ex se perfectior esset olfactus in homine attentis illis principijs; nisi necessaria vicinitas ad cerebrum, & excessus participatæ humiditatis obstaret. Ad 2. quod inde oppositum sequitur: nam solum colligitur non percipere hominē mediocres odores, sed in excessu, quatenus, aut delectant, aut contristant, quod non arguit excessum, sed defectum, quamuis sub hac ratione percipiat magis homo, quia non nihil patitur ab excessu.

4 Arg.2.con.2.conc. quilibet sensus est potentia passiua, ergo ex diuerso modo quo immutatur, & recipit speciem debet distingui in specie, sicut hac ratione distinguuntur gustus, & tactus, & si gustus quidam tactus sit, vt dicetur sed diuerso modo, olfaciunt respirantia, nempe media respiratione, à non respirātibus; quæ nō habent sensum opertum: sed per se & immediati immutantur à sensibili, ergo, ℘. Resp. quod diuersitas recipiendi sensibile ex parte sensus variat specificè sensum, non autem quæ solū se tenet ex parte organi, vt hic contingit, & patet à simili in habētibus oculos duros, ante molles

# DE SENSV GVSTVS.

## QVAESTIO LXIV.

*Quid sit sapor, quotque eius species & an gustus sit quidam tactus?*

1 DIcendum est 1. Sensus gustus distinctus est à sensu tactus, nec est species eius, sed solū supponendo tactum sibi coniunctum, est specialis sensus. Sic Diu. Thom. hic ad t.101. vbi expresse docet esse distinctum sensum à tactu, licet quantum ad modum conueniat cum illo, quia per medium intrinsecum gustat, & sic reducitur in tactu, quia tangendum cibum illum gustamus, & in hoc sensu docet Arist. dixisse in illo textu: *Quod tactus est quidam gustus & tangibile est quoddam gustabile.* Et suadet ratio, quia distinctio sensus desumitur ex obiecto, & actu, & organo, at hęc omnia sunt diuersa in gustu, & tactu, ergo sunt sensus omnino diuersi, & de obiecto constat, vt inquit Diu. Thom. quia primę qualitates sunt tangibiles, & per se obiectum tactus, cum tamen obiectum gustus sit secunda qualitas, quæ est sapor quamuis fundetur in aliqua ex primis qualitatibus, nempe in humiditate. Quod actus sit diuersus etiam constat, quia delectatio gustus, & tactus diuersa est. Organū autem gustus esse diuersum patet etiam; toto enim corpore tangimus, & gustamus, solum ore, or-

gano omnino distincto, & diuersam habente compositionem, vt infra exponetur. Quod verò hoc idem senserit Arist. constat, quia semper enumerat quinque externos sensus.

2 Dicendum 2. Gustus sic definitur ab Arist. & D. Thom. *Affectio seu passio ex humido aqueo, facta à sicco terrestri, & calore decoquente gustum alterante, & de potentia in actum reducente.* Vbi ponitur ratio generica, scilicet, quod sit qualitas, cum sit passio, aut passibilis qualitas habens siccitatem, non quidem igneã sicut odor, sed terreã, explicatur etiã materia scilicet humidum aqueũ, & instrumentum alterandi, scilicet calor decoquens, & finis, vt media alteratione deducatur sensus gustus in actum, & sic ex mutua quasi actione, & mixtione siccitatis terreæ, & humiditatis aqueæ resultat; requiri autem in cibo ad saporem humiditatem, vel actu sicut in potabilibus, vel potentia, sicut in gustabilibus cibis, qui per salinam humectantur, vt gustentur, docet Arist. hic text. 102.

3 Septem esse species saporũ, docent Arist. hic, & alibi cum D. Thom. Duo sapores sunt extremi scilicet dulcis, & amarus, duo sub extremi, scilicet pinguis, qui proximè accedit ad dulcem, & salsus, qui proximè accedit ad amarum, duo semimedij, scilicet acetosum, & austerum, & vnus medius omnino, scilicet ponticus, seu acutus, stipticus, aut adstringens, dulcedinem experimur in melle, & saccaro: amaritudinem in felle, & absinthio, pinguedinem in butiro lacte, & adipe, salsum in sale, & in aqua maris, acredinem in aceto, & in pomis immaturis, & oleis austeritatem in raphanis, ponticum adstringentem saporem in limonijs, & licet Plinius lib. 15. c. 73. plures alios sapores enumeret tamen ad hos facile reducipossunt.

4 Con. 1. concluf. est autoritas Arist. 3. Ethic. ca. 10. *In cibo, & potu capitur voluptas ex tactu* sed quo capitur voluptas in sensu tactus sensus est, ergo sensus, & actus gustus species tactus est. Ad hoc Respondet. vel sensum Aristot. esse quod gustus sumit voluptatem ex contactu cum gustabili mediante medio interno, non autem itaut iste tactus sit actus sensus tactus condistincti à gustu: vel ex tactu sumi voluptatem præsuppositiuè se habente tactu quoad percipiendam humiditatem in qua est sapor.

5 Arg. 2. ad idem. Aqua saporis expers est, & tamen cum sit potus gustu percipitur: ergo gustus tactus est ad quem spectat primas qualitates percipere. Tũ etiam. Eadẽ potentia nutritiua in vbere producit lac, in venis sanguinẽ, semẽ in valis generationis; ergo etiam idem sensus tactus in ore, & faucibus gustabit; & si in alijs corporis partibus præcisè tãgat primas qualitates, §. Resp. quã

si fit purum elementum non gustari, sed solum quatenus mixta est terræ, & habet aliquem saporem resultantem ex mixtione primarū qualitatum. 2. Resp. non esse idem, quia ibi ex diuersa dispositione generantur diuersa illa, quatenus diuerso modo coquuntur à calore naturali, at qualitates quas percipit tactus, & gustus diuersę sunt, & ideo non potest esse idem sensus prętquam quod potētia illa nutritiua vniuersalior est, quàm quilibet sensus externus: & ideo ad plures se extendit.

6 Con. 2. concluſ. arg. 3. Sapor in ea diffinitione exprimitur secundum esse naturale, quatenus qualitas est resultans ex alijs, & etiam secundum esse intentionale, quatenus immutat gustum, ergo vitiosē diffinitur; nam quod attinet ad diuersa genera, naturæ, & intentionis in eadem diffinitione, non potest comprehendi. Tum etiam. Quædam aridissima, vt cineres, & Gingiber, & Piper sapida sunt sapore acuto, aut amaro, aut acetoso, ergo malē diffinitur sapor per hoc; quod resultet ex humido aqueo, &c. Respond. quod sapor diffinitur per vnum genus naturæ, non vtcunque, sed vt fundat esse intētionale, & sensibile, & quatenus immutat gustum naturaliter in medio interno, & sic solum per vnum genus diffinitur. Ad secundum, quod illa omnia sunt gustabilia, non precisē, vt sunt arida sed quatenus possunt fieri humida, & vt sunt potentia humida, & fiunt actu humida pēr salinam oris.

7 Con. 3. conc. sentit Galen. lib. 4. simplicium, existimans extremos sapores non esse dulcem, & amarum, sed ponticum, & acetosum, quia hi accedunt ad primam contrarietatem calidi, & frigidi, nam acutus prouenit ex calore vehementi, & subtili, vt patet in pipere, & ponticus ex grosso frigido, vt patet in limone, sed mixta habent contrarietatem ex simplicibus participatam: ergo hi sapores erunt extremi, & prima contraria in linea saporis, &c. Respon. argumentum probare eos sapores in esse entis maximē contrariari non tamē in genere saporis, quod hinc non sumitur, sed quatenus efficiunt, & monēt gustum modo magis distanti, & sic mel, & fel experientia docente maximē distant; quod etiam apparet in albo, & nigro, quæ sunt extrema in ratione colorati visibilis, & tamen possunt conuenire in causis coloris, & frigoris, etsi non in temperamento cum alijs qualitatibus; vnde, nec sapida, magis sicca, & minus humida, aut è contrario constituant extremos sapores, quia sapor non resultat ad pondus horum, sed quatenus vnum alio afficitur cum mixtione aliarum qualitatum in ordine ad monendum gustum cum maiori, aut minori distantia.

## QVÆSTIO LXV.

*Quod sit medium, & sensorium gustus?*

1 Dicendum 1. Medium gustus, qui gustabile immutat sensum non est extremum, seu aliquid extra gustantem, sicut in alijs sensibus est aer, aut aqua, sed est medium internum coniunctum gustanti, & pars eius, sicut & contingit in tactu, sic Arist. & D. Tho. Vnde alteratione facta in cibo per saliuam oris quæ est humida per illam medium internum immittuntur species ad gustum, & in potu alteratio potius fit à potu in illud medium, quod est secum, & sic fit immissio specierũ. Prob. experientia; non enim gustamus, neque sentimus cibum, aut potum prout extra est, neque habemus notitiam eius per gustum, nisi quatenus immutat fauces; & medium internum gustus, ergo, &c.

2 Dicendum 2. Sensus gustus est in lingua, non secundum partes carneas, sed in neruo per illam sparso vsque ad eius radicẽ, qui neruus descendit à cerebro, & maximè viget gustus in cuspide linguæ sic Aristot. cum D. Thom. hic notat autem Aristot. quod in animantibus lingua orbatorũ gustus est in neruo ramificato in fauces, sic lib. 4. de hist. animal. capit. 11. vnde, & Liconia quæ caret lingua gustat in gutture, quia omne animal habens tactum etiã habet gustum, vt discernat sapores in alimentum aptos; nam gustus deseruit potentiæ nutritiuæ.

3 Sed tamen gustus est in illo neruo, quatenus est potentia humidum, & saporosum; sicut visus est in eo quod est potentia colorarum, quia sapor fit quatenus humidum aliquid patitur à sicco, & ideo sensus his qualitatibus omnino debet carere, ne in se habendo saporem ineptus fit ad alios sapores excipiendos, quia intus existens, prohibet extraneum, & sensus constituitur per esse potentia, id quod est sensibile in actu, & quatenus immutatur ab illo, tanquam ab actu.

4 Con. 1. concl. argum. 1. Si quis existat in aqua decurrente, & ponatur mel in eadem aqua sub aliqua distantia gustat mel, ergo per medium extrinsecum aquæ non enim alia ratione dicimus odorari per medium extrinsecum aquæ, nisi quia si ibidem ponatur Ambarum odorabitur ab eodem. Confir. Gustus ciborum fit mediante saliua humectante, hæc est medium extrinsecum, cum non sit pars gustãtis, ergo per medium extrinsecum fit gustatio, ℣. Respond. cum Diu. Thom, & Aristotel. quod in eo casu non gustatur mel ipsum, existens extra, sed humor melleus delatus ad os, & ad linguam, qui mediante carne linguæ gustatur; at odor potest in aqua percipi, etiamsi non multiplicetur naturaliter in aqua solum specie multiplicata intentionaliter in ea, vt ex dictis suprà con-

constat. Ad confir. Respon. cum Aristot. salivam non esse medium gustus, sed vel esse causam alterantem cibum, vt fiat humidus actu, & sic immuret intentionaliter gustum per mediam carnem; vel si ipsa gustatur, ideo est, quia à cibis recipit saporem in esse naturali; & sic est quid sapidum est sensibile immutans medium: ipsa vero medium non est.

6 Con. 2. concl. argum. 2. ex Aristot. de sens. & sensat. asserente, *Gustus, & tactus, sensorium est cor*, ergo non lingua. Conf. ex eodem Aristot. lib. 4. de part. animal. cap. 11. asserente in gula, & in descendendo contingit voluptas esculentorum, ergo non in sola lingua, §. Respond. Aristotel. loqui de sensorio radicali, non de proximo, a corde enim dimanat primo calor requisitus ad gustum & tactum, & immediatè vegetat eos sensus, cum tamen alios tres non nisi mediante cerebro, vt docet Diu. Thom. nam etsi nerui quibus gustus sentit etiam descendant à cerebro, sicut in alijs sensibus, hoc fit non tam administrandum calorem vitalem suum, quam vt ibi facta sensatione possit immutari sensus communis ex sensatione gustus, ideoque læso corde per febrim maximè sentitur inordinatio caloris in lingua, & turbatur gustus. Ad conf. respond. nos non negare quod etiam gustus resideat in gula, & vt alij volunt in palato, sed principaliter in lingua, cum tamen quasi partes sint linguæ palatum, & gula, quatenus continuantur cum lingua, & palato etiam nerus ille in quo est sensus gustus.

7 Hinc diluitur alia obiectio volentium sensum gustus residere in radice linguæ, quia ibi est maior humiditas; eo quod ibi est magis de saliua humectantes, quia in glandulis carneis, quæ sunt ad radicem generatur saliua; & etiam quia in radice linguæ nerus sensorius gustus est magis expansus, & grossior quàm in cuspide; nam ad 1. respond. ex dictis maiorem humiditatem, quæ est in saliua non requiri ex parte sensus, sed potius ex parte cibi, vt alteretur, & fiat actu humidus, vt immuret gustum, & ideo non debet residere in radice linguæ: sed in cuspide. Ad 2. quod, & si nerus ille in radice linguæ sit magis expansus, non tamen ita bene temperatus, sicut in cuspide; & ideo maximè residet gustus in acumine linguæ.

## DE SENSV TACTVS.

## QVAESTIO LXVI.

*Per quid constituatur sensibile proprium tactus, & an exuperantia requiratur in aliqua qualitate?*

1 IN cæteris sensibus obiectum habet speciale nomen in se, & non solum ex denominatione potentiæ; non enim solum

dicitur visibile, aut audibile, aut odorabile, aut gustabile, sed coloratum, sonatiuum, odoriferum, aut sapidum; quia aliqua determinata qualitas resultans ex mixtione primarum qualitatum specificat sensum, & inheret sensibili, & ideò speciali ratione denominat ipsum, ideoque nomen speciale habet; coloratum enim denominatur aliquod à colore inhærente, sonatiuum a sono, odoriferum ab odore, & sapidum a sapore; at in obiecto tangibili non est aliqua qualitas determinata resultans ex mixtione primarum ratione cuius specificet tactum, sed ipsæ primæ qualitates in se sunt rationes tangibilitatis, quatenus est aliquis excessus, etsi secundæ qualitates tangendi vim terminent, non tamen vt sunt vnum quid ex alijs, sed secundum excessum quemdam ad alias, & ideo tangibile dicitur obiectum tactus denominatione sumpta a potentia tactiua, seu a sensu tactus; non autem habet hoc obiectum speciale nomen proueniens ab aliqua determinata qualitate ipsi inhærente.

2 Dicendum est 1. Ratio per se primo obiectiua tactus constituens formaliter tangibile sunt primæ qualitates, scilicet calor, & frigus, siccitas, & humiditas, & aliæ qualitates secundæ, nempe mollitudo, & duricies, asperitas, & lenitas per se secundo. Ratio est, quia inter ea quæ per se sunt attingibilia ab vna potentia, quod habet esse ab alio ratione illius attingitur, & illud a quo habet esse est per se primo; sicut in intellectu veritas mediata ratione immediatæ, sed respectu tactus secundæ qualitates, & cõtrarietates duri, & mollis, asperi, & lenis sunt mediatibus primis qualitatibus, & contrarietatibus calidi, & frigidi, humidi, & sicci, quæ primæ qualitates, & contrarietates sunt per se primæ rationes cõstituendi obiectum tangibile, cæteræ autem secundæ qualitates erunt per se secundo constitutiuæ obiecti tangibilis.

3 Dicendum est 2. Istæ qualitates, non constituunt obiectum tangibile, nisi quatenus excedunt in intensione eas quibus constituitur organum tactus. Probatur ratione Arist. & D. Thom. hic text. 118. & videri potest D. Tho. q. 2 de verit. art. 2. ad 8. quia sensorium tactus cum sit corporeum non potest non constare illis primis qualitatibus, calore, & frigore, humiditate, & siccitate, nec alijs, quæ ad has consequuntur, scilicet mollitudine, aut duritiæ, asperitate, aut lenitate, sicut eis constat ipsum tangibile; sed intus existens prohibet extraneum, & omne sensorium debet esse in potentia, illud, per quod obiectum sensibile constituitur, ergo solum relinquitur, quod per exuperantiam, & excessum qualitatum possit tangibile constitui obiectum tactus potens illum immutare, vt existentem in potentia potentem moueri, & immutari a tangibili

sen-

secundum primas qualitates, vel secundum qualitates secundas, attingibiles a sensu tactus.

4 Cont. 1. concl. arg. 1. quia D. Tho. p. p. q. 78. art. 3. probat dari tactus specie diuersos, quia dantur plures contrarietates in qualitatibus per se primo tangibiles, quæ sunt secundæ qualitates, quia diuersæ sunt quæ mouent tactum in delectatione ad titillationem, ab his quæ mouent stomachum ad sedandum sitim, & famem, & quæ ad dolorem, & delectationem in toto corpore, ergo per se primo constituitur aliquod tangibile per qualitates secundas, ac primas. Tũ etiam licet omnes colores ex albi, & nigri mixtione resultent, tamen omnes colores sunt æquè primò visibiles, licet nõ ita principaliter, ergo similiter in nostro casu, ruit ergo nostra conclusio. Tum etiam quia si corpus sublunare immediatè applicaretur cœlo si vellet moueri sursum; sentiret resistentiam duri, nec ibi inueniret aliquam ex primis qualitatibus, & in sensu nullatenus nos mouent primæ qualitates, sed alia diuersa, ergo. Denique illę qualitates non primæ non sunt sensibiles per accidẽs, nec cõmune, quia ab his sensibus non percipiuntur, ergo sunt sensibiles per se, ergo primo. Hæc sunt fundamenta, quæ quia non parui momenti sunt, potuerunt in suam conclusionem pertrahere magnum illud lumẽ Thomisticæ scholæ Mag. in quã Ioan. à S. Thom. hic q. 7. art. 7.

5 Respon. non dari plures species tactus specie formali distinctos, sed tantum specie materiali, nec aliud intendisse, D. Thom. & hos distingui non secundum se, sed quoad nos penes diuersas illas contrarietates primarum qualitatum, non ratione sui, sed quatenus afferunt diuersimodè primas, easque modificant, & ideo secundum quod secundæ sunt non specificãt primario tactum. Ad 2. non eandem esse rationem de coloribus, quæ in ratione sensibiliũ, siue simplices sint siue mixtæ, sunt susceptiuæ lucis eodem modo formaliter, & simpliciter, & solum penes magis, & minus differunt in ratione mouendi visum, licet simpliciter differant in esse entis, at in tactu non solum in esse entis pendent secundæ qualitates a primis, sed etiam in ratione tangibilis, quia ratio mouendi est continentia primarum qualitatum, vt ex dicendis satis perspicuum fiet in qq. sequentib. Ad 3. quod in eo casu corpus sublunare non sentiret corpus, sed tamen impediretur a penetratione, quia esset corpus quantum impenetrabile, non quia est durum, quia cœlum caret sensibilibus qualitatibus, quod si admittamus sensibile commune posse mouere, & immittere speciem in sensum, etsi sit secundariũ, quia in ordine ad primarium, & propriem mouet, licet non ibi existat, sed quia mouet ac si existeret, tunc etiam posset concedi sentiri tactu cælum, etsi eius duri-

ties

ries 6 est sensibile primarium. Ad 4. respon. eas qualitates esse sensibiles non propriè, sed secundatió.

6 Cont. 2. concl. arg. 2. Sensus tactus non est præcisiuus, & tangibile agit quatenus agens naturale, & non vt liberum; demus ergo sensorium tactus habere calorem vt duo ex sicco temperamento, & applicari calidum vt sex, species repræsentabit ab sensum calidum vt sex, ergo etiam mouent illi duo gradus in quibus non est exuperantia; ergo etiamsi solum applicaretur calidum vt duo tangeretur: ergo obiectum tangibile non solum est secundum exuperantiam, &. Respon. tactum non esse præcisiuum formaliter, sed solum quatenus dicit proportionem ad obiectum, & in eo casu sentiri omnes sex gradus, quia sentiunt vnum sensibile, coniunctum alij gradibus exuperantibus, sicut minimum naturale, aut infra minimum existit cum alijs partibus, quod secundum se non posset existere, & vna vox sola quæ à magna distantia se sola audiri non potest; coniũcta cum alijs, cum fit clamor exercitus potest audiri, & ratio potest esse, quia ille calor vt sex vnus est, & non ex diuersis gradibus constat, & sic tota illa qualitas secundum se totam exuperat sensum, & est sensibilis licêt gradus illi separati, quia diuersi sunt, nec essent proportionati, nec sensibiles essent per tactum.

7 Denique arg. 3. Delectatio ex proportione consurgit, non ex exuperãtia sensibilis, quæ potius lædit sensum, sed tactus maximè delectatur circa obiectum; ergo ratione proportionis, non ratione exuperantiæ. Conf. In brutis in quibus maxè viget delectatio tactus, ratione proportionis tactus cũ tangibili causatur. Ergo non ratione exuperantiæ, &. Resp tactum non attendere in sua delectatione ad proportionem secundum medium rei, sed secundũ medium sensibile in esse talis, & ideo exuperantia qualitatum secundum rem, sunt quæ tantum dicunt proportionem ad mouendum delectabiliter sensum tactus, quatenus est potentia passiua respectu sensibilis.

## QVÆSTIO LXVII.

*Vtrum sensibile tactus debeat sensum immutare tantum naturaliter, an etiam intentionaliter, & per species ex se immissas?*

1 DIcendum est 1. Ad sensationem tactus requiritur quod proprium sensibile, & tangibile immutet ipsum sensum intentionaliter, & per proprias species. Sic Aristot. hic text. 121. vbi ait: *Hoc autem accipere vniuersaliter de omni sensu, oportet, quod sensibiles sine materia format (seu species) suscipere potest*; sed tactus sensus quidam est,

est, ergo hoc etiam exigit. Conf. ex eodem docentes plantas ideò non sentire, nec habere tactum, quia licet immutentur naturaliter calido, & frigido, non tamen intentionaliter ad sensationem. Prob. ratione concl. Tactus ex quo sensus est, etiam est potentia passiua, non tantum sensationis, sed ipsius sensibilis, vt docet Aristot. at non est præcisè passiua in esse naturali; sic enim plantæ haberent tactum: ergo intentionaliter. Præterea tactus sentit exuperantiam qualitatum obiecti tangibilis, at eis quibus afficitur in esse naturali, non exuperatur, quia in eis similis est ipsi tangibili, ergo tantum sentit eas qualitates, quibus non immutatur naturaliter, & solum intentionaliter immutatur.

2 Dicendum 2. Ad sensationē tactus semper coniungitur immutatio naturalis medij interni, & ipsius sensus, hæc tamen per se nō requiritur, sed est conditio quædam in hoc rerum statu concomitans. Sic D. Thom. p. p. q. 78. art. 3. Ratio est, quia tactus requirit contactum ad tangibile per medium intrinsecum carnis, sed tangibile constituitur per aliquas qualitates actiuas naturaliter, quales sunt calor, & frigus; humiditas enim & siccitas sunt minus actiuæ, ergo cum sint approximatæ, & coniunctæ, necessariò agunt in medium; & aliqualiter etiam in sensum, sed qua cessante motu cæli omnis etiam motus naturalis cessabit, & corpora damnatorum hac ratione patientur in tactu motu intentionali, quin corrumpantur, quia tangibilis ignis non aget motu naturali, & corruptiuo, docet D. Thom. 3. p. in addit. q. 86. art. 3. ideo diximus alterationem illam naturalem esse conditionem concomitantem pro hoc statu, non autem per se requisitam ad sensationē tactus; vt iam expossui, & ratio quare hanc mutationem naturalem admittit tactus est quia est magis materialis inter alios sensus, vt cō stat si supra piram ignis poramus manum vbi magis ferit eius actiuitas naturalis, quam si a latere eam applicemus.

3 Contra 1. concluſ. Arg. 1. Species est vicaria obiecti supplens eius absentiam; ergo cum adsit tangibile tactui immutans ipsum realiter non potest nec debet admitti species vice eius immutans tactum. Prob. nam eō ipso quod Deus seipso terminet visionem intellectui beato illustrato lumine gloriæ, & substantia Angeli visionem sui in intellectu Angelico, non potest fieri cognitio per speciem superadditam, ergo si tangibile se ipso vnitur tactui, non poterit sentiri per speciem superadditam, ℣. Resp. speciem esse vicariam obiecti, vt vniat illud potentiæ cognoscitiuæ, non materiali, sed intentiali modo, quia cognitio fit per elevationem a materia, & ideo ex quo tangibili esset coniunctum sen-

sensui materialiter, non sequitur non esse necessariam speciem ad contactum (licèt falsum omnino sit tangibile esse contactum tactui phisicè;) non enim vnitur illi, nisi media carne, & docet Arist. hic cap. 11. nam si esset supra tactum impediret omnino sensationem; vnde cum Deus, & Angeli sint vniti, & præsentes intellectui, non solum in esse phisico, sed immateriali, & intentionali non ponitur species superaddita quæ sit vicaria obiecti. Vide D. Th. 1. p. q. 66. art. 1.

4 Con. 2. conclus. arg. 2. Immutatio intentionalis fit in instanti, & pluries fit contactus ad non actiuas, nec alteratiuas qualitates, vt cum mollitudo tangitur, ergo alteratio naturalis omnino se habet per accidens, ad sensationem tactus, §. Resp. quod etsi fiat in instanti ea immutatio, habet tamen antecedenter coniunctum motum, sicut de sonatione docuit Aristot. hic text. 8. & ibi D. Thom. mollia autem, & alia non alteratiua, qualia sicut per se primo non sunt tangabilia, ita nec sine motu alteratiuo primarum qualitatum tangumtur.

## QVAESTIO LXVIII.

*An qualitates tangibiles perceptibiles à sensu tactus sint illæ, quæ sunt in obiecto phisicè, an quæ in ipso sensu, an quæ in vtroque?*

1 DIcendum sensum tactus nec sentire eas qualitates, quæ in ipso sunt ex vi temperamenti naturalis, neque quas recipit ex vi alterationis actiuæ naturalis, quæ sunt intangibili, sed præcisè eas, quæ per aliquod medium distant à sensu tactus. Est communis sententia, & prob. quia sensus tactus solum sentit qualitatem, quæ illi obijcitur, sed eo ipso quod non admittatur reflexio in sensu externo (vt supra fiatui) non potest obijci sensui qualitas, quæ non sit extra ipsum: ergo nullo modo sentit eam, quæ realiter afficit sensum. §. Si dicas ex non reflexione collegi posse tactum non sentire suam sensationem, non verò non sentire suas qualitates. Con. est quod in eo casu sentiret suum temperamentum & seipsum per se, ergo posset sentire suam sensationem, ergo à negatione consequentis ad negationem antecedentis bene arguitur, §. Conf. Tactus non sentit nisi qualitates exuperantes eas, quas in se habet, ergo non sentit quas habet, siue illæ ex proprio temperamento, siue ex alteratione tãgibilis habeantur à sensu tactus.

2 Con.

2 Con. conc. arg. 1. Si non sentit tactus qualitates phisicas receptas à sensibili, vt quid requiritur immutatio naturalis, secundũ exuperantiã? ℣. Resp. eas non sentire, sed requiri eam alterationẽ. Tum quia materialis est sensus. Tum quia per coniunctionem medij interni ad sensibile, fit sensatio tactus, quia materialitas sensus moueri non potest intẽtionaliter nisi præcedat immutatio naturalis, sicut in gustu ponitur saliua, non solum ad immutandum cibũ, vt moueat, sed etiam secundum aliquos, vt gustus immutetur intentionaliter ad gustum.

3 Arg. 2. Si vera esset nostra conc. si immediatè nerui sensorij tactus efficerentur calore intensissimo à Deo, aut ab Angelo nõ sentiret viuens, sed hoc est incredibile, ergo, & nostra conclusio. Tum etiam fabricitans sentit calorem, quo afficitur organũ, & nerui sensorij, & eo non parum molestatur, ergo tactus sentit qualitates, quibus afficitur, ℣. Resp. sensationem pluries dictum est in eo casu non fore sicut, quia sensibili posito supra sensum, siue medio non fit sensatio, quia nec fit immutatio intẽtionalis; ideoque in inferno calor ignis qui sentitur à damnatis non afficiet immediate neruos sensorios, sed per medium carnis, nec hoc reputatur abiurdum à philosophis qui corrigunt incredulitatem tum illorum, qui non ratione ducuntur, sed apprehensione. Vnde, & idem dico de febricitante.

## QVAESTIO LXIX.

*Quodnam sit medium, & organum tactus?*

1 DIcendum 1. Sensus tactus per se habet non admittere medium externum, sed per se tangere sensibile per medium, scilicet tantum internum, quod non ponit in numero, cum sensu, quia est pars sentientis continuata sensui. Sic expresse Aristot. lib. 3. de anim. text. 116. & in hoc ponit discrimen inter hunc sensum, & alios inuoluendo gustum in sensu tactus etiam D. Thom. ibi videndus est. Ratio est nã quolibet medio extrinseco dato cum sit corpus naturale habens trinam dimẽsionem, & primas qualitates, se ipso est sensibile, ergo non est medium aptum ad sentiendũ alia, medium enim, vt hoc sit non debet in se habere sensibilitatem respectu sensus, cuius est medium, aliquo impedit sensationem, sicut vitrum colore affectum, & positũ supra visum, seu oculum impedit ne alij colores videri possint, quod & experientia constat, quia sentimus tactu frigiditatem, & calorem aeris, & aquæ, quæ possent esse media externa.

2 Nec nego quòd per accidens possit esse sensatio per medium externum in tactu, sed tunc medium se habet materialiter, & per modum vnius cum sensibili. Ponit exempliũ Arist. tex. 115. vt

si quis percutiatur mediante clypeo, aut contingat corpus humectatũ aqua; tuncenim sentit ictum brachij simul cumictu clypei, & corpus simul madidum sentit.

3 Dicendum 2. Medium tactus est caro circumdans neruos. Sic Aristot. à text. 109. & probat. nam sentimus per contactum ad carnem; at caro non est organum tactus alioquì sensibile positum supra sensum sentiri posset, ergo est medium.

4 Dicendum 3. Sensorium tactus non est cutis; aut caro, sed neruus quidam intra carnem existens. Sic Aristot. in præsenti tex. 109. expresse text. 116. lib. 2. de generat. animal. cap. 10. *Sensorium tactus non caro, aut pars aliqua eiusmodi est, sed aliquid intimum.* Sic etiam D. Thom. & plures Thomistæ: cuius etiam ratio ex dictis constat, quia etiam detracta cute sentit caro si aliquid ei applicetur: ergo non est sensus tactus in ea, nam sensibile posito supra sensum, non fit sensatio; sed non potest esse aliud sensorium tactus nisi nerui, quia his etiam impeditis, aut arefactis cessat sensatio, ergo.

5 Contra 1. conc. 4. arg. 1. Vel corpora se tangentia sunt dura, vel mollia; si primum ex natura sua petunt non tangere se immediatè, quia habent quasdam partes prominentes: si mollia vnũ corpus circumscribit alterum, vt patet in aere, & aqua, ergo non agit in illud immediatè, quia locus non agit in locatum, ergo, &c. Resp. quod corpora dura etiam possunt esse omnino plana, & sic possunt coniungi per gemmam digiti ad ipsum compressam, & complanatam: sed dato quod vnum ex illis corporibus habeat partes prominentes, sequitur secundum illas se posse immediatè contingere, licet non secundum partes cauas; & tunc neque illæ continguntur, vel si per medium continguntur externum, hoc est per accidens, non verò per se exactum ex ratione tactus, & tangibilis Arg. 3. con. 2. & 3. concluf. ex Aristot. lib. 1. de histor. Animal. capit. 4. & lib. 2. de part. animal. ca. 2. & 5. & 8. vbi in sola carne assignat organum tactus; & D. Thom. in 4. dist. 23. docet: *Vigere tactum in pulpis digitorum*, sed ibi non sunt nerui, sed sola caro, ergo in sola carne residet sensus tactus, tamquam in organo, &c. Resp. ex Auer. Ari. mutasse sententiam, & ideo hoc ibi affirmasse, quia nondum per anotomiam nouerat neruos sensorios latere sub carne. Idem dic de D. Thom. qui explicatur sic in pulpis digitorum esse tactum præstantiori modo, sed ratione neruorum, vel quia ea caro aptius medium est, quia ibi plus viget temperamentum requisitum, vt nerui sentiant per carnem tanquam per medium aptissimum.

6 Arg. 4. Ossa, & nerui sunt propter carnem, ergo, & sensus tactus est in carne, & non in neruis.

uis. Prob. conseq. nam animal est propter sensum tactus, vt docet Arist. lib. 2. de part. animal. cap. 8. ergo erit propter id quod est præcipuum, & non propter neruos, & ossa, quæ sunt propter carnem, §. Resp. quod Arist. ibi, solum concludit quod caro aut est medium, aut sensorium tactus, & ideo non debemus amplius colligere, nam etsi animal ordinetur ad sentire, & neruus ad carnem, vt in ea subsistat, quia tamen in neruo, est aptius temperamentum, & sunt spiritus descendentes à cerebro, ideo ibi est sensus tactus, sic enim in ratione sentiendi non ordinatur neruus ad carnem, sed è contra caro ad neruum, §. Si instes aptioris temperamenti esse carnem, quia non est terrestris naturæ, sicut de neruis affirmat Arist. ergo si sensus tactus est in partibus temperatioribus in carne, & non in neruis erit, §. Resp. neruum esse totaliter terreum, nam habet duas tunicas, quæ sunt aereæ naturæ, & spiritus descendentes à cerebro, & temperatissimum calorem à corde, quod esse radicale sensorium tactus ex D. Tho. & Aristot. supra ostendi, & ideo est aptius temperamentum in neruo, quàm in carne vt sit sensorium tactus.

7 Arg. 5. In iecore nulli sunt nerui, & tamen habet sensum tactus. Nam si pungeretur doleret, alias est naturæ carneæ, ergo neruus non est sensorium tactus. Conf. Vbi est sensatio tactus, est sensus, at in carne vbi non sunt nerui est sensatio si pungatur acu, ergo in carne est ipse sensus, §. Resp. In iecore esse neruos minutos & ideo esse ibi tactum. Ad secundum quod si pungatur caro fit dolor non in ipsa, quæ tantum est medium, sed in neruo proximo, nam neruli sensorij delicatissimi sparsi sunt per totum corpus, vt tactum cuiuslibet partis carneæ sentire valeat animal ad cuius cõsistentiam ponitur iste sensus, vt docet Aristot. lib. 2. de part. animal. c. 8.

8 Aduertendum in calce huius quæst. cum Aquar. quod in animalibus carentibus sanguine in quibus nec proprie est caro nec neruli, id quod se habet in illis loco carnis est medium internum, tactus & quod se habet loco neruorum est sensorium tactus, sicut in non respirantibus quod se habet loco mãmillarum capitalium in nostris naribus est sensoriũ olfactus, & in quibus aures non sunt id quod loco aurium est, habet rationem sensorij auditus.

## QVÆSTIO LXX.

*Verum sensus tactus in animali sit vnus secundum speciem athomam?*

1 DIcendum est. Sensus tactus vnus est specie athoma in ratione sensus, sicut visus, & auditus vnus sensus sunt, & licet Aristot. toto cap. 11. huius li-

libri videatur dubitanter circa hoc procedere, non tamen assertiuè docet esse tactus diuersos specie, vt egregiè notat Caiet. hic cap. 10. Vnde, & cap. 13. huius libri absolutè docet Arist. esse tantum quinque sensus externos, ac per consequens tactum non multiplicari in ratione sensus, & etiã lib. 3. cap. 1. statuit vnum esse sensum tactus in animali, idemque statuit D. Thom. ibidem. Prob. concluſ. Ille sensus in ratione talis est vnus specie athoma, qui habet vnicum obiectum formale specie athoma, nam vnitas potentiæ, & sensus sumitur ab obiecto; sed tactus habet vnicum obiectum specie athoma, ergo, prob. mi. Obiectum tactus sunt primæ qualitates calidi, & frigidi secundum exuperantiam, omnia enim, quæ attingit tactus ad hãc primã contrarietatem reducit, & ratione eius omnia, & singula tangabilia attingit, licet inter se habeant diuersas specie qualitates scilicet, duri, & mollis, asperi, & lenis, pinguis, aut macri, rari, aut densi, sicut quia omnia attingit visus, vt reducta ad vnam primam contrarietatem albi, & nigri, obiectum est vnum specie athoma, ergo obiectum tactus in ratione tangibilis, vnum est formaliter in specie athoma.

2 Si dicas ex nostra ratione potius colligi oppositum, scilicet obiectum in ratione tangibilis, non esse vnius generis obiectum, quia non habet vnam tantum cõtrarietatem pro obiecto, calidi, & frigidi, sed etiam sicci, & humidi, quæ contrarietates cum sint primæ vna ad alteram non est reducibilis, §. Sed cõtra est, quod in eadem parte non est duplex sensus tactus specie diuersus v. gr. in pulpis digitorum, sed ibi discernitur à tactu, non solum calidum, & frigidum, sed etiam humidum, & siccum; ergo istæ contrarietates non sunt diuersi generis obiecta in ratione tangibilis, ergo cum omnes aliæ contrarietates qualitatum tangibilium, ad has reducantur, sequitur non dari diuersæ speciei sensus tactus. Tum etiam quæ sunt irreducibilia in esse entis reduci possunt inter se in ratione sensibilis immutatiui sensus; at humidum & siccum in ratione tãgibilis reducuntur ad tactum ratione actiuitatis calidi, & frigidi, hæc enim cum sint magis actiua, magis irritant tactum, & illum immutant, quæ autem sunt maxima in aliquo genere sunt prima, quia sunt mensura cæterorum in illo genere, ergo in genere tangibilis manifestum est omnes contrarietates reduci ad calidum, & frigidum, cum siccum, & humidum sint minus actiua.

4 Con. concl. arg. Si idem est se tactus existẽs in toto corpore, & non essent diuersi, per omnes partes corporis ædem differentiæ tangibiles sentirentur, sed hoc est falsum, nam stomaco diuersa delectatio sentitur ex cibo, & potu sedante famem, & extinguente sitim,

sitim, quam sentitur in manu apprehendente cibum, & in organis generationis alia delectatio percipitur, ac in alijs partibus, ergo nõ est idem sensus tactus in corpore, §. Conf. quia in lingua contactu saporum distincta delectatio sentitur ab ea, quæ est in tactu in reliquis corporis partibus, ergo similiter distinguitur gustus a tactu, §. Resp. quod cum sensus tactus sit materialior inter omnes sensus, diffusus est per totum corpus, & magis viget in vna parte, quàm in alia, sed vbique easdem differentias attingit, & solum materialiter diuersas, ex quibus diuersa resultat voluptas, & ideo stomachus fame appetit calidum, & siccum, & siti frigidum, & humidum ex Aristot. & D. Thom. hic lect. 5. & illis habitis delectatur idemque in alijs passionibus contingit, cum ergo vnitas sensus non varietur per hæc diuersa obiecta materialia, quæ pertingit in diuersis partibus, sub eadem tamen ratione specifica fit consequens vnum esse tactum secundum speciem atho mam in singulis partibus corporis, non est autem idem de gustu, quia sub alia ratione immutatur ab obiecto, scilicet secundum rationem lapidi, modo supra explicato dum ageremus de hoc sensu.

## QVAESTIO LXXI.

*An præstantia tactus in homine arguat excessum ingenij in ipso?*

1 CONclusio est affirmatiua expressaque Aristot. hic, & D. Thom. ibidem Prob. Tactus est fundamentum omnium sensuũ ergo quo tactus perfectior est ex se sunt alij sensus perfectiores, ergo & ingenium quod in nob isà sensibus pendet in cognoscendo. Tum etiam, Tactus resultat ex temperamento primarum qualitatum, quæ ad mediocritatem sunt reductæ, ergo qui viget tactu, viget temperamento, quod ex æqualitate humorum consurgit, sed anima perfectius informat quo corpus est melius dispositum, & temperatum, vt hoc 2. libr. docet Aristot. text. 24. ergo anima erit individualiter perfectior, sed anima individualiter perfectior cum sit intellectiua ingenium præstat, ergo præstantioris tactus homines, excellunt etiam ingenio.

2 Sed con. concluſ. arg. 1. ex Aristot. 1. meth. cap. 1. asserente, quod: *Visus omnium sensuum maximè nos cognoscere facit*; ergo maius argumentũ ingenij est acumen visus, quã præstantia tactus Conf. Sensus visus immaterialior est inter omnes sensus, & plures percipit differentias rerum inter illos, at tactus materialior est, & paucio res rerũ differẽtias perc ipit, ergo cũ materialitas, & consti ctia rerũ

cognitio, aũt obſit, aut non ita iuuet intellectum ad cognoſcendum rectè, ſicut immaterialitas, & extenſa rerum cognitio, acuti viſu ſunt magis ingenioſi cæteris paribus, quam tactu præſtantes, ℣. Reſpon. quod ſicut ex carentia viſus à nativitate non bene infertur hebetudo intellectus, nã Homerus cæcus fuit, & Didimus etiã Alexandrinus Magiſter Origenis, & tamen vterque præſtantiſſimo ingenio valuit ita neque ex perſpicacia viſus infertur ingenij acumen. Reſpon. ergo cum Iauel quod viſus maximè cognoſcere nos facit miniſtrando intellectui ſpecies, & illi deſeruiendo: cæterũ non cauſaliter ſicut tactus, cuius temperamentum arguit diſpoſitiue exceſſum animæ, & intellectus. Ad rationem, reſp. tactum eſſe in ſe materialiorem aliis ſenſibus, & minus miniſtrare ſpecies intellectui, quia pauciores rerum differentias cognoſcit, licet certiori modo eas miniſtret, ſed diſpoſitiuè magis conducere, quia temperamentum in quo eſt arguit exceſſum mentis, quaſi radicaliter.

3 Arg. 2. Secundum Ariſtot. de ſenſu, & ſenſat. cap. 1. & alibi: *Melanchonici ſunt aptiores ad ſciẽtiam*; ſed melanchonicos eſſe duriores carne, ac perinde hebetioris tactus conſtat, quia prꝫualet in eis humor terreus, & attrabilis, ergo. Tum etiam. Fœminæ molliores carne ſunt viris, & nihilominus minus aptæ ſunt ad ſcientiam, ergo ex præſtantia tactus non rectè arguitur aptitudo mentis, ℣. Reſp. Melanchonicos eſſe aptiores ad ſcientiam, non illi qui ex cõplexione melanchonici ſunt, ſed qui ex præſtantia mentis, & multa, & aſsidua conſideratione multis etiam ſpiritibus vitalibus in cerebro conſumptis melanchonici redduntur, & alias etiã, quia ſunt magis imaginatiui, & ideo ex profũda meditatione aptiores reddũtur, non autem in quantum melãchonici, & tardioris tactus. Nec mollitudo fœmineæ carnis arguit mentis acumen, quia non eſt ſolida, & ex temperamenti harmonia reſultans, ſed ex aquea humiditate proueniens, ideoque non tã mollitudo eſt, quam tenuitudo, & laxitas corporis.

## DE SENSIBVS INTERNIS in communi.

### QVÆSTIO LXXII.

*An ſit, & quid ſit ſenſus internus, vt diſtinguitur ab externo, & an ſit tantum vnus ſenſus internus, vel quot ſint?*

1 DIcendum eſt 1. Præter ſenſus externos, concedendus eſt aliquis internus ſenſus. Sic plures SS. PP. Prob. tamen rat. D. Thom. ſic. Aliquæ operationes vitæ ſenſitiuæ apparent in brutis, quæ neque fiunt à ſenſu, neque ab intellectu, ergo datur ſenſus aliquis non externus, ergo internus, prob. antec. Experientia conſtat. bru-

bruta habere memoriam eius loci, quo verberata sunt, & fugere illum; & quærere pabula absentia, & sæpius repetere eundem locum, quo pasta sunt, sed istæ sunt operationes vitæ cum moueantur à se, & non purè vegetatiuæ, quia hæc vita solum ad coniuncta se extendit nec intellectiuæ, cum bruta intellectu vacent, ergo vitæ sensitiuæ: at non sensitiuæ solum sensu externo, quia illi actus nullius sensationis externæ sunt; nec visio sunt, nec auditio, cum in absentia obiecti fiant, ad quæ non tendit externus sensus, ergo sunt operationes sensus interni, memoriæ, scilicet, phantasiæ, & potentiæ locomotiuæ. Hoc ipsum confirmat somnus in quo sunt ligati sensus externi, & intellectus non operatur, & tamen contingunt somnia, & apparitiones rerum sensibilium, quod & alijs etiam animantibus accidere testatur experientia, & Aristo. ergo datur sensus internus quo in somnia percipiantur. Hoc idem suadet, quod ouis fugit à lupo, vt sibi noxio, & accurrit cani vt amico, quod non potest fieri per species sensatas, & solum fit per insensatas, quibus vti non possunt sensus externi, ergo datur sensus internus.

2 Dicendum 2. Sensus internus est potentia ad recipiendas formas rerum singulariũ sine materia à sensibus externis ad discernendum obiecta, cum quadam comparatione, etiam in absentia, & modo etiam insensato, & cum potestate formandi tertiam speciem ex alijs à sensu acceptis. Quod sit potentia ad recipiendas formas, sine materia est ratio generica cuiuslibet potentiæ cognoscitiuæ: cæteræ particulæ demonstrant id in quo sensus internus discernitur ab intellectu, & à sensibus externis, nam intellectus nõ recipit species rerũ singulariũ per se primo & sensus externi, qui in absentia discernunt obiectum, neque cum comparatione, neque modo insensato, neque tertiam speciem formare possunt sicut interni, vt ex dicendis infra notum fiet.

3 Dicendum 3. Non tantum vnus sensus internus datur, sed plures debent concedi. Sic communiter antiqui philosophi, & SS. PP Prob. ex Diu. Thom. Ex eo debent multiplicari sensus, quia obiecta sunt diuersa formaliter, & diuersa organa, sed obiecta, & organa sensus interni sunt plura formaliter, & diuersa organa, ergo sunt plures, quam vnus sensus internus. Prob. minor. pro 1. parte, quia diuersa modè immutat sensum communem suum obiectum, quam phantasiam, vt memoriam, vt ex dicendis constabit, ergo. Pro secunda autem. Nam diuersa organa, & vasa ad sentiendum interna assignat Aristotel. & etiam D. August.

4 Secundo prob. conclus. Tum quia sunt diuersa organa; ergo diuersi sensus. Tum quia sunt diuersa motiua, ergo diuersa mobilia, quia sensus mobilia,

quædam, & passiua sunt. Tū quia obiecta adæquata diuersa sunt, nā obiectum sensus communis est, quod sentitur a sensibus externis, vt ab illis sentitur, tàm ex parte actus, quàm ex parte obiecti; iudicat enim de sensationibus ipsis, & discernit inter obiecta sensuum externorum, inter album, & dulce, prout ab illis fit; at phantasia habet pro obiecto sensibile, non tantum prout est, sed etiam prout apparet esse, siue vere, siue falsè, æstimatiua autem rationem addit, nam comparatur opinioni, quæ non ex eo quod apparet, sed cum aliqua ratione, & imperfecta cōpositione, & discursu est, memoria autem hæc in absentia conseruat, & ita hinc fit, vt vnus ex his sensibus in actu moueat alterum, ergo isti quatuor sensus distincte potentiæ sunt.

5 Nec valet dicere sufficere ad hæc omnia vnum sensum cum diuersis actibus, & ea obiecta esse inadæquata, sicut vnus intellectus sufficit ad omnia illa in suo genere per diuersos actus præstanda. Nam contra est in primis, quod in linea intellectiua memoria ab intellectu agente realiter distinguitur, ergo à fortiori distinguetur memoria sensitiua ab imaginatione. Deinde intellectus agens distinguitur à possibili, quia mouet ipsum, & agit in illum, tanquam in potentiam passiuam, ergo à fortiori distinguetur sensus communis ab imaginatione cum etiam moueat illam, & agatur ipsam. Denique ex quo intellectus possit apprehendere, componere, & diuidere per actus inadæquatos, non sequitur idem posse vnum sensum internum, quia quod conceditur cum vnitate, & continentia potentiæ superiori, non debet concedi potentiæ inferiori: sed potius infertur, quod quæ in superioribus sunt vnita, in inferioribus sunt diuersa, &c. Neque ex dictis sequitur, quod si sensus communis, ideo est diuersa potentia ab imaginatione, quia eam mouet, sicut hac ratione intellectus agēs distinguitur a possibili, quia illū mouet; sicut intellectus agens, est simpliciter nobilior intellectu possibili, ita sit etiam nobilior sensus communis, quam imaginatio, & ratio non sequelæ est, quia intellectus agens mouet formaliter possibilem constituendo obiectum in esse immateriali ratione cuius obiectiuè mouet intellectū possibilem, at sensus cōmunis non mouet formaliter, sed præsuppositiuè, quia non constituit obiectum sensibile proportionatū, nec virtute sui format speciē, sed virtute obiecti, quod solum vt applicatur per sensum cōmunē in actu ad imaginationem, immittit illi suam speciē imaginabilē, & ideo sensus communis solū est quasi instrumentum obiecti, & hoc immutat imaginationem; hoc tamen sufficit, vt in ratione mouentis, & mobilis distinguātur realiter ipsi sensus, sicut quando vna

pos

potentia virtute ānimæ mouet a-liam distinguitur ab illa esque diuersa potentia,

6 Dicendum est 4. Tantum sunt quatuor sensus interni, scilicet sensus communis imaginatio. Memoria, & æstimatiua, quamuis in homine ex perfectione quā habent ex coniunctione cum intellectu, memoria etiam habeat rationem reminiscentiæ, & æstimatiua habeat rationem cogitatiuæ, quia quendam discursum circa singularia participat ex ea coniunctione ad memorandū, & æstimandum. Hæc conclusio communis est inter Tomistas, & est de mente Arist. 153. 160. & lect. 2. qui plures sensus inter nos non agnouit. Prob. Tot sunt constituendi sensus interni, quot sunt necessarij, vt perfectum animal seipso peruenire possit ad perfectum statum suæ conseruationis, & status sibi debiti, & cōnaturalis, sed ad hoc quatuor sensus interni, & non plures sunt necessarij, ergo tot sunt constituendi. Pro. Vt animal conseruetur non sufficit apprehendere præsentia, sed etiam absentia, nec solum, quæ à sensibus externis attinguntur, sed etiam discernere inter obiecta eorum, scilicet inter album, & dulce, & inter ipsas sensationes, hoc enim experiētia cernimus, & hac ratione probat Arist. hic lib. 3. cap. 2, concedendum esse sensum communem. Rursus etiam non sufficit hæc apprehendere, sed etiam retinere in absentia, vt animal moueri possit ad absens motu progressiuo, ergo requiritur diuersa potentia quæ sit phantasia, quæ res in absentia apprehendat, & notitiam retineat: non enim eadem est potentia, qua aliquid recipit, & qua retinet, sicut non est eadem qualitas mollitudinis, qua aliquid facile apprehendit figuram extraneam, & duritici, qua difficile recipitur eadē figura, & facile retinetur: idē ergo erit in potentia cognoscitiua. Rursus non sufficit sensibilia vt sunt recipeae. & retinere, sed etiā rationes insensatas nociui, aut cōuenientis apprehendere, & retinere, alioquin non posset ouis fugere apprehenso lupo, & adhærere canibus, ergo præter sensum communem, imaginatione requiritur æstimatiua de rationibus insensatis & memoria, ergo quatuor sensus interni requirūtur, nec plures exigūntur, quia hi sufficiunt ad vitam animalis perfectè conseruandam.

7 Huic rationi diuersimodè satisfacere conantur aduersarij: Alij respondent, quod ad recipiendam species sensibiles in quadam vniuersalitate, vt fit à sensu communi, & ad retinendum non requiritur diuersa potentia sensitiua; namque retinet species necessariò recipit; ergo eadem est potentia receptiua, & retentiua, ergo memoria non est potentia distincta, Præterquam quod in cerebro omnes partes sunt humida & molles, non autem siccæ, ergo fustranea est illa cōparatio; sic enim

omnia organa interna, quæ sunt in cerebro facile recipient, & difficile retinebunt, nec seruanda est proportio, quia receptio specierum est spiritualis, seu intentionalis, ergo altioris rationis; ergo dato quod in rebus corporeis diuersa sit qualitas, qua facilè recipit corpus figuras extraneas, & qua facilè retinet, & si difficiliter recipiat eas, hoc tamen, non sufficiet, ad distinguendas potentias sensuum internorum, quæ superioris ordinis sunt.

8 Contr. est, nos non negare quod imaginatio recipiat species quas retinet cum sit passio quædã à motu sensus communis facta, vt hic docet Aristot. sed asserimus, quod permanenter recipit ad retinendum eas, cum tamen sensus cõmunis patiatur à sensibus externis factus in actu, sed non permanenter, sicut lapis recipit figuram extraneam, & retinet, & lutum recipit, sed non retinet. Vnde diuersa est qualitas ratione; cuius lapis durus, retinet figuram, quam recipit (quia hæc est siccitas) ab ea, qua lutum recipit figuram, sed non permanẽter (quia hęc est humiditas, qua molliscit,) ergo etiam diuersa est qualitas, seu passibilis qualitas, qua interne recipimus species in sensu communi non permanenter, ab ea qua in imaginatione permanenter recipiuntur species sensibilium. Ex quibus facilè diluitur, & exemplatur secũda responsio, non enim facimus, vim in eo quod in cerebro, sint omnes partes humidæ, & bene receptiuæ, & malè retentiuè formarum in esse phis. sed in eo quod sicut in phisicis diuersa potentia, & qualitas est qua bene incipitur forma licet nõ bene retineatur, ab ea qua retinetur bene, & si cum difficultate accipiatur, sic etiam illæ duæ potẽtię cognoscitiuæ debent etiã distinguitrealiter ob eandẽ rationem in sua linea, & sic etiam ruit vltima respõsio, quia etiam si istæ potentiæ sint in linea intentionali receptiuæ, & retentiuæ erũt diuersæ potentiæ. Tum etiam sensus interni affixi sunt organo corporeo, & ab eius dispositione dependent, ergo si hæc est diuersa, & organum diuersum diuersus sensus constituẽdus est; sed ad munia sensuum internorum diuersæ dispositiones, & diuersa organa requirũtur ad recipiendas, & retinendas species, & ad vsum earum, vt ostẽsum est, ergo sensus ipsi sunt distincti, sicut ob similem rationem sensus externi sunt plures, & non tantum vnus sub diuersis muneribus, sed quatuor esse organa interna ex dictis constat, ergo sunt quatuor sensus interni.

9 Alij dicunt, quod etsi in cerebro in parte anteriori sint partes humidæ ad exercenda munera sensus communis, & æstimatiuæ, in posteriori tamẽ parte sunt partes ficciores, in quibus memoria, & phantasia exercent suas operationes, & nihilominus vnus sensus est, quia sensibile internum, quod est obiectum formale adæquatum est

est idem diuersimode attingibile diuersis partibus vnius sensus interni sparsi per totum cerebrum, diuersis eius partibus residentis.

10 Sed contra est, quod sit sunt diuersæ partes in cerebro, cur nõ sunt diuersa organa, & sensus? nam hac ratione negamus tactum dispersum per totum corpus esse omnes sensus externos sub diuerso munere, quia in diuersis partibus diuersæ sunt dispositiones, & organizationes ad exercendas diuersas operationes diuersorũ sensuum, & per consequens dicitur, quod sensibile externum licet nomine sit vnum obiectum, tamen specificè diuiditur in plura, scilicet in sensibile per visum, auditũ, & cętera, ergo idem dicemus de sensibili interno esse vnum communiter, sed diuidi in plura secũdum speciem, quatenus est attingibile sensatè, vel insensatè per sensum communem, vel per phantasiam, vt latius explicabitur, agendo in particulari, de singulis sensibus interns, eorumque obiectis.

11 Vlterius probatur consequenter ad dicta. Vbi sunt rationes obiectiuæ diuersæ diuersa constituendi sunt sensus: sed respectu sensibilis interni quadruplex ratio obiectiua specifica diuersa reperitur, ergo quadruplex constituendus est sensus. Prob. min. Sensibile vt præsens, & sensatum actu sensibus externis, & exinde non exigens vim retentiuam, diuersa ratio est ab ea, quæ attingit sensibile in absentia abstraens ab hoc modo sentiendi solum quod actu sentitur ab externis sensibus cum facultate formandi tertiam speciem montis aurei, & retinendi eam, qui modus eleuatus est, ergo distinctum sensibile est, quod est imaginabile ab eo quod est sensibile commune, idest attingibile sensu communi, non minus, quam gustus, & olfactus. Rursus, obiectum sensatum, seu quod in se, vel in suis partibus supponit sensationem externam, diuersum est ab obiecto insensato, quod à nullo sensu externo est sensibile, non minus quam visus, & auditus; alior enim ratio est insensata, quã sensata, ergo sensibile æstimatiuæ specificè diuersum est in ratione obiecti ab obiecto sensus communis, & immaginatiuæ. Denique memoria attingit suum obiectum reflexè, scilicet obiectum insensatum, ergo magis eleuata est eius ratio, & magis vniuersalis, & abstracta, quam sit ea à qua specificatur æstimatiua, ergo sensibile à sensu communi, imaginabile, æstimabile, & memorabile in ratione specifica obiectiua diuersitatem dicit, non minus quam in sua linea sensibilis externi, dicant diuersam rationem obiectiuam, tangibile, gustabile, odorabile, visibile, & audibile, ergo sicut ibi ratio sensibilis externi, non sufficit, vt detur vnus tantum sensus, quia rationes particulares sunt diuersæ, sic neque ratio sensibilis interni sufficiet, vt sit vnus tantum sensus internus sub diuer-

fis muneribus omnia illa obiecta complectens.

12 Argument. 1. ad probandum vnum tantum sensum internum admittendum esse. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, sed data memoria, hæc potest facere, quod facit æstimatiua, & hæc quod sensus communis, ergo vnus tantum sensus internus concedendus est. Prob. min. eadem potentia æstimat de obiecto insensato futuro, & præsenti, ergo de præterito, & præsenti: immo eadem imaginatio attingit sensatum absens, & præsens, ergo eadem potentia, est memoria insensati absentis iam præsentis, & æstimat insensatum præsens iudicando de eius conuenientia, aut disconuenientia, ergo memoria potest facere, quod facit æstimatiua, & hęc idem potest præstare, quod memoria. Rursus æstimatiua attingit obiectum insensatum, vt affixum sensato, non enim attingit inimicitiam, aut disconuenientiam abstractam, sed in lupo, aut in icone, ergo potest obiectum sensatum se solo attingere, nam potens ad magis potest ad minus, aliàs Aristot. 3. de anima, text. 48. concedit imaginationem mouere appetitum, qui non nisi à ratione conuenientis, aut disconuenientis mouetur: ergo idem est æstimatiua, & imaginatiua, apud Aristot. Denique, quod imaginatiua possit præstare idem quod sensus communis. Prob. Imaginatio potest cognoscere sensibile præsens quando actu cognoscitur à sensu externo, quia viso lupo onis fugit cooperante ad hoc phantasia, quæ mouet æstimatiuâ alias sensus communis in absentia cognoscit obiectum sensibile teste Diu. Thom. part. 1. quæst. 84. art. 8. ad 2 ergo vera est illa min. ℣. Conf. 1. Quoties operationes sunt ordinatæ, & vna originatur ab alia eadem potentia sufficit ad omnes operationes ordinatê eliciẽdas, vt patet in intellectu cognoscente quidditatem, componente, & diuidente, sed omnes operationes internæ circa sensibilia hoc modo sunt colligatæ, & ordinatæ, ergo vnus sensus sufficit ad omnes illas. Prob. min. quia ex eo quod mouetur sensus internus ab externis, omnes illæ operationes circa obiectum sensibile operantur, v. grat. viso lupo quis percipit sensu communi colorem, & odorem, & figuram, pingit illum internê per phantasiam, apprehendi disconuenientiam, fugit, & memoriam habet, vt longè fugiat ad vitandum periculum, etiam si dum fugit non videat, ℣. Conf. 2. Quia reminiscentia discurrit non minus distat à memoria, quam æstimatiua ab imaginatione; aliàs vnus est sensus, qui memoratur, & reminiscit; ergo.

13 Respond. negata min. ad probationem, quod memoria non præcisê tendit in obiectum insensatum, vt præteritum; præteritio enim est solum conditio intrinseca, sed vt æstimatum eo

mo-

modo, quo est æstimatum, quæ ratio altior est, quam solum æstimare rem, vt præsentem, aut futuram & ideo debet distingui ab æstimatiua, quia ab altiori ratione obiectiua mouetur; phantasia autem licet de præteritis sensatis sit non tamen reflexiuè, sed concomitanter attingit rem, vt phantasiatam, & solum formaliter, vt præteritam, quia non est reflexiua sui, sed solum reflectitur circa sensationes externas, & ideo sicut distinguitur phantasia à sensu externo, & à sensu communi, quia circa vtrumque reflectitur, sic etiam memoria est distinguenda ab æstimatiua. Ad 2. prob. quod potentia superior attingit quod inferior, sed altiori modo, & sub altiori ratione, sicut intellectus singularia, & sensibilia cognoscit, & sic non sequitur esse eandem potentiam, & cum Aristot. tribuit imaginatiuæ mouere appetitum, mediate mouere intelligendū est, aut quatenus sensibile est conueniens sensui sensato modo, non verò quatenus est conueniens, aut disconueniens naturæ in sensato modo, & ad hoc ponitur æstimatiua distincta. Ad 3. prob. Respond. consequenter ad dicta, quod imaginatio eleuatiori modo attingit obiectum sensus communis in præsentia, sed quia etiam in absentia potest attingere, ideo distincta potentia est; nec est bona consequentia hæc potest quæ illa facultas, ergo illa superfluit, si hæc potest, quod illa altiori modo, & ex altiori motiuo, alioqui scientia beata infusa, & acquisita in Christo superfluerent, quia prima potest quod secunda, & hæc quod tertia, sed quia sub altiori motiuo, & cū maiori extensione non superfluūt. Cum autem docet Diu. Thom. sensum communē in absentia posse, hoc exderiuatione phantasiæ intelligendum est, sicut æstimatiua discurrit, ex adiunctione phantasię. ℣. Ad 1. conf. respond. quod colligatio operationum non sufficit, si sit diuersa ratio obiectiua, vt sit vna potentia, nam operatio voluntatis colligatur ad operationem intellectus (in sententia quod proposito obiecto non potest dari para omissio, nec mera suspensio in voluntate) & tamen est diuersa potentia voluntas ab intellectu. ℣. Ad 2. Respond. quod discursus non addit nouam rationem obiectiuam, sed diuersum modum tendendi, & consequenter, &c. sicut in sententia Scoti in distinct. 1. quæst. 5. & plurium Thomistarum, licet intellectus Angeli non sit discursiuus (quod admittit Scotus disputationis gratia) est tamen eiusdem speciei cum humano, qui est talis essentialiter, quia idem obiectum adequatum respicitur ab intellectu humano, & Angelico, at omnes quatuor sensus interni diuersum habēt obiectum formale adequatū motiuū, & terminatiuū, ideoq; nō est eadē ratio

14 Arg. 2. ad idem. Obiectum ade

adequatum omnium sensuum internorum est vnum & idem quia quilibet sensus internus attingit omnia obiecta exteriorum, ergo vnus tantum est sensus internus, implicat enim, quod obiectum adæquatum sit idem, & sensus, seu potentiæ sint plures, §. Resp. quod etsi obiectum materiale sit idem, si tamen ratio sub qua sit diuersa hoc sufficit ad distinctionem potentiæ, vt patet in intellectu, & voluntate quorum obiectum est omne ens, & quia sub ratione veri attingitur ab intellectu, & sub ratione boni à voluntate, sequitur esse diuersas potentias, modo autem sensus imaginationis, & sensus communis attingunt obiecta externa sensibilia sub ratione sensata, & æstimatiua cum memoria sub ratione insensata; imaginatio autem sub diuersa ratione sensata ab ea sub qua procedit sensus communis, & memoria etiam sub diuersa ratione insensata ab ea sub qua procedit æstimatiua, vt ostensum est, ergo ratio opposita nullius roboris est.

15 Arg. 3. probando duos tantum esse sensus internos, Arist. in præsenti solum meminit sensus communis, & phantasiæ, ergo. Si dicas text. 153. meminisse etiam æstimatiuæ, & in paruis natural. memoriæ. Con. est quia l. de memor. ponit illam in eodem organo cum imaginatione, ergo, §. Resp. solutionem datam esse optimam. Ad impugnationem dico Aristot. solum accommodasse imaginationi memoriam rerum sensatarum, non autem, quæ est de insensatis, quia sic ex D. Thom. residet in posteriori parte cerebri, & licet imaginatiua formet quod in re non est, vt mons aureus tamen sub ratione sensata quod non facit æstimatiua, siquidem hæc etiam quod in re est apprehendit, sed modo insensato, sub ratione scilicet conuenientis, vel noxij respectu naturæ, & sic est motiuum etiam hanc distinguendi ab illa.

Arg. 4. ad probandum tres tantum esse sensus internos, scilicet sensus communis, phantasia, memoria. In cerebro solum dantur tres cauitates, alia supra frontem, alia in medio, alia in occipitio, seu posteriori parte: sed illæ cauitates, sunt cellæ & vasa sensuum internorum, ergo tãtum sunt tres iam numerati sensus interni, §. Resp. quod sicut in lingua est tactus, & gustus ratione diuersi tẽperamenti, sic in anteriori parte capitis est sensus communis & phantasia in duplici quasi spelunca penè imperceptibili, vel si hoc non admittis in medio capitis eas poteris collocare: præterquã isti sensus non sunt in cauitatibus, sed in partibus residentibus in illis, aut iuxta illas, cum diuersa organizatione, & temperamento, quod non facilè visus percipit, nec anathomia discernit.

16 Arg. 5. in fauorem constituentium quinque sensus internos.

nos. Phantasia, qua fingimus mõstra, & montes aureos ab imaginatione, & æstimatiua distinguẽda est, ergo dantur quinque sensus interni: prob. ant. Illud esse fictũ obiectiuè diuersum obiectum est ab eo quod secundum sensum imaginamur, neque potest habere pro motiuo sensum, sed nec est, quod æstimamus, quia non repræsentat rem, vt conuenientem, aut disconuenientem naturæ, ergo specificat diuersam potentiam ab imaginatiua & æstimatiua, §. Resp. non esse diuersum obiectum, quia per species sensus solum eas coniungendo formatur mons aureus.

16 Denique ad persuadendam sententiam asserentium sex in homine dari sensus internos distinguendo reminiscentiam à memoria, & cogitatiuam ab æstimatiua arg. 6. Magis distat reminisci à memoria, & cogitare ab æstimatione, quàm æstimatio ab imaginatione, ergo si æstimatiua est distinctus sensus ab imaginatione etiã reminiscentia, & cogitatiua erunt diuersæ potentiæ ab æstimatiua, & memoria; prob. ant. Reminisci, & cogitare est cognoscere discursiuè, & per medium, sed hoc magis distat à simplici memoria, aut æstimatione, quam cognoscere sensatè, aut insensatè: ergo Confir. eò probat, Arist. & D. Thom. hic text. 156. imaginationem distingui à sensu communi, quia sunt aliqua animalia sine imaginatione, vt apes, sed nullum animal præter hominem habet cogitatiuam, & reminiscentiam, ergo cogitatiua, & reminiscentia distinguuntur ab æstimatiua, & memoria. Denique aliquid habet essentialiter reminiscentia, & cogitatiua; quod non habent memoria & æstimatiua, quia pẽdet essentialiter à ratione, ergo in ratione sensus essentialiter distinguntur ille sensus à memoria, & æstimatiua.

18 Resp. cum D. Thom. 1. p. quæst. 78. art. 4. ad 5. negando maiorem, ad probat. dico quod memoria, & æstimatiua non ex proprijs sed ex cõiunctione ad rationem, habet discurrere, & ideo non est necessaria distinctio, at æstimatiua ex se habet attingere obiectum insensatum, quod non habet imaginatio, & ideo distinguuntur; imò discurrere dum sit circa idem obiectum non facit potentiam distinctam in intellectu, cum tamen hoc habere diuersum obiectum, quale est sensatum & insensatum necessariò distinguat potentias. Ad confir. resp. quod cum discursus in memoria, & æstimatione non fiat ex proprijs illarum potentiarum, sed ex coniunctione ad naturam rationalem non habere discursum in alijs animalibus non arguit distinctionẽ potentiarum: sed tantum, non cõiunctionem, at imaginatio, habet ex proprijs, quod non habet sensus communis in formica, & ideo arguit distinctionem inter imaginatiuam, & sensum communem.

Ad

Ad vlt. quod ea diuersa ratio essentialis quam important reminiscentia, & cogitatiua non est formalis in ordine ad diuersum obiectum, sed materialis in ordine ad subiectum, sicut intellectum humanum esse discursiuum, & Angelicum non esse discursiuum: vnde sicut istæ differentiæ non arguunt intellectum Angelicum, & humanum specie distingui, in sententia satis probabili Scoti, & plurium Thomistarum, sic similiter pendere à ratione, & participare discursum, non arguit specificam diuersitatem in ratione sensus inter memoriam, & æstimatiuam repertam in brutis, & reminiscētiam, & cogitatiuam repertam in homine.

## QVAESTIO LXXIX.

*An omnes, & singuli sensus interni reperiantur in quolibet animali, & an in corde, vel in cerebro resideant.*

1 Dicendum est 1. In singulis animantibus residet sensus communis, Prob. Nullum est animal quod saltim non habeat tactum, & gustum, ergo nullum est in quo non sit sensus communis ant. quod 1. p. est Aristot. hoc lib. 3. à text. 62. & seqq. & D. Thom. 2. de anim. lect. 3. quo ad 2. vero est D. Thom. hic l. 3. Conseq. prob. sic. Sensus communis institutus est à natura, vt iudicet inter obiecta, & sensationes sensuum externorum, & eorum differentias percipiat, sed dato duplici sensu in quolibet animali datur obiectum sensus communis id est discrimen iudicabile inter vnum, & alterum obiectum, at data possibilitate, & existentia obiecti in natura debet etiam cōcedi potentia in subiecto capaci, ergo in quolibet animali debet concedi sensus communis.

2 Dicendum 2. In omni animali, est imaginatio aliqua saltim indeterminata, id est, indistincta à sensu communi, licet nō omnia habeant phantasiam, quæ in absentia faciat aliquid apparere. Hęc conclusio certa est, & manifesta in Aristot. hoc l. 3. text. 156. & text. 56. & ratio probat, quia omne animal habet aliquem appetitum, & motum à se progressiuū, vel contractionis, & dilationis, dolorem etiam, & delectationem, ergo aliquam imaginationem, & æstimationem, conuenientis, aut dissoni, æstimatio enim supponit imaginationem, sed cum Aristot. primo loco inde probat imaginationē distingui a sensu in actu, quia non in omni animali est immaginatio, aut phantasia determinata videtur ex consequenti sentire quod imaginatio confusa, & similiter æstimatio indeterminata non sit distincta à sensu communi.

4 Dicendum 3. In illis animantibus imperfectis in quibus non est phantasia determinata, qualia sunt ostreæ, & conchiliæ, mul-

mulcæ, vespæ, & apes, & vermes, nec esse memoriam, quia hæc est de absenti, & ea animalia, nec de futuris, nec de præteritis æstimãt sed solum de presentibus, vt locis relatis docent Arist. & D. Thom. 1. Meth. cap. 1.

4 Dicendum 4. Licet omnes sensus interni radicaliter sint in corde, tamen proximè, & tanquã in proximo sensorio sunt in cerebro. Prob. concl. In corde, est primum principium motus, & sensus, vnde ex anathomia constat arterias, & musculos ex ipso ramificari ad cerebrum, ergo prima radix sensus interni in corde est. Quod autem in cerebro eliciantur, actus sensationis internæ ferè experientia nostra constat, ibi enim sentimus imaginationes, & visiones, & phantasias capitis nostri, & læso capite, læduntur potentiæ internæ, vnde si non sit læsum cor, nec febris molestet nos. Sic autem Dam. c. 7. dicitur: *Somnium tuum, & visiones capitis ius huiusmodi sunt.* Vbi hoc satis apertè insinuatur, quia phantasiæ est somniare, & visiones quasdã re præsentare, vt ait Arist. text. 156. constat etiam, quia ex assiduo studio caput fatigatur, & læditur, & ipsi non cordi medicamenta applicantur, & cellulæ illæ in cerebro existentes, & nerui sensuum externorum in cerebro terminatæ arguunt inde accipere actionem sensus communis, qui à sensu externo in actu constituto mouetur.

5 Sed con. tres priores concluſ. arg. 1. In quibusdam animalibus non datur sensus tactus; ergo nec gustus, qui est quidam tactus; sed negato tactu, & gustu cæteri sensus negãdi sunt: ergo ex cõsequenti negari debet sensus communis, prob. antec. quibusdam deficit sensus visus, ergo & sensus tactus potest deficere. Prob. conseq. sensus visus est prior sensus tactus, vt ait D. Tho. cum Arist. 1. Meth. lect. 1. sed remoto priori, potest sub sequẽs remoueri, & hac ratione cõcedit Arist. quod remoto tactu cæteri sensus remoueri possunt, quia est prior illis, ergo si secundum D. Tho. visus est prior tactu, remoto visu, & tactus poterit remoueri. Præterea animalia imperfecta affixa saxis, quę Græci, Zoophita vocant, carent omnibus sensibus, visus scilicet, & auditus, & odoratus, quia carent organis aptis ad horum sensuum functiones, ne alimenta distantia, percipiunt, sed solum coniuncta: nec mouentur progressiuè, & insuper carere sensu gustus, docet Arist. 1. de somno, & vigilia cap. 2. ergo etiam sensu communi sunt orbata, §. Resp. quod ex carentia visus non colligitur tactus negatio, vt patet experientia in hominibus à natiuitate cæcis, qui potius tactu præstant, nec posse animal cõsistere sine tactu late docet Arist. lib. 2. de anim. cap. 11. Cum vero docet D. Thom. visum esse prior ẽ tactu de ordine perfectionis dicet, nõ autem de prioritate ne-

necessitatis, sic enim docet ibidem esse simpliciter necessarium tactum, §. Ad conf. resp. quod illa animalia, quæ Zoophita id est plãta animalia vocantur, quia fixa sunt scopulis, sicut plantæ habeãt gustum confitmat Aristot. lib. 1. de generat. animal. cap. 10. quia gustus est per se necessarius ad sumendum alimentum; nec animalia, quemlibet cibum percipiunt, sed ibi tantum accómodatum, vt obseruauit Plin. lib. 10. natural. hist. cap. 71. vnde cum Arist. videtur his negasse gustum, loquitur de gustu perfecto, non de imperfecto, nam sicut ipse docet, gustabile dicitur, quod insipidum est, vel parum saporis habet, vt affirmat hoc lib. 2. cap. 11. sic etiam ingustans, seu impos gustus dicitur ab eodem, quod habet imperfectissimum gustum inter cætera animantia.

6 Arg. 2. con. 2. & 3. concluf. Animalia imperfectissima qualia sunt lacertæ viso homine fugiunt, ergo per species insensatas apprehendunt aliquid, vt nociuum naturæ, ergo est æstimatiua, & non solum immaginatio in animalibus imperfectis. Tum etiam formicæ ad suas foueas tedeunt onustæ frumento, & apes ad alueria florem suum, & aquam portantes, ergo in animalibus imperfectis memoria est, §. Resp. ea animalia effugere ab homine absque iudicio per modum instinctus per phãtasiam illã indeterminatam actæ à natura, non verò in particulari discernendo: qua etiam ratione formicæ, & apes ad priorem locum regrediũtur; sed tamen quia non cognoscunt interne, nisi quod præsens est, & conueniens gustui, aut tactui, sensus communis sufficit in animalibus, quæ non mouentur motu progressiuo ad appetitum, quia æstimatiua plus habet scilicet, ea quæ naturæ sunt congrua, aut dissona proponere, & ideo in illis animalibus sufficit sensus communis, quia solum ad præsentia sensata sensu externo terminetur. In alijs autem animantibus, quæ motu progressiuo mouentur, aliqua æstimatiua, & memoria imperfecta concedi potest, quæ sit indistincta à phantasia, & imaginatione, quia modo imaginatiuo; & solum quasi ex instinctu, non autem per iudicium proprium mouentur cognita cõuenientia, ad naturam, aut discõuenientia ad illam. Vide D. Th. hic text. 156.

7 Arg. 3. ad probandum in corde esse sensus internos, tamquam in proprio organo, & sensorio. Ibi est primum principium motus, & sensus: ideoque prius formatur quàm cerebrum, & eo formato consistit animal viuens vita animali; ergo ibi sunt organa sensuum etiam internorum, quibus constat vita sensitiua præcipuè, §. Resp. in corde esse primum principium vitæ: sed non omnia instrumenta vitæ, hæc enim quo ad sensus internos sunt in cerebro, & ideo licet prius formetur cor,

&

& viuat animal, motu respirationis, & pulsationis, & vigeat sensu tactus, tamen donec formetur cerebrum, nec perfectè sentit, nec habet sensus internos; natura enim & ab imperfectiori vita exordium sumit, & ab imperfecto ad perfectum procedit.

## QVÆSTIO LXXX.

*Quibus speciebus vtantur sensus interni, & an ad eas causandas sit constituendus sensus internus agens.*

1 DIcendum est 1. Species quibus informati sensus interni eliciunt suas sensationes distinctæ sunt ab illis, quibus vtuntur sensus externi. Prob. Sensus interni perfectiores sunt sensibus externis in linea cognoscitiua, ergo vniuersaliores, ergo vniuersalioribus & perfectioribus speciebus informãtur, ergo diuersis, hac enim ratione probat D. T. 1. p. q. 65. art. 3. Angelos quo perfectiores sũt in sua entitate informari speciebus vniuersalioribus in repræsentando & perfectioribus in entitate. Præterea potentia cognoscitiua actu completur in ratione principij cognoscitiui quatenus intrinsicè informatur forma obiecti siue materia quod est idem, ac informari intrinsicè specie obiecti, at vna, & eadem forma non potest intrinsicè informare potentias entitatiue diuersas, ergo species sensuum internorum distinctæ sunt ab illis quibus informatur sensus exterior.

2 Dicendum 2. In æstimatiua, & memoria constituendæ sunt species insensatæ distinctæ à speciebus sensatis, & sensatas dico, quæ repræsentant obiectum vt sensatum à sensibus externis, licet modo perfectiori repræsentent illud in sensu interno: insensatas autem quæ repræsentant obiectum non sensatum sensu externo, vt est inimicitia lupi ad ouem qua obiecta, & repræsentata in æstimatiua ouis statim fugit, & etiam recordatur eius postquam est absens periculum, & tremit, seu fugit à loco quo vidit lupum, aut eam canis fugit a loco, quo flagris fuerit affectus. Sic contra Suarez, lib. 3. de anim. cap. 30. tenent communiter Thomistæ cum D. Thom. 1. p. quæst. 78. art. 4. & prob. Species est naturalis similitudo obiecti adæquata illi, ergo species repræsentans obiectum sensatum, non potest esse species insensata, sicut nec species equi potest esse similitudo canis, ergo cum æstimatiua, & memoria attingant, obiecta insensata egent speciebus insensatis, quæ sunt diuersæ à speciebus sensatis. Præterea, Ratio boni, & conuenientis non solum sensibus, sed naturæ, similiter ratio mali, & nocui mouet appetitum sensitiuum, non quatenus hoc repræsentant sensus externi, aut sensus communis, & phantasia, sed quatenus æstimati-

ua hac percipit, quia sine æstimatione non mouetur appetitus ad prosequutionem, aut fugam, vt hic docet Arist. ergo illa conuenientia, aut disconuenientia expressè debet repræsentari, & non per speciem sensatam alias sensus externi, aut sensus communis, aut phantasia, mouerent appetitum, & illum regularent, quod est contra Arist. ibidem, ergo præter species sensatas concedendæ sunt species insensatæ in æstimatiuæ, & memoria.

3 Dicendum 3. Non datur sensus agens internus ad producendas species sensuum internorum, seu sensatas, seu insensatas, sed tales species imprimuntur in sensibus internis virtute exterioris obiecti sensibiles. Sic manifestè Arist. 2. de anim. text. 60. vbi assignando discrimen inter sensationem, & intellectionem quod in eo docet consistere, quod actiua sensus, etiam interni ad extra sũt, quia omnes sensus singularium sunt; actiuum, vero intellectus ad intra debet esse quia intellectus vniuersalium est, sed actiuum potentiæ cognoscitiuæ est agens causa specierum: ergo sentit Arist. nõ dari sensum agentem etiam internum, sed cuiuslibet sensus interni, prout ab intellectu distincti, esse obiectum singulare, quod est ad extra. Sic etiam D. Thom. ibi ad illum textum lect. 12. & p. p. quæst. 85. & 79. art. 3. & communiter Thomistæ recentiores agẽdo de sensu interno.

4 Prob. concl. Obiecta externa sunt sensibilia singularia, & corporea, ergo possunt causare speciem cuiuslibet sensus, quia sensibile proprium cuiuslibet sensus interni, etiam æstimatiuæ est intra hoc genus. & obiectum, cum sit ex se mensura eminens, & perfecta ad omnia, quæ sunt sui generis causanda, sufficiens est, quia primum, & mensura, est causa eorum quę sunt eiusdem generis, ergo sufficiente obiecto ad causandas eas species relegauda est additio sensus interni agentis, tamquam superflui, quia natura horret superflua; tario autem ob quam ponitur intellectus agẽs cessat, quia obiectum ad extra non est in genere rei vniuersalis, & immaterialis, & ideo nequi causare species intellectuales, & hac de causa natura quæ non deficit in necessarijs superaddidit intellectum agentem.

5 Si autem inquiras, quomodo obiecta externa sensibilia immittant specie insensatas. Resp. non immittere eas immediatè, sed mediatè, primò enim obiectũ immittit immediatè speciem in sensum externum (& hoc virtute cælorum, ex qua obiectum materiale immaterialiter immutat.) Deinde ea species semel sensata à sensu externo virtutem habet ab obiecto participante virtutem à cælo ad multiplicandum speciem perfectiorem in sensum communem, & supposita sensatione sensus communis habet virtutem ad mul-

multiplicandam ſpeciem perfectiorem in phantaſiam, & ſuppoſita ſenſatione phantaſiæ ad multiplacandam ſpeciem inſenſatam in æſtimatiuam, & facta æſtimatione multiplicatur alia ſpecies reſernanda in memoria, quod habet fundamentum in D. Tho. 2. cont. gẽt. c. 76. vbi ait quod: *Senſus externus motus à ſenſibili exteriori imprimit in phantaſiam.* Vbi mẽs D. Tho. non eſt quod ſenſus ipſe ſit cauſa agens principaliter, ſed quaſi miniſterialis, nam obiectum ipſum externum miniſterio ſenſuũ internorum multiplicare ſpecies in ſenſibus internis ſuo ordine docet D. Tho. quodlib. 8. art. 3. & 4. cont. gent. cap. 11. vbi ait quod *Senſibile exterius formam ſuam exterioribus ſenſibus ingerit à quibus procedit in imaginationem, & vlterius in memoriæ theſaurum*, (frequens autẽ eſſe in phraſi Ariſtot. & D. Thom. nomine imaginationis, & phantaſiæ vſurpare etiã æſtimatiuam ex ſæpius repetitis in hoc tractatu liquet.

6 Nec per ea quæ dixi intẽdo negare, quod ſicut phataſia poteſt elicere tertiam ſpeciem montis aurei, ex ſpeciebus montis, & auri non poſsit imaginatiua elicere tertias ſpecies inſenſatas; ſed mens eſt ſolum oſtendere quomodo prima ſpecies horum ſenſuum internorum abſque miniſterio ſenſus agentis cauſentur mediatẽ ab ipſis obiectis, licet ſenſatio ſenſus immediatẽ inferioris requiratur, aut tanquam conditio, aut tanquam inſtrũmentum obiecti externi, & ſicut virtute cœli cauſat immaterialiter ſpeciem ſenſus externi, ita etiam etſi ſit ſenſibile cauſat ſpecies inſenſatas eadẽ virtute, nam licet tales ſpecies inſenſatæ ſint reſpectu ſenſus inferioris, ſunt tamen ſenſatæ, & ſenſibiles à ſenſu ſuperiori, & cauſantur ab obiecto, vt ſenſibile eſt non quidem à potentia ſenſitiua inferiori; ſed prout eſt ſenſibile à ſenſu ſuperiori, qualis eſt æſtimatiua.

7 Con. 1. concl. vix aliquid, quod difficultatem ingerat obijci poterit. Cont. 2. arg. 1. Ouis fugit à lupo, vt ſenſato, ſeu cognito per ſenſus inferiores, & fugit per modum inſtinctus, vt ait D. Tho. in 3. diſt. 26. quæſt. 1. art. 1. ad 4. ergo per ſpecies ſenſatas. Tum quia obiectum ſenſibile in ſe non habet ipſam inimicitiam ouis ad lupum, ſed agit per modum naturæ repræſentando lupum, aut ouem ſicut in ſe eſt: ſic enim ſe præſentat ſenſui, & ſic mouet, ergo non poteſt cauſare ſpeciem inſenſatam ſui alioquin in omni æſtimatiua repræſentaret eam inimicitiã, & ſic vnus lupus cognoſcens alterum fugeret ab eo. ℣. Reſp. quod inſtinctus cum ſit cognitio ad quam monetur cognoſcens à Deo ſupponit ſpecies, & ideo licet ouis per inſtinctũ Dei Auctoris ſuæ naturæ cognoſcat lupũ, vt fugibilem, hoc non tollit quin per ſpecies inſenſatas exerceat inſtinctum, etiamſi non per compoſitionẽ, aut diſcurſum cognoſcat lupũ,

vt inimicum, sed per instinctum. Ad 2. Resp. quod obiectum non causat species insensatas immediatè, sed mediante sensu cõmuni, & imaginatione, & ideo non in quacumque æstimatiua causat speciẽ lupi, vt repræsentatiuam inimicitiæ, sed solum in oue, aut in alijs quibus noxius est lupus, quia ibi solũ est natura cognoscentis contraria lupo.

8 Con. 3. concl. arg. 1. ex D. Thom. in 3. distin. 26. q. 1. art. 1. ad 4. Asserente quod. *Bruta per instinctum Dei cognoscunt conuenientia & nociua suæ naturæ*, & q. 18. de verit. art. 7. ad 7. quod huiusmodi. *Aestimationem à principio accipiunt, vel ad præsentiam conuenientis, & nociui.* Sed hoc non potest verificari de potentia æstimatiua, quia hanc tàm homo, quam bruta habent à Deo principio suæ generationis, & per consequens non assignaret, ibi Diu. Thom. discrimen inter bruta, & homines, nec de actu æstimationis, quia hic nõ est à principio, sed solum ad præsentiam nociui, aut conuenientis; sequitur ergo loqui de ipsis speciebus insensatis, ℣. Cõfirm. species illæ insensatæ nõ immittuntur ab obiectis ad extra in æstimationem, neq; causantur à sensu interno agente, ergo à Deo causantur, conseq. videtur bona, antec. quoad 2. partem à nobis admittitur, quoad 1. vero prob. quia obiectum non mouet sensum internum, nisi quatenus mouet externum, & illi imprimit speciem, sed rationes insensatæ non percipiuntur à sensu externo, neque illi repræsentãtur: ergo species immissæ ab obiecto non possunt ex virtute obiecti causare species insensatas in æstimatiua. Resp. mentem Diu. Tho. in eo sistere quod bruta per instinctum, & absque proprio discursu percipiunt rationem conuenientis, & nociui in rebus sensibilibus, & hoc siue in principio, siue ad præsentiam obiecti, quia à principio habent æstimatiuam, quæ solum per instinctum Dei fit cognoscitiua rationis insensatæ, quam exercet ad præsentiam obiecti, homo autem per discursum, hoc præstat, quia æstimatiua ex coniunctione ad rationem discursiua est: sed vterque modus cognoscẽdi species supponit immissas ab obiectis per sensus externos, qui licet nequeant cognoscere rationes insensatas, tamen cum specie recipiunt virtutẽ ab obiecto, vt causent species in sensibus internis, vt dictum est, & sic species sensuum externorum formaliter repræsentant obiecta secundum rationem sensatam, & causaliter, & virtualiter possunt multiplicare species in sensibus internis, quæ formaliter repræsentent illis, tanquam subiectis capacibus rationes insensatas.

10 Arg. 2. ad probandum sensum internum æstimatiuæ per speciem sensatam cognoscere rationes insensatas, nam ouis rationem nocumenti cognoscendo lupum percipit, & non abstractè, ergo per

per ſpeciem lupi, quæ ſenſata eſt. Tum etiam auis ante quã ſit præſens pluui fugit ad nidum, & idem de alijs animantibus præſentientibus mutationes temporum; ergo per ſpecies rei præſentis quam percipit ſenſu externo, percipit rationem inſenſatam mali imminentis, nam quod non eſt non poteſt habere ſpeciẽ verẽ, & propriẽ ſenſibilem. §. Rel. quod licet alij ſenſus cognoſcant lupum eiuſque accidentia, colorem ſcilicet formã, & ſitum directẽ, & formaliter; tamen æſtimatiua ouis hæc attingit de materiali, quatenus in his ſubiectatur, quod ſuæ naturæ noxiũ eſt, ideoque non ſufficit ſpecies ſenſata, ſed requiritur inſenſata, quia ſpecies habet eſſe talis quale eius dicit formam, ſeu formalem rationem obiecti repræſentanti, non vero ſecundum quod dicit de materiali, & ideo ſicut ad hoc in eſſe phiſico vnum animal ſit diſtinctum ab alio, ſufficit diuerſitas formæ quamuis ſit eadem materia, ſic ſimiliter, vt ſpecies ſit diuerſa ſecundum eſſe intentionale, & repræſentatiuum, ſufficit rationem formalem repræſentatam eſſe diuerſam. Ad 2. dico ouẽ, tunc moueri ab obiecto ſingulari ſenſibili, vt actu habet v. gr. aer aliquod nocium naturæ illius, & hoc percipere actu non autem pluuiam imminentem, ſed ſolum nocumẽtum actuale; ſed hoc non percipit æſtimatiua per ſpeciem inſenſatam, quia tamen illud præſens nocumentum, & cauſa pluuiæ, aut habet cõnexionem nẽceſſariam cum illa homines coniectantur futurã pluuiam vidẽdo illos motus auiũ, & animalium, & inde coniectantur effectum futurum, tanquam ex cauſa, aut ſigno.

11 Arg. 3. ad probandum dari ſenſum internum agentem. Si non datur ſenſus internus agens, ſed a ſenſu externo mittitur ſpecies impreſſa in ſenſum internum; ergo cum quis pede tãgit aliquid à pede mittitur ſpecies in cerebrũ vbi viget communis ſenſus, ergo prius toto corpore ſentitur illa ractio, nam toto corpore diffunditur ſpecies, ergo ſine contingentia phiſica, ſentitur corpus extraneum, quod eſt ſub pede, quod eſt impoſsibile, §. Cõf. 1. Patientes extaſi ſentiunt acus punctura, & tamen tunc non fit ſenſatio in ſenſu interno, qui abſtractus, & abſolutus eſt, ergo ſenſus externi non mittunt ſpeciem in ſenſum internum, quatenus mouentur ab obiecto externo ad ſenſationem, §. Conf. 2. Senſatio externa non eſt productiua termini extra ſuã potentiam, cum ſit actio immanens, ergo non producit ſpeciem in ſenſum internum, vel ſi producit, non eſt ratio, cur ſicut ſpecies ſenſus externi pendet in fieri, & conſeruari à ſenſibili externo, nõ pendeat ſpecies interna in fieri, & conſeruari, à ſenſatione externa. §. Confir. 3. Senſus interni ſunt magis immateriales, & abſtracti, quàm externi, ergo petunt magis abſtractas ſpecies, ergo ſicut in-

tellectus petit species magis abstractas, quam sint species sensibiles, & petit intellectum agentem abstrahentem speciem à sensibus, etiam internis, sic etiam sensus interni exigunt sensum agentem abstrahentem species à sensibus externis, §. Rei. negata sequela, quia species illa, quæ diffunditur per nervum à pede in cerebrum in eo casu non est in illo nervo tamquã in organo, sed tamquam in medio cuius non est sentire, sicut nec aer videt, etiam si fit in illo species visibilis, quia est in illo tanquam in medio, non tanquam in organo, & non est tunc species in illo nervo, tamquam in organo, quia species illa est superioris ordinis, vtpote propria sensus communis. §. Ad 1. confir. resp. quod in extasi, nec sensus externi sentiunt, & dato, quod sentiant, non imprimunt speciẽ in sensus internos, quia pro tunc non sunt dispositi, sed absorpti, sicut et si obiectum sit præsens si fit in dispositos sensus externus non imprimit ibi speciem sui, §. Ad 2. quod sensatio non causat speciem, sed species sensationis externæ posita sensatione, vt conditione eam multiplicat in sensu interno, non virtute sui, sed obiecti, & dato quod sensatio eam causet, cum hæc causatio nõ sit physica, sed intentionalis, non impedit quia sensatio sit actio immanens; ratio autem cur species interna non pendeat in conservari à sensatione externa sicut hæc pender ab obiecto externo, ea est, quia immaterialior est, sicut & sensus internus immaterialior est, & ideo non pendet ab existentia physica causæ, §. Ad 3. dico inde non sequi ponendum esse sensum internum agentem, quia ea immaterialitas non est in diuerso genere, sicut immaterialitas speciei intelligibilis, ideoque ab externo obiecto potest causari, sine indigentia sensus interni, vt iam ostensum est, & hoc potest habere tale obiectum virtute Cœli, licet ex eo non habeat virtutem ad causandam speciem in intellectu, quia ea virtus corporea est. Alia argumenta, facile ex dictis dilui poterunt.

## QVAESTIO LXXXI.

*An sensus interni sint reflexiuè cognoscitiui suarum operationum, an componant, & diuidant, & an solum obiectum præsens attingant?*

1 QVod reflexione late sumpta sensus communis reflectatur supra sensationes sensuum externorum, & de eis iudicet, & per consequens cum alij sensus interni perfectiores, & vniuersaliores sint nequeat denegari huiusmodi reflexio sensuum superiorum supra sensationes inferiorum sensuum, res certa debet esse, ex doctr. Arist. lib. 3. de anim. ca. 1. & 2. & ex D. Tho. ibid. Certũ etiam debet esse, quod si reflexio sumat-

sumatur strictissimè, quatenus per vnum, & eundem actum signatè, & non solum exercitè, cognoscitur non solum obiectum, sed etiam ipsa cognitio per seipsam tunc nō potest concedi reflexio huiusmodi in sensibus internis, hæc enim reflexio vix concedi potest intellectui, & hoc non nisi de potentia Dei absoluta, & ideo dicit Diu. Thom. 4. contr. gent. ca. 11. *Non enim aliqua potentia sensitiua in seipsam reflectitur*, qui etiam est videndus in 3. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 1. Tertius modus reflexionis est medius, inter hæc externa, quando potentia per diuersum actum cognoscit alterum actū, hic enim verificatur dari notitiam in illo, quæ sit conceptus alterius cōceptus, & de hoc inquirimus in titulo præsentis quæstionis.

2 Dicendum est. 1. Nullus sensus internus gaudet reflexione hoc tertio modo sumpta. Sic D. Thom. 2. cont. gent. c. 26. & alibi Prob. ergo concl. rat. eius in 3. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 3. Si ea reflexiua cognitio contingere posset in sensu interno per aliquod medium fieri necessariū esset, ad hoc est impossibile, si quidem illud foret organum ipsum sensus interni, quod tantum pati intētionaliter natum est ab obiecto sensibili; nō à cognitione eiusdem potentiæ, ergo non est dabilis talis reflexio, §. Cont. obiectum motiuum potē tiæ sensitiuæ limitatæ, & corporeæ debet esse aliquid corporeū, & limitatum ad sensibile, quod est ad extra, vel ad aliquam rationē in eo repertam; ergo nulla sensatio potest habere pro obiecto signato ipsam cognitionem internā, quæ neq; corpus ad extra est, neq; afficit vllo modo sensibile externum, etiam insensatē; quod & cōstat, quia sicut cognitio sensus cōmunis fit seu originatur a motu sensationis externæ facto in ipsum ita cognitio phantasiæ fit à motu sensus communis, facto in ipsam, & cognitio æstimatiuæ à motu phā tasiæ; sed reflexio huiusmodi non posset originari ex motu potentię inferioris, sed à motu sui ipsius ergo nō debet admitti in sensibus internis alioqui non penderent ab obiectis ad extra, contra Arist. hic lib. 2.

3 Dicendum est 2. Sensus interni ex text. 60. se non cōponunt, nec diuidunt, nec habent propriè iudicium de suo obiecto, neq; discurrunt, sed solum apprehendunt sua obiecta, quod si iudicare dicū tur tale iudicium communiter sumitur pro percipere suum obiectum, non autem pro hoc, quod est attribuere vnum alteri, solumque conceditur imperfectum iudiciū, & discursus in cogitatiua, & reminiscentia hominus propter intimam coniunctionem cum intellectu. Sic Diu. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 7. Caiet. & Baun. ibid. Prob. concl. Non est compositio, & iudicium, nisi cognoscatur proportio vnius ad alterum formaliter, & per cōsequens nisi relatio vnius ad alterum cognoscatur

hæc autem sensibilis non est, ergo non potest cognosci per vllum sensum, ergo neque esse vera compositio, & iudicium in sensibus internis, relationem autem non esse sensibilē prob. quia est propriè obiectum tangibile ab intellectu, ℣. Conf. Si potentiæ sensitiuæ cōponerent, & diuiderent etiam possent discurrere (quod absolutè illis negatur;) non enim est maior ratio vnius, quàm alterius, si autē componerent, & discurrerent in illis potentijs esset vnitas formalis, quod solum intellectui concedit Arist. 1. Perhierem. & Diu. Thom. 1. p. q. 16. art. 2. & ibi cōmuniter interpretes.

3 Dicendum est 3. Aliquibus sensibus internis concedenda est cognitio non solum rei præsentis, sed etiā futuræ, & præteritæ. Constat hoc ex memoria, quæ est de præteritis, & in phantasia, quam benè retinere species in absentia sensibilis externi docet Aristot. & hac etiam ratione distinguit a sensu cōmuni. Patet etiam, quia æstimatiua regulat in appetitu sensitiuo actū desiderij, & timoris circa futura, & actum iustitiæ circa bonum præteritū amissum, quod facere non posset, nisi proponeret rationem boni, aut mali præteriti, aut futuri. Et denique quia Arist. hic & D. Thom. aliquam prouidentiam imperfectam brutis concedunt circa futura.

4 Con. 1. conc. arg. 1. Intellectus reflectitur supra suos actus, ergo sensus internus, nā discrimen non versatur, nisi in eo, quod intellectus cognoscit vniuersalia, sensus autem singularia. Tum etiā appetitus sensitiuus, & sunt potentia materialis reflectitur supra suos actus, si quidem gaudet, & delectatur de aliqua possessione boni sensibilis: ergo, & sensus internus, nam si aliquid obstaret esset materialitas sensus; sed hæc non obstat reflexioni in appetitu, ergo neque in sensu, ℣. Rel. negata cōseq. quia sensus cognoscere nequit nisi ratione obiecti sensibilis, quod cognoscit, *vt quod*, & cum ille actus non sit sensibilis, vt quod non potest terminare reflexionem, obiectum autem intellectus est ens, quæ ratio in quolibet eius actu inuenitur: & similiter in actu appetitus sensitiui reperitur ratio boni, & delectabilis, *vt quod*, & ideo potest actus appetitus terminare reflexionem, at actus sensus interni non habet rationem sensibilis ad extra, neque cōsequuti ad sensibile externū, & ideo non potest sentiri, vt quod, neque terminare sensationem eiusdem potentiæ quamuis posset dici, quòd appetitus sensitiuus non habet reflexionem per actum distinctum, sed solum exercitam perceptionem sui actus ratione obiecti possessi, & sic participari appetitum, & sensum internum.

5 Cont. 2. conc. arg. 2. Sensus communis iudicat inter album, & dulce, & inter sensationes actuum externorum, ergo componit. Tum etiam in brutis est prouidentia

uidentia iuxta illud: *Vade ad formicam, ò piger.* Sed vbi est prouidentia est aliquod iudicium, & cõpositio, ergo, ℈. Respond, sensum communem iudicare de obiectis sensationibus, sensuum internorum, per modum apprehensionis, & iudicij exerciti, quatenus habet rationem vniuersaliorem pro obiecto sub qua plura illa possunt adunari; sicut cum visus in vna pictura iudicat hoc modo inter viride, & album, & obscurum absque compositione tamen. Ad 2. quod illæ prouidentia est per modum instinctus in brutis, sicut etiam ex instinctu apprehendunt, quod est nociuum, aut congruum suæ naturæ apprehendendo tamen, non vero iudicando, & componendo.

6 Con. 3. concluſ. argum. 3. Præteritum, & futurum sunt differentiæ temporis, ergo in ratione talium constituuntur aliquo rationis; sed ens rationis non est obiectum sensibile, ergo sensus interni non cognoscunt obiectum, vt præteritum, & futurum, ℈. Resp. instando. Præsens etiam tempus est differentia temporis, & tamen aliquid cognoscitur, vt præsens à sensibus internis, ergo instatur argumentum: vnde quòd dicent. Ad uersarij huiusmodi instantiæ, scilicet sensum internum non cognoscere præsens, vt est differentia temporis in se, sed res quæ subsiant illi præsentiæ, dicent etiam quod sensus internus non cognoscit præteritum, & futurum, vt sunt differentiæ temporis, & cõplentur aliquo rationis, sed res quæ subsiant illis differentijs, & vt subsiant specificatiuè, & quatenus duratio rei intrinseca est commune sensibile.

## DE SENSIBVS INTERNIS in particulari.

## QVAESTIO LXXXII.

*An detur sensus communis distinctus à sensibus alijs internis & externis, & quod nam sit eius obiectum, & de somno?*

1 SEnsus iste non dicitur communis, eo quod dicat communitatem prædicationis respectu sensuum externorum, sed quia obiectum eius commune est, & quia præsidentia, & causalitate extenditur ad omnes sensus externos. Dari sensum communem docet, & probat Arist. hic libr. 3. & alibi; comparatque illum centro ad quem omnes lineæ circuli terminantur, quatenus natura sapiens, quæ pluraliratem ad vnitatem conatur reducere omnes sensus externos voluit mouere sensum communem, & ad ipsum concurrere, tanquam ad arbitrum, & iudicem, qui valeat inter diuersa obiecta externorum sensuum, & inter eorum sensationes sententiam ferre.

2 Prob. ex doctrin. Aristot. existentia sensus communis in animalibus, quia natura non deficit

in neceſſarijs, ſed ad conſeruationem animalis præter ſenſus externos requiritur alius ſenſus qui per ſe iudicet de diſcrimine obiectorum externorum, & de ipſis ſenſationibus externis: ergo datur ſenſus communis, prob. min. vt conſeruetur animal, & apperat, quæ congruunt ad ſuam conſeruationem, neceſſe eſt diſcernere inter album, & dulce, inter vocē, & odorem, vt ad ſingula quando expedit feratur, & etiā, vt memoretur ſenſationum ipſarum externarū, quia delectatur, aut triſtatur in illis, hoc autem fieri non poteſt per ſenſus externos, qui non ſunt reflexius ſupra ſuas operationes, quique ob ſuā limitationem nequēt percipere diſcrimen inter album, & dulce; hoc enim ſuperioris ſenſus eſt, neque hoc percipi poteſt experimentaliter per intellectum qui ſolum attingit quidditates, & in irrationalibus non datur, neque per alios ſenſus internos, nam æſtimatiua, & memoria rationes inſenſatas percipiunt, & phantaſia res apparere facit, neque externa, vt externa percipit, ergo ad conſeruationem animalis neceſſarius eſt ſenſus communis, ergo datur, & exiſtit in animalibus.

3 Dicendum eſt 2. Obiectum per ſe formale, & adæquatum ſenſus communis, non eſt ſenſibile commune externum, ſed ſenſibile, vt abſtrahit à ſenſibilibus propijs, & cōmunibus, & à ſenſationibus ſenſuum externorum. Cum autem dicimus abſtrahens non eſt intelligendū de abſtractione præciſiua, & rigoroſa, ſed de ratione quadam communi, ideſt, vniuerſali, & non determinata. Et quidem quod ſenſibile commune non ſit proprium, & formale obiectum huius ſenſus docet expreſſe D. Thom. hoc lib. 1. lect. 3. & alibi. Et ratio eſt, quia iudicat de obiectis ſenſum externorum, tā proprijs, quàm cōmunibus, & de ſenſationibus ipſis, ergo ratio mouens, & ſpecificans debet eſſe cōmunior, & ſuperior ad hæc omnia, ergo abſtrahens ſuo modo à ſenſibilibus propijs, & communibus, et à ſenſationibus ſenſuum externorum.

4 Dicendum 3. Senſus communis per ſe ſolum attingit obiecta ſenſibilia præſentia, dum actu operantur ſenſus externi; per accidens tamen in phreneticis, et dormientibus, ex cōmotione ſpirituum, et participatione phantaſiæ, poteſt abſentia ſentire. Prima pars huius concluſionis eſt Caiet. lib. 2. de anim. vbi ait, quod ſenſus communis non ſine ſenſu proprio externo operatur, et Ariſt. cum D. Thom. 3. de anim. lect. 3. et 1. 2. q. 15. art. 1. docet propriū et per ſe eſſe phantaſiæ cognoſcere ſenſibilia in abſentia. Quod vero per accidens ex turbatione ſpirituum deſcendentium à phantaſia cum regreſſione aliquarum ſpecierum poſsit ſenſus communis percipere obiecta, videtur experientia conuinci poſſe, quia ſom-

nia.

niamus nos experiri, & sentiri sensationes externas, eorumque obiecta, & fiunt plures motus in corpore ipso, vnde patet eos spiritus descendere, & mouere externas partes corporis, & similiter posse mouere sensum communem; licet difficile sit percipere, quomodo si sensus communis in se non retinet species, nec eas tunc accipit à sensu externo, possit sentire, nam species quæ sunt in phantasia cum sint propriè sensus superioris, & per consequens vniuersaliores, non erunt aptæ, nec proportionatę, vt per eas cognoscat sensus communis, qui est inferior, & magis limitatus.

5 Dicendum 4. Somnus est propria passio sensus communis. Sic Aristot. libr. de somn. et vig. lect. 2. *Vtraque enim passio hæc est circa sensum primi sensitiui*, & D. Thom. ibi: *Ambo* (scilicet dormire, & vigilare.) *Sunt passiones sensus communis*. Et probat ibid. lect. 3. paulò infra. Somnus rò est passio alicuius sensus externi in particulari, alioquì possemus dormire ligato vno sensu, & vigilare alio non ligato, sed est quędā passio communis quatenus ligantur omnes sensus externi; at cōmunis passio communi sensui debet competere, ergo somnus passio est sensus communis, ꝑ. Conf. 1. Eatenus dormimus, quatenus sensus externi applicato obiecto non sentiunt v. gr. corpus tangendo non sentit rationem; sed hoc aliunde non potest prouenire, nisi quatenus sensus communis ligatus est, nec communicat spiritus sensitiuos sensui externo: ergo ꝑ. Confir. 2. Illius est somnus propria passio ad cuius vacationem, & quietem, sequitur vacatio, & quies omnium sensuum externorum, sed solum ad vacationem sensus communis sequitur vacatio omnium sensuum externorum, non vero ex eo quod vnus, aut alter sensus externus vacet, & quiescat; ergo somnus est passio sensus communis, & non alterius sensus externi particularis.

6 Cont. 1. concl. argum. 1. ex Auicen. Et si nullus sensus externus se solo possit discernere inter proprium, & alienum sensibile, ramen sentiens per omnes sensus bene potest percipere discrimen vnius sensibilis ab alio; quia sensus non sibi, sed compositio deseruiunt; ergo ad percipiendum illud discrimen non debet poni sensus communis. Confir. impossibile est, quod idem mobile simul moueatur diuersis motibus, sed si daretur sensus communis, moueretur à quolibet sensu in actu, ergo dum actu quis exerceret sensationes plurium sensuum externorum actu moueretur omninò diuersis motibus, quod est impossibile, ꝑ. Ref. cum Arist. text. 145. inde sequi necessitatem sensus communis, quia compositum non sentit, nisi per sensus, & tamen necesse habet percipere discrimen sensibilium particularium, ergo si hoc non percipit per sensus externos, ne-

cessa-

cessarium erit multiplicare sensum communem. Ad Conf. Res. cum Aristot. & D. Thom. hic text. 145. quod cum illi motus sint secundum diuersas rationes inadæquatas, nec sint formaliter contrarij optimè potest sensus cõmunis pluribus sensationibus sensuum externorum actu moueri ad iudicandum de eorum discrimine, & diuersitate.

7 Arg. 1. ad probandum quod sensibile commune externum sit proprium obiectum sensus communis interni. Quod est sensibile per se primo potest, & debet primario aliquem sensum specificare, at sensibile commune per se est sensibile, & non specificat primo aliquem sensum externum: ergo specificat sensum communem. Confir. quia Metaphisica est scientia communis iudicans de scibilibus particularibus aliarum scientiarum habet pro formali obiecto ens commune ad entia particularia, quæ specificant particulares scientias: ergo similiter obiectum sensus communis erit sensibile cõmune, quia iudicat de sensibilibus particularibus sensuum externorum, ℣. Respond. sensibile commune per se esse sensibile, sed non primo, nec per propriam speciem, ideòque nullum sensum etiam internum per se primo specificare, quia sensus communis nõ immutatur ab obiecto, nisi vt sentiato per sensum externum. Ad conf. resp. quod ens vt sic primo specificat intellectum & ideo sub illa ratione indicat metaphisica de entibus scibilibus in particulari; vt sensibile commune, non est per se primò sensibile, nec dicit rationem communem ad sensibile externum, & ad sensationes ipsas, ideò non est idem.

8 Contra 4. concluf. Arg. 3. Somnus illius debet esse passio, quod per se primò immobilitatur, & quiescit ab operatione, sed prius immobilitatur caput, & hebebantur palpebræ, quam sensus communis, vt experientia cõstat; imò inter somniandum sæpè experimur nos iudicare sensu communi tunc nos somniare, & non esse in vigilia, quod operatione sensus communis fit, ergo, ℣. Resp. quod prius natura, & causalitate hebetatus sensus communis, & cessat mittere spiritus ad sensus externos, quam sensus externi sopiantur, & ideò somnus per se primò competit sensui cõmuni, qui per se primò immobilitatur, vnde vel fit illa apparitio in imaginatiua, dum quis somniat, vel quia non est perfectè ligatus sensus communis, nec perfectè sũt ligati sensus externi, & ideo facillime sentiunt si applicentur sensibilia externa, tunc enim potius est dormitatio quam somnus.

QVAE-

## QVÆSTIO LXXXIII.

*De existentia & quidditate aliorum sensuum internorum, deque eorum subiectis, actibus, & obiectis.*

1 IMaginatio, & phantasia diuersa munera eiusdem sensus, & internas facultates explicant, absque hoc, quod sint diuersæ potentiæ realiter; dicitur enim imaginatio, quatenus illæ sensus internus, qui post sensum communem collocatur, imagines retinet sensibilium, & ex illis tertiam speciem elicere potest, vt docet D. Thom. 3. p. quæst. 78. art. 4. Phantasia autem dicitur quatenus veluti lux facit sæpe apparere, quæ latent; dari hanc potentiam diuersam à sensu communi, & ab æstimatiua certum est ab experientia actuum: imaginamur, enim terribilia aut iucunda in absentia, absque eo quod moueatur appetitus, & montes aureos fingimus: qui actus, neque sunt sensus communis, vt patet, neque æstimatiuæ, quia hæc est cum aliqua opinione, & mouet appetitum, ergo sunt actus diuersæ potentiæ, quæ phantasia, aut imaginatio dicitur, sed quia potentiæ specificãtur per obiecta, & actus, prius dicendum est de obiecto, & actibus huius potentiæ, & postea diffinietur.

2 Dicendum 1. Obiectum phantasiæ est sensibile, vt abstrahit a præsentia. Sic Arist. hic text. 160, cum ait quod *Phantasia est eorum quorum sensus est*, ergo eius obiectum sensatum est per sensus externos, & non insensatum, at non præcisse quatenus præsens, hoc enim attinet ad sensum communem, ergo vt abstrahit à præsentia.

3 Dicendum 2. Proprium munus phantasiæ est retinere species sensibilium in absentia, per hoc enim distinguit illam Arist. à sensu communi, sed præcipua operatio consistit in cognitione sensibilis absentis, quod patet, quia circa hoc tendit tanquam circa proprium obiectum potest; etiam fingere cum vult chimæras, seu tertias species, vt cum Aristot. hic tenet D. Thom. 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. & etiam habet pro actu fingere in somnia.

4 Phantasia autem secundum Aristot. hic text. 160. & D. Thom. sic diffinitur: *Motus causatus à sensu secundum actum similis ei, qui motus non est sine sensu, neque in non sentientibus.* In hoc quod dicitur esse motum explicatur ratio generica, quia omnis sensus est potentia passiua. In hoc quod dicitur à sensu secundum actum explicatur ratio differentialis, quia mouetur à sensu communi facto in actu, quatenus completur sensatio ab his externis, & sic mouetur recipiendo species, & retinendo eas, vt in absentia cognoscat, & hic est motus qui fit in facto esse; vocat autem Arist. mo-

motum passiuè quatenus recipit speciem retinendo eam; dicitur autē similis ei, ideſt sensui in actu completo sensatione sensus communis, qui iudicat de sensibus internis: vt iumentum quod phantasia habet pro obiecto ipsa sensibilia externa in singulari, vt sensata sunt, & solum addit in absentia cognoscere, aut coniungendo ea, vt cum per tertiam speciem montem aureum fingit, & sic differt ab æstimatiua, quæ obiecta insensata pertingit.

5 Dicendum 1. Proprium obiectum cogitatiuæ (quæ quia coniungitur in homine cum ratione, dicitur ratio particularis propter aliquem discursum imperfectum ad differentiam brutorum, quorum tantum nomen retinet æstimatiuæ,) sunt intentiones insensatæ, seu nō perceptæ à sensibus inferioribus, quatenus exprimūt rationem boni, & conuenientis, aut nociui respectu animalis. Sic communiter Philosophi cum D. Thom. p. p. q. 78. art. 4. Prob. quia ratio illa insensata in singulari, vt dicit conuenientiam, aut disconuenientiam cum appetitu, & cum natura animalis constituit specialē rationem cognoscibilis, necessarij ad conseruationem animalis, ergo specificat specialem potentiam cognoscitiuam internam, & specialem sensum internum: sed non alium nisi æstimatiuam, vt per se constat, ergo. Cum autem proprius actus cuiuslibet potentiæ sit ille qui per se tendit in proprium obiectum, & in proprium finem potentiæ, & obiectū æstimatiuæ sint intentiones insensatæ, seu rationes conuenientis, aut nociui respectu naturæ animalis, vt ex illis cognitis moueatur appetitus ad sequendum vel fugiendum tales rationes repertas in obiectis, & ipsa obiecta; sit consequens proprium & per se primarium actum æstimatiuæ esse cognitionem intentionum insensatarum, quæ in obiectis sensibilibus inuenīri possunt conformiter, aut difformiter ad naturam animalis cognoscentis.

6 Dicendum tamen est 4. Cogitatiua hominis non est distincta potentia specie æstimatiua bruti, quia obiectū formale vtrobique est idem, nempe intentio insensata. Quod autem hæc perceptio talis rationis fiat in bruto per, in homine autem per discursum, & collationem singularium, arguit quidem maiorem perfectionem accidentalem in cogitatiua hominis, sed nō diuersitatem specificam, quia virtus cogitatiuæ ad inferendum, & discurrendum, non prouenit illi ex propria ratione, sed ex cōiunctione cū ratione & intellectu humano, quoties autē ex coniunctione ad alterum conuenit aliqua perfectio, non variat speciem, vt patet in motu circulari ignis in propria sphera ex raptu Cœli; Lunæ, & in reflexu, & fluxu maris ex influentia Lunæ.

7 Dicendum est 5. Obiectū per

per se memoria (quæ secundum æstimativa dictum est, in homine reminiscentia nuncupatur, quia quadam collatione præterita respicit) sunt intentiones insensatè præteritæ, seu secundum quod obiectum est seruum mouens ad eas percipiendas absens est. Sic D. Tho. p.p.q.78.art.1. & Arist. libr. de mem. cap. 1. Et ratio est, quia non est per quid differat memoria ab æstimativa, nisi per hoc quod eius obiectum sit intentio insensata, vt absens, & præterita, & constat ex discrimine obiecti sensati, secundum quod specificat sensum communem, & phantasiam, cui proportionantur æstimativa, & memoria, quoad obiectum insensatum, sed obiectum phantasiæ est sensatum, vt absens, & præteritū, ergo obiectum memoriæ, est insensatum, vt absens, & præteritum.

8 Ex quo sequitur quod sicut phantasia duo munera habet, scilicet retinere species sensatas in absentia, & cognoscere absentia, & præterita sensata, sic memoria duo munera etiam habet; retinere, scilicet species insensatas, & vtendo eis cognoscere absentia, & præterita insensata. Vbi sic eam definite potetis ex auctore operis de spiritu, & anima apud Aug. *Memoria est vis animæ accepta retinēs præterita repetēs, & lapsa recolligens.* Quo intellecto circa rationes inten. insensatas habebis definitionem memoriæ sensitiuæ. Colligitur etiam reminiscentiam in homine non esse potentiam speciei diuersam à memoria bruti, quia idem habet obiectum cum illa.

9 Con. diffinit. phantasiæ argum. 1. Mons aureus non percipitur à sensu externo, ergo secundū quod phantasia est facultas fingēdi non est mota à sensu secundum actum. Tum quia sic non differret à sensu communi, qui mouetur à sensu secundum actum, §. Resp. quod mons aureus non sentitur à sensibus secundum totum, sed secundum partes, secundum quas mouet sensus externus phantasiā, quæ sic pendet à sensu facto in actu, ipsa tamen formar tertiam speciem, sed hoc habet causaliter à sensu mouente, & imprimente speciem secundum partes.

10 Con. 3. conc. arg. 2. Cogitatiua, seu æstimativa, ex se non est discursiua, ergo non habet pro obiecto intentiones insensatas, prob. conseq. rationes insensatæ eo ipso, quod nec sensibus externis, neque phantasia percipiuntur solum per discursum possunt inuestigari, & inueniri; non enim reperiuntur in ipsis obiectis ad extra, nisi quatenus comparātur, & conferuntur huic, vel illi naturæ, nā ipsa alteri lupo noxius nō est; sed solum ouj, aut alijs huiusmodi animantibus, & eadem herba secundum eas qualitates sensibiles vni est noxia, alteri proficua; sed quod habet rationem conuenientis, aut disconuenientis, non ex se, sed ex comparatione ad

alia solum potest percipi collatione, & discursu: ergo si æstimatiua ex se noe est collatiua, & discursiua non habet pro obiecto intentiones insensatas. Ex quo sequitur, quod cum sola cogitatiua hominis possit eas rationes insensatas percipere, sit diuersa potentia ab æstimatiua bruti. Præterea intellectus hominis, & Angeli in ordine saltim ad obiectum proportionatum sunt diuersæ speciei, quia alter componendo, & diuidendo, alter verò simplici intuitu, tendunt in ens, & verum etiam si intellectus Angeli ex coniunctione ad superiorem naturam hoc habeat, & ex radicatione in illa, ergo etiam cogitatiua hominis specie differt ab æstimatiua bruti. Resp. quod ad percipiendas rationes insensatas sufficit, vel instinctus, vel discursus; nam & si obiectum ex se sit indifferens, tamen semel facta applicatione ad hoc cognoscens relucet in eo repræsentatiue ratio conuenientis, vel nociui, & percipitur, aut instinctu, aut collatione naturæ eius ad naturam cognoscentis; quod prouenit ex eo quod res illa sit conformis appetitui cognoscentis vel non. Ad confir. respon. quod aliqui existimant intellectũ hominis & Angeli non differre specie in ratione potentiæ per esse discursiuum, aut compositiuum, vel non esse, & hoc schola Scoti pro certo habet, & consentiunt plures Thomistæ, qui cum Caiet. asserunt solum distingui in ratione proprietatis, & sic habet discursum, vel negationem eius, & in ordine ad obiectum proportionatum differre specie: non per discursum, aut eius negationem, neque per compositionem, aut eius negationem, sed quia obiectum proportionatum est diuersum, & diuersimodè mouet, & sic facilè concedi potest, quod cogitatiua hominis, & æstimatiua bruti specie differunt in ratione proprietatis quatenus altera discurrit, & componit altera non: sed in ratione potentiæ, quæ ab obiecto sumitur, non differre.

11 Con. 5. concluſ. arg. 3. Præteritum importat differentiam temporis, quod constituitur ente rationis, sed memoria Bruti non habet pro obiecta ens rationis, ergo neque habet pro obiecto sensatum, vt præteritum. Conf. sicut sui ipsius potest esse obliuio, ita, & memoria, seu rememoratio; ergo rei præsentis potest esse memoria, ergo; prob. 1. antec. ex Virg. qui laudat Vlyssem quod oblitus sui non sit.

*Nec talia passus Vlysses.*
*Oblitusue sui iratus discrimine tanto.*

§. Resp. quod memoria non est præteriti secundum quod dicit mensuram durationis, quæ est in tempore ipso, qua ratione completur ente rationi, sed quatenus dicit durationem intrinsecam rerum non signatè, sed exercitè, & secundum hoc est quid reale, §. Ad confir. resp. quod respectu sui po-

potest esse oblivio quatenus aliquis est præsens sibi materialiter, & formaliter non præsens, & sic potest esse memoria quatenus notitia sui elapsa per attentionem ad alia, quæ sunt extra regreditur in mentem memorantis.

## DE APPETITV SENSITIVO.

## QVÆSTIO LXXXIV.

*De existentia, & quidditate appetitus sensitivi, & an sit distinctus à sensibus, & appetitu rationali?*

1 DAri appetitum in rebus qui est inclinatio ad aliquod bonum & conueniens apparenti experientia ipsa notissimum est: quod si hæc inclinatio consequatur ad formam secundum esse naturale inclinantem ad sibi conueniens appetitus dicitur innatus, & naturalis, si autem cõsequatur formam apprehensam secundum esse conuenientis appetitus dicitur elicitus, & quidem si forma fuerit apprehensa per sensum dicitur appetitus sensitiuus, si autem fuerit apprehensa per intellectum appetitus dicitur intellectualis, seu rationalis. Et modo non agitur de appetitu intellectiuo elicito, sed de sensitiuo (nam de innato agere ad physicos libros agentes de natura pertinet.)

2 Dicendum est igitur obiectum appetitus sensitiui elicitiest sensibile, seu conueniens, & delectabile apprehensum per sensum internum, qui apprehendit rationem boni, & conuenientis. Prob. Illud est obiectum cuiuslibet facultatis, & potentiæ, quo posito ponitur talis potentia, & cognoscitur poni potentiam, quia propter obiecta ponuntur potentiæ, sed posito bono sensibili apprehenso per sensum ex natura sua mouet ad consequutionem sui, & inclinat in se: ergo hoc est proprium obiectum appetitus sensitiui. Tum etiam obiectum cuiuslibet appetitus est bonum, & si fuerit sentibilis appetitus, erit bonum apprehensum proportionatum appetitui; ergo obiectum appetitus sensitiui eliciti est bonum sensibile apprehensum per sensum. Appetitus sensitiuus ex Aristot. 3. de anim. est potentia vitalis mobilis à bono apprehenso per sensum, potensque in illud tendere vitali inclinatione.

3 Antequam resoluatur dubium, suppono appetitum sensitiuum esse potentiam realiter distinctam à substantia appetente, quod sic conuinco, quia est potentia mouens mota (id est operatiua, vt mota ab obiecto, quod est bonum,) vt ait Arist. hic lib. 3. text. 54. sed omnis potentia operatiua proxima realiter distinguitur à substantia operantis (vt supra dictum est, & in 2. phil. probatum,) ergo.

4 Dicendum 2. Appetitus sensitiuus realiter distinguitur, ab

ab appetitu intellectiuo, & a quolibet sensu, tam interno, quam externo. Prima pars est D. Thom. 1.p.q.80.art.2. & prob. Tum quia subiectum appetitus sensitiui est in parte sensitiua, & appetitus rationalis in parte intellectiua, ergo sicut potentiæ consequutæ ad animam vegetatiuam realiter distinguuntur a potentijs sensitiuis, quia sunt in anima secundum diuersum gradum, sic appetitus rationalis debet distingui ab appetitu sensitiuo, quia est anima secundum diuersum gradum, ac perinde in diuerso subiecto, seu secundum diuersam rationem. Tum etiam bonum sensibile, & intelligibile ideft secundum conuenientiam ad naturam sensitiuam, & rationalem, non minus differunt, quam bonum, & verum, siquidem bonum, & verum possunt esse in eadem linea rationali, in qua non possunt esse bonum, vt sensibile, & intelligile; ergo sicut intellectus, & voluntas realiter differunt, ita etiam appetitus sensitiuus, & intellectiuus, prob. cõsequ. nam cum obiectum sit mouens, & potentia mobilis sit ab ipso diuersitas in ratione obiecti (& si sit secundum rationem) infert diuersitatem realem in potentijs motis, quia quæ sunt à principijs maiorem habet distinctionem, quam ipsa principia.

5 Secunda autem pars concluf. prob. quia omnes sensus sunt potentiæ cognoscitiuæ, appetitus autem est potentia appetitiua, quæ fertur in bonum, & mouetur ab illo, sicut potentia cognoscitiua fertur in ens vt cognoscibile, & verum aliquo modo, sed potentia appetitiua ex se differt à cognoscitiua, & obiectum verum à bono, & specificat diuersas potentias, ergo appetitus sensitiuus differt realiter ab omnibus sensibus tam internis quam externis.

6 Dicendum 3. Proprium subiectum in quo residet appetitus sensitiuus, non est cerebrum, sed cor, sic Arist. lib. 3. de part. animal. cap. 4. D. Thom. p.p.q. 20. art. 1. ad 1. Prob. quia ibi residet, vbi habet speciales effectus, & exercet proprias passiones, sed in corde feruet sanguis in ira, frigescit in timore; ergo ibi & non in cerebro residet appetitus sensitiuus; nam in cerebro hos effectus non experimur. An autem resideat in hepate nonnulli dubitant; sed certum debet esse quod est in corde, quamuis habeat aliquos effectus consequutos in hepate, à quo etiam materia solet ministrari & occasio, immutato sanguine.

7 Arg. 1. con. 2. concl. Potentiæ non distinguuntur penes differentias accidentales obiecti, sed appetibili accidentaliter cõpetit esse bonum sensibili, aut rationali, quia accidentaliter illi competit esse apprehensum per sensum, vel per intellectum, ergo cum appetitus sensitiuus pro obiecto bonum, vt apprehensum per

sen-

sensum, & appetitus rationalis habeat pro obiecto bonum apprehẽsum per intellectum, sequitur vnũ appetitum, non esse diuersum ab alio. Conf. Sicut appetitus sequitur apprehensionem, ita etiam potentia loco motiua sequitur appetitum, sed potentia loco motiua vna est, etsi sequatur appetitũ sensitiuum, vel rationalẽ; ergo & appetitus vnus est, §. Resp. quod etsi apprehensio accidat bono, tamen apprehensibilitas radicalis penes sensum, & intellectum non accidit bono, vt appetibili, quia fundatur in diuersa conuenientia, ad naturam sensitiuam, vel intellectiuam, & ideo non viget argumẽtum. Data enim maiori, nego minor. & ad probat. subiunctam distin. apprehendi sensu, vel intellectu accidit bono, quatenus dicit actualem apprehensionem concedo, quatenus radicalem apprehensibilitatem, nego. Ad confirm. nego min. vt constabit ex dicendis infra.

8 Arg. 2. con. 3. concl. In cerebro est vis æstimatiua à qua mouetur appetitus sensitiuus, ergo ibi & non in corde est ipse appetitus, prob. conseq. nam mouens, & motum debent esse simul. Confir. Visa sunt animalia extracto corde moueri loco, ergo cum potentia progressiua moueatur ab appetitu sequitur non esse in corde appetitum. Resp. quod mouens, & motum phisicè debent esse simul loco; at apprehensio non mouet esse & uè phisicè appetitũ, sed per simpatiam, & obiectiuam attractionem, & ideo quamuis non in cerebro, sed in corde sit appetitus potest moueri à sensu existente in cerebro. Ad confir. plures esse experiẽtias animalia decapitata moueri, sed sicut ille motus non est vitalis, sed ex spiritibus reflectis in cadauere, sic nec motus animaliũ extracto corde progredientium, & ideo inde nullum sumitur argumentum.

9 Arg. 3. ad idem. Si pungatur oculus, aut alia pars corporis dolet, ergo non in corde, neque in cerebro, sed toto corpore etiã differtus appetitus sensitiuus, nam ibi est potentia vbi est eius actus, & dolor actus est appetitus, §. Respond. quod appetitus est inclinatio totius suppositi, & ideo etsi sit in corde dolet pro parte, quæ patitur, non ita vt ab illa parte eliciatur dolor, sed a corde pro illa parte patiente.

## QVAESTIO LXXXV.

*An appetitus sensitiuus immediatè dividatur in irascibilem, & concupiscibilem tamquam in potẽtias realiter distinctas?*

1 DIcendum est appetitum sensitiuum adequatè dividi in appetitum irascibilem, & concupiscibilem, tamquam in potentias realiter distinctas. Sic Arist. lib. 3. de anim. text. 42. & D. To. ibi. Prob. Distinctio specifica obiectorum arguit distinctionẽ spe-

cificam, & realem in potentijs, sed obiectum concupiscibilis, & irascibilis habet in se distinctionem specificam, & importat rationes specificè diuersas in ratione appetibilis, ergo arguit, & infert à priori diuersitatem specificam, & realem in potentijs, maior est certa, vt patet in obiectis sensuum externorum, & in ente secundum quod verum, & bonum min. autem prob. Obiectum concupiscibilis est bonum absolutè, vt conueniēs naturæ sensitiuæ, obiectum autem irascibilis, non est bonum absolutè, & secundum se, sed vt arduum, atque, vt repellens malum imminens: sed istæ rationes ex se sunt diuersæ in ratione obiectiua appetibili, quamobrem bonum arduum solet præponderare bono concupiscibili, & ideo fortis reliquit bonum concupiscibile, & abstinet ab illo, vt consequatur bonum arduum, ergo. Conf. sic se habet ratio ardui ad bonum concupiscibile secundum se, sicut ratio insensata ad sensatam, quia est æqua supereminentia; sed ratio insensata arguit distinctionem realem specificam in æstimatiua supra imaginationem, quæ est ad rationes sensatas, ergo etiā ratio boni ardui arguit distinctionem realem specificam appetitus irascibilis supra cōcupiscibilem, qui est ad bonū sensibile secundum se.

2. Si neges rationem ardui addere ex parte boni sensibilis obiectiuè sumpti rationem specificam, non enim abstrahit à ratione boni conuenientis naturæ sensitiui, sed solum addit extensionem ad vincenda impedimenta obstantia; sicut patet in bono, quod est obiectum appetitus rationalis, vbi ratio ardui, non addit rationem obiectiuè distinctam specificè a bono conuenienti naturæ rationali, §. Cont. est quod sicut ex eo quod intellectus, quia est potentia vniuersalis sit vnus in ordine ad omnia intelligibilia, non bene arguitur is, quod sit vnus sensus ad omnia sensibilia cognoscibilia; sic ex eo quod appetitus rationalis ob suam eminentiam, & vniuersalitatem sit vna potentia, non potest deduci, quod sit vnus tantum appetitus sensitiuus, aut vna ratio boni, vt concupiscibilis, & vt ardui, quia potentiæ sensitiuæ habent obiecta limitata, & ratio obiectiua, quæ comparatur ad potentiam vniuersalem de materiali se habet respectiuè ad potentiam limitatam, & inferiorem de formali, §. Nec est idem de appetitu innato, qui non distinguitur per vincere impedimenta, quæ obstant cōsecutioni, & per quiescere in ipso bono, quia vbi vnum, & idem bonum est, quod respicitur à tali appetitu, & vincere impedimenta est medium ad consequendum tale bonū; potentia autem quæ est ad medium non est diuersa ab ea quæ est ad finem, at bonum concupiscibile non est finis ardui boni, quod specificat irascibilem: imò. sæpè relinquitur bonum concupiscibile, vt cō-

se-

sequatur bonum arduum, nec victoria impedimenti est præcisè medium, sed est ratio boni eminentior, & æquè per se condistincta à ratione boni concupiscibilis, ergo ex parte obiecti est diuersa ratio specificatiua, & arguit diuersum appetitum.

3 Contr. nostram conclus. argum. 1. Quoties vna ratio obiecti vna reducitur ad aliam, non sunt duæ rationes obiectiuę, sed vna, at ratio ardui in bono sensibile reducitur ad concupiscibile bonũ, ergo ratio boni concupiscibilis, & irascibilis obiectiuè, diuersæ non sunt, neque specificant appetitus realiter, & specificè distinctos prob. min. Tum quia ira consurgit propter bonum concupiscibile, ne impediatur: ideo enim dicitur in Ep. Canon. Iacobi capit. 4. *Vnde bella, & lites in vobis, nonne hinc ex concupiscentijs vestris?* Et Arist. lib. 8. de anim. aut propter cuius aut propter venerea pugnari animalia, ergo propter bonũ cõcupiscibile. Tũ etia arduitas boni irascibilis ex eo mouet, quia remouet aliquod malũ à bono cõcupiscibili, ergo reducitur eius appetibilitas ad bonum concupiscibile. ℣. Resp. quod concupiscentia mouet ad iram remotè, & præsuppositiuè, non formaliter, sicut intelligibile mouet appetitum, sed ex alio fine, & bonitate reperta in ipsa arduitate, & in hoc sensu intelligi testimonia adducta, quod constat, quia sæpè abstinemus à bono concupiscibili propter arduum: quoties autem vnum sequitur ad aliud ex diuerso motiuo, non est vna ratio, sed plures, patet in ente, vt intelligibili, & appetibili, & ideo est reductio materialis non formalis, & sic solum arguit vnam potentiam specificè præsupponere aliam, non verò quod sit eadem, vt patet etiam in intellectu, & voluntate.

4 Argum. 2. Vna, & eadem æstimatiua sufficit ad proponendum bonum cõcupiscibile, & irascibile, ergo vnus appetitus sufficiet ad vtrumque appetendum. Tum etiam natura amat vnitatẽ, sed non ostenditur euidẽter, quod irascibilis distinguatur, aut debeat distingui à concupiscibili, ergo vtraque facultas est vna potẽtia; sicut potentia exequutiua vtriusque boni est vna; nam si potentia directiua, nempè æstimatiua, & exequutiua est vna, cur appetitus erit duplex? maxime cum appetitus sit perfectior, quam potentia exequutiua, & potentia perfectior, eminentior etiam sit, & magis vna. Confir. Ex diuersitate potentiæ apprehensiuę, probat D. Thom. 1 p. q. 80. art. 2. diuersum esse appetitum sensitiuum à rationali; sed potentia apprehensiua boni concupiscibilis, & irascibilis vna est, nempe æstimatiua, ergo, & appetitus vnica potentia est.

5 Resp. quod diuersitas potẽtiæ, neque ex parte directiui, neque exequutiui, debet desumi, sed ex motiuo obiectiuo formali, &

quia bonum concupiscibile, & irascibile, neque in ratione veri, neque in ratione exequibilis specie differunt, ideo sufficit ad vtrumque vna æstimatiua, & vna potentia exequutiua, & tamen nō sufficit vnus appetitus, etiam si appetitus sit perfectior, quam potētia exequutiua, quia maior vnitas in potentia superiori respectu inferioris, solū admittitur, si cætera sunt paria, ℣. Nec D. Thom. ex diuersitate apprehensionum arguit distinctionem inter appetitum sensitiuum, & rationale, sed ex diuersitate apprehensorum, seu bonorum specificantium: cum autē æstimatiua dinersa bona proponat irascibili, & concupiscibili, fit consequens vtrumque appetitum esse potētiam realiter diuersam, quia naturam non amat vnitatem in potentijs, nisi ratio specificans sit vna, & eadem.

6 Pro coronide huius quæstionis inquires de præheminentia horum appetituum. Ad quod breuiter dico perfectiorem esse irascibilem, quia ex se magis participat de ratione, vt ait Arist. 7. Ethic. c. 6. & quia habet eminentius obiectum, & nobilius positum in arduitate, & supereminentia ad bonum concupiscibile, si quidem nō appetit illud bonum præcisè, vt conueniens naturæ sensitiuæ, sed & aliquo modo participat rationem, vel illi assimilatur. Quod si alicubi docet D. Thom. concupiscibilem se habere, vt finem irascibilis, non loquitur de fine præcisè cuius gratia, sed de fine effecto & perfecto per irascibilem; perfectioris enim est firmare, & defendere imbecilliorē, & imperfectiorem, vnde comparatur ad concupiscibilem, sicut vir ad fœminā, qui eam tuetur.

## QVÆSTIO LXXXVI.

*Vtrum potentia loco motiua sit distincta ab appetitiua, & apprehēsiua, & an sit actiua, & vitalis?*

1 ARistoteles hoc lib. statuit, quod cum motus potētiæ locomotiuæ sit agentis propter finem, non est proprius plantarū, quæ solum viuunt vita vegetatiua, neque sensus externi, neque intellectus speculatiui, sed solum potētię practicæ proponētis finē appetitui, vt moueat; & hæc aut est æstimatiua, aut intellectus practicus, & sic primum mouens immobile, ad motum progressiuum est finis, mouens autem directiue est potentia apprehensiua finis, imperās, & appetitus factus in actu, & potentia exequutiua est, quæ immediatē elicit ipsā progressionem, seu motum localem progressiuum.

2 In dubium est, quod motus localis progressiuus membrorum immediatē elicitur a membris externis, ac perinde quod tale principiū distinguitur ab æstimatiua, quæ est in cerebro, & ab appetitu sensitiuo, qui est in corde, sicut etiā est perspicuum quod po-

potentia loco motiua, quatenus dicit principium dirigens cognoscitiuum ex parte æstimatiuæ est in cerebro, & esse in corde quatenus dicit appetitum inclinantem in talem motum, nam appetitus respiciens finem est primum mouens quoad exercitium cæteras potentias. Inquiritur, ergo in præsenti an potentia loco motiua, seu exequutiua motus progressiui sit distincta ab æstimatiua, & ab appetitu sensitiuo, & an sit potẽtia actiua, vel passiua, etsi passiua solum esi, an in membris externis, quæ mouentur localiter, vel vbi, nam residear, & quid sit?

3 Dicendũ 1. In homine potentia exequutiua, & loco motiua non cõsistit in intellectu practico, neque in volũtate immediatê, sed mediante æstimatiua, & appetitu sensitiuo intellectus, & voluntas mouent corpus ad motũ progressiuum. Sic D. Tho. lib. 3. de anim. q. 21. & Arist. ibid. text. 57. vbi docet quod pars rationalis includens volutatem se habet ad appeticum sensitiuum in ordine ad mouendũ sicut sphera superior ad inferiorem contentam in ipsa, & sicut causa vniuersalis ad particularem, quæ non influit in effectum particularem, nisi mediante causa particulari. sentit ergo, quod neque voluntas, aut intellectus causant motum progressiuũ, nisi mediante appetitu sensitiuo, & cum iste ab æstimatiua dirigatur, sequitur, quod voluntas, & intellectus non sint potentiæ, quæ immediatê causant talem motum in particulari. sed solum mediante æstimatiua, & appetitu, & ratio suadet, quia ratio non causat appetitum rei particularis, nisi mediante cogitatiua, quia ipsa est de bono in vniuersali, ergo neque appetitus rationalis, exequitur motum corporeum particularem, nisi mediante appetitu sensitiuo, ergo potentia loco motiua non est intellectus, aut voluntas in homine; sed immediata causa, seu potẽtia exequutiua talis motus est cogitatiua, & sensitiuus appetitus.

4 Dicendum 2. Quamuis appetitus, vt motus ab æstimatiua possit esse principium imperãs motus progressiui, quia voluntas & appetitus sunt primum mouẽs quo ad exercitium, vt probat Diu. Thom. 1. 2. quæst. 9. tamen neque æstimatiua, neq, appetitus sensitiuus sunt potentia exequutiua elicitiua motus progressiui. Prob. ex Arist. 2. de anim. tex. 57 vbi disertè docet quinque esse genera potentiarum animæ, Vegetatiuam, Sensitiuam, Appetitiuam, Loco motiuam, & intellectiuam; ergo potentia loco motiua, secũdum Arist. est distincti generis, à sensu, ab intellectu, ab appetitu sensitiuo, & rationali. Sic Diuu. Thom. 2. p. q. 28. art. 1. ad 4. vbi probat quia aliqua animalia habent sensum, & appetitum, & non potentiam loco motiuam, vt in animalibus fixis in conchis, & in saxis constat. Et suadet ratio. Potentiæ specificantur per obiecta

per quæ etiam distinguuntur; sed obiectum potentiæ loco motiuæ non est verum, aut bonum, sed vbi quoddam, aut tendentia determinati loci: ergo potentia loco motiua non est idem cum sensu, aut intellectu, aut cum appetitu sensitiuo, aut rationali, sed est potentia omnino diuersa ab illis. Conf. sensus solum habet pro actu sentire, & appetitus appetere, & intellectus intelligere, sed moueri localiter, & progredi, nec est sentire, neque intelligere, neque appetere, sed est mouere; ergo non est actus potentiæ sensitiuæ, aut intellectiuæ, neq; appetitus, ergo est actus diuersæ potentiæ, ergo potentia loco motiua diuersa est.

5 Dicendum 3. Potentia loco motiua exequutiua immediata licet imperetur ab appetitu, tamē residet in membris ipsis quatenus vna pars mouet aliam. Sic Arist. lib. 3. de anim. tex. 54. & D. Tho. ibid. & alibi. Prob. Ibi debet esse potentia motiua progressiua, vbi primò reperitur ratio mouēs, seu pars mouēs loco, sed in corde primo reperitur hæc vis vbi spiritus vitalis complantatus habet vim primam mouendi, & inde derivatur, vt cæteræ partes se moueant, ergo ibi residet primò, & per se potentia loco motiua, & ex inde dispergitur per totum corpus, vt fit motus progressiuus in omnibus partibus.

6 Dicendum 4. Potentia exequutiua est vitalis, & actiua; prob. conc. quo ad primam partem ex Arist. hoc 2. lib. cap. 2. vbi docet potentiam loco motiuam esse vnā ex potētiis proprijs animæ media qua viuit, ergo est potentia vitalis. Idem docet D. Thom. p. p. q. 13, & 76. art. 1. Motus quo animal loco mouetur vitalis motus est, sed potentia, quæ est principium per se elicitiuum operationis vitæ vitalis est, ergo potentia loco motiua vitalis est. Prob. ratione. Motus progressiuus vitalis est, siquidem per illum mouet se animal ab intrinseco sui, & exercetur per partes organicas, scilicet per manus, & pedes ad hoc deputatas a natura viuente, ergo potentia progressiua vitalis est. Confirm. moueri progressiuè est proprium viuentis, vt viuens, vt per se constat, quia sola viuentia sic mouentur, ergo ille motus vitalis est ergo, & principium elicitiuum eius vitalis est, prima cōseq. prob. nam quia solus homo ridet, colligimus risum esse passionem hominis, & actum humanum, ergo si sola viuentia habent motū progressiuum à se, erit ille motus vitalis, imò à longè respicientes inde colligitur aliquid esse viuēs, quia percipimus moueri à se. Secunda vero conseq. satis constat ex d. & s. §. Ex his facilè deducitur 2. pars concluſ. Potentia vitalis, vt suprà dixi actiua est, nec potest solum esse passiua: ergo si potentia loco motiua est vitalis, erit potentia actiua, & non tantum passiua. Cōfir. Ille motus quo mouetur pes, & progreditur de vno loco ad al-

te-

alterum non minus vitalis est, quã motus cordis; siquidem non minus fit per organa viuentis vna parte, aliam mouente, ergo nõ elicitur ab appetitu, sed ab ipsis mẽbris se mouentibus à se proximè: ergo cum moueãt se media potentia loco motiua quę principaliter residet in corde, & minus principaliter diffunditur per totum corpus in musculis, & neruis informatis spiritibus animalibus, consequens est quod huiusmodi potentia loco motiua sit actiua.

7 Arg. 1. ad probandum motum progressiuum non esse à sensu, aut intellectu tamquam à dirigente, neque ab appetitu, tamquã à primo mouente, & imperante, nam in somnis sensus non vigent, & tamen potest esse motus progressiuus, & lacertæ concisæ, mouentur progressiuè per eas partes quæ diuisę sunt ab illa parte principali in qua residet appetitus, ergo sine directione sensus, aut intellectus, & sine imperio appetitus datur motus localis progressiuus, §. Resp. quod in somno non manet omninò ligata imaginatio, & appetitus, sed viget quantum sufficit ad dirigendum, & imperãdum illum motum, nam ex vi somni solum sensus externi, & sensus communis immobilitantur; in lacertis autem cum id quod habet vicem cordis diffundatur per medium quasi spinam à capite, vsque ad caudam ibi residet appetitus, & imperfecta imaginatio, & sic mouentur.

8 Arguitur secundo, probando, quod potentia loco motiua non distinguatur ab appetitu. Illa est potentia loco motiua, quæ est principium motus localis, sed appetitus in actu est principium motus localis, vt ait D. Tho. lib. de animal. motu lect. 5. ergo ipse appetitus, & non aliquid ab eo distinctum est potentia loco motiua, §. Resp. ex D. Thom. ibi lect. 6. vel quod appetitus est principium tantum, imperans, non exequens, & ideò ad exequendum debet superaddi noua potentia, vel quod appetitus est principium talis motus in quantum est aliqualiter voluntarius (maximè in homine) non tamen in quantum formaliter progressiuus est.

9 Arg. 3. ad idem Posito imperio efficaci motus progressui in appetitu, & volũtate sequitur obedientia in membris externis, quæ ad nutum mouentur ab appetitu, ergo non requiritur alia potẽtia intermedia, hæc enim nil aliud faceret, quã obedire appetitui, & mouere corporis partes: sufficit ergo efficax motio appetitus in vnam partem, & ea mediante in alias; ergo superfluit potẽtia executiua distincta. Præterea etiam si in Deo, & Angelis, & in anima separata non sint alij actus, quam intelligere, & velle tamen non admittitur ibi aliqua potentia executiua, & loco motiua diuersa ab intellectu, & voluntate, & hoc frequenter affirmant Thomistæ; ergo dato quod in animali sensus

& appetitus non sunt alii actus, quam sentire, & appetere nō debet in eis distingui potentia loco motiua distincta à sensu interno, & appetitu, sed sensus, & appetitus sentiendo, & appetendo ex cō sequenti mouebunt membra, quia sensus sentiendo proponit bonum esse hic, & nunc moueri, & appetitus imperat motum, & applicat membra tamquam primum mouens quoad exercitium.

10 Resp. quod sicut electio efficax non excludit à concomitantibus, & a mediis requisitis, sic imperium efficax motus localis, qui est in appetitu nō excludit potentiam loco motiuam: quia appetitus habet efficaciam per modū imperantis, & potētia motiua per modum exequentis, quatenus habet spiritum complantatum, cuius est moueri localiter, & progressiuè. Ad conf. respond. quod Deus non mouetur localiter, & ideo non mirum, quod non habeat potentiam loco motiuam distinctam ab intellectu, & voluntate, & idem dici posset de anima separata. Quod si habet potentiā exequtiuam hæc non distinguitur, etiam virtualiter ab eius intellectu, & voluntate, quia ob eminentiam, quam habet, & quia agit per actionem immanentem, quæ non specificatur à termino, quem producit, sufficit eius intelligere, & velle ad ponendum in exequtione quidquid vult, quia habet infinitam efficaciam in sua voluntate in Angelis etiam, & animabus, & si demus potentiam loco motiuā, non distingui ab intellectu, & voluntate, ideo est, quia sicut sunt in loco æquinoce, & sine dependentia ab illo, mouentur æquinocē, & sine dependētia a loco, vel ab vbi locali, & ideo intelligendō, & volendo se mouent, at motus progressiuus animalis pendet a loco, & a termino, & ab eo specificatur, & eget spiritu mouēte, quia est nōnulla resistentia in partibus, quæ mouentur, quia graues sunt, & operatio est transiens, & ideo necessaria diuersa vis, & potentia ad istum motum ab ea quæ est ad sentiendum, & appetendum. Præterquam quod plures Tomistę distinguunt virtualiter, in Deo potentiam exequtiuam ab intellectu, & voluntate, & similiter potentiam loco motiuam in Angelo, & anima.

11 Arg. 4. ad probandū, quod potentia loco motiua nō resideat primo, & per se in corde, sed in cerebro. Motus cordis non dirigitur apprehensione, sed sine illa durat, ergo ibi non primò residet potentia loco motiua, quæ ex apprehēsione boni dirigitur. Tum etiam quia ligatis neruis cerebri quibus spiritus animales descendunt, cessat motus animalis, & progressio, ergo quia in cerebro, est potentia loco motiua, §. Resp. quod in corde non est potentia loco motiua, quatenus se mouet motu naturali, sed quatenus in aliqua eius parte residet spiritus animalis primo complantatus, qui ex directione

sen-

sensus, & motione, & imperio appetitus mouet alias partes, quasi modificando etiam motū naturalem, vt hoc, vel illo modo fiat motus, & licet obturatis neruis cerebri cesset motus progressiuus, ideo est, quia illi nerui primo in corde radicantur, & quia etiam pendent a cerebro quatenus posita motione appetitus, media aliqua sensatione, tanquam imperio applicatur ad vsum potentia exequtiuæ.

12 Contra 1. partem 4. concluſ. arg. 5. Motus localis non est operatio vitæ, ergo neque potentia loco motiua, & progressiua vitalis est, cōseq. videtur bona, quia potentia denominatur ab actu, nat. Prob. Motus ille, seu motio progressiua transiēs est; ergo non est vitalis, cum motus vitalis cum sit id id quo principium actionis viuit, debet esse immanens in suo mer principio a quo elicitur, & ibi habere terminum. Quod autē sit transiens actio patet, quia fit progressio per hoc quod vna pars mouet aliam; ergo per hoc quod actio mouentis, eiusque motus, & terminus sit in parte mota. Conf. Si motus vitalis est ipsa localis, & progressiua motio, non erit vlla ratio ob quam motus grauium, & leuium, & augmentatio ignis vitales actus non sint, ℘. Respon. quod generatio, est actio transiēs etiam in sentent. aduersariorum, & tamen vitalis est, vt suo loco ostendi, & dato quod actio transiēs sit subiectiuē in agente, quamuis eius effectus sit extra argumentū nullam habet vim, quia in eo casu actio ipsa est terminus vitæ respectiuē ad subiectum, quod formaliter reddit viuens, quamuis terminum quem respicit, non vt formam, sed vt effectū habeat ad extra, sed dato quod actio transiens sit in passio, vt in subiecto, & quod progressio sit actio aratiēs adhuc non vrget argumentum, nā vt actio sit vitalis, sufficit, quod sit ab intrinseco se mouente, quāuis non maneat in principio eliciente actionem, nam vitæ, quę per modum actionis denominat per esse ab intrinseco se mouente a se denominat, vt forma egrediens, non vt forma inhærens, & permanens. Et hinc ad Confir. resp. neque motus grauium, neque aut mētum ignis esse vitales actus quia non sunt à se mouente à seipso, sed ab alio nempe a generante, non vero ex eo præcise, quia sunt actiones transeuntes, & peccat argumentum.

reddit

# LIBER TERTIVS

## de Anima Rationali, eiusque Potentijs & Proprietatibus.

### QVAESTIO PRIMA.

*An detur anima rationalis in rerum natura, à quo prodeatur & quomodo?*

1 DARI animã rationalem, & intellectiuã (quãuis fatererentur voce) reuera negarunt quotque ex antiquis Philosophis eam materialé, aut corpoream constituerunt: impossibile namque est ratiocinari, & intelligere, per principium corporeum, & materiale. Dari tamen animam, quæ sit spiritualis, & per consequens intellectiua, & rationalis docet fides, & statuitur etiam in cap. Firmiter de Sum. Trin. & fide Cathol. His positis.

2 Dicendum est animam rationalem creatam esse entitatem, & non esse de substantia Dei, neque eius particulam, vt deliraruut prisca Philosophorum, & hæreticorum inuenta, nostram tamen conclusionem cont. errores propugnant Concilia, Põtificum declarationes, & SS. PP. Probatur quoque rat. D. Tho. Anima quandoque intelligit & vult, quandoque non & mutat consilium, erratque potest, imô peccare; ergo non est de substantia Dei, qui est actus purus, immutabilis, & summa bonitas, ergo anima neque est de substantia Dei, neque eius particula.

3 Dicendum 2. Anima rationalis non producitur in esse per generationem, sed per creationem à solo Deo producitur. Sic pia Martyrum Mater dicebat 2. Machab. cap. 7. *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem* (scilicet in vtero.) Potest etiam probari ex Arist. qui l. 1. de anima text. 65. docet quod. *Anima intellectiua substantia quadã est, & de foris venit.* Quasi dicat non produci per generationem, sed à Deo creari, & infundi non tantũ, vt motor corporis sicut nauta nauis, sed vt sit eius intrinseca forma. Probat D. Thom. hanc nostram

stram concluſ. 1. p. quæſt. 90. art. 2. Forma fieri non poteſt per generationem niſi educatur de potentia materiæ per tranſmutationem, at anima rationalis cum ſpiritualis, & per ſe ſubſiſtens ſit non continetur in potentia tranſmutabili materiæ primæ; ergo non poteſt produci per generationem (alias creari proprium eſt ſpiritualium, & ſubſiſtentium:) ergo. Quod vero anima ſit incorporea, & ſpiritualis conſtabit ex dicendis quæſt. ſeqq. & ſuadet ratio, quia eſt intellectiua, intellectio autem eſt opus ſpirituale: ergo principium intelligendi, ideſt anima debet eſſe immaterialis, & ſpiritualis. Neque contra hanc veritatem obſtat, quod dicitur in ſacro textu, quod: *Homo puluis eſt*; ergo corpus. Nam puluis dicitur ratione corporis, non ratione animæ clamante Dauid: *Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam* (corpus, ſcilicet.)

4 Sed ad probandum quod anima ſit de ſubſtantia Dei arg. 1. Nam Paulus Act. 12. laudat dictum Poetæ afferentis quod: *Dei genus ſumus*; ſed, quod eſt, eiuſdē generis cum altero eſt eiuſdem ſubſtantiæ; ergo ſaltim ratione animæ rationalis, ſumus de ſubſtantia Dei. Conf. Plures SS. PP. aſſerunt animam noſtram: *Quid diuinum eſſe, & de ſubſtantia Dei*, ergo. §. Reſp. pie interpretandum, neque enim conſortium diuinitatis impertiri Deus poteſt creaturis, qui gloriam ſuā alteri non dabit, ſed quid diuinum dicitur anima, & de ſubſtantia Dei, quia ſimilis illi eſt in ſpiritualitate, & quia Deum amare, & intelligere poteſt, & eleuari ad ordinem diuinum per formas accidentales gratiæ, & charitatis. §. Ad conf. reſp. cum D. Thom. in 2. diſtin. 17. quæſt. 1. art. 1. quod ibi genus ſumitur impropriè & latè pro eo quod eſt eſſe in linea ſpiritualitatis, & quia à ſolo Deo habet eſſe anima.

5 Arg. 2. Anima noſtra eſt pars per modum actus puri; ergo eſt particula Dei; prob. antec. eſt pars hominis, quæ eſt forma, quæ ſe tota eſt actus, ergo pars per modum actus puri. Conf. 1. Deus, & anima noſtra ſunt, & nullo modo differunt; ergo ſunt idem: prob. min. ſi aliquo modo differant, ergo per differentias eſſentiales, ſed ea ſic differunt, quæ ſunt ſub aliquo genere, ergo ſaltim in aliquo prædicato generico, ſunt idem Deus, & anima noſtra. Confir. 2. Qui ſe ſpirat à ſe aliquid emittit, ſed Deus ſpirando infudit animā, Geneſ. cap. 1. ergo eſt particula Dei. Denique Ariſt. l. 2. de generat. animal. cap. 2. ait. Reſtat igitur, vt ſola *mens extrinſecus accedat, atque ſola diuina ſit* ergo aliquid Dei eſt, cum non ſit Deus. §. Reſp. D. Thom. p. quæſt. 90. art. 3. ad 1. quod anima pars eſt, & actus ſed per modum actus primi, quia ſe tota eſt actus primus,

nec

nec identificit actum secundum, quod requirebatur vt esset actus purus, nam etsi purè sit actus: limitatur tamen, & tantum est actus primus. Ad 1. Conf. respon. quod Deus, & mens, non differunt propria differentia, quæ genus commune contrahat, sed sunt primo diuersa, ad quod non exigitur quod aliquo differant, vt docet Arist. 10. Metaph. text. 89. ad 2. quod spirare ibi sumitur metaphoricè secundum quod est aliquid facere per spiritualem actionem, & producendo spiritualem effectum, & ideo non est idem ac partem substantiæ spirantis ex se emittere. Ad 3. resp. ex dictis supra ad primam prob. huius 2. argumenti.

6 Arg. 3. cont. 2. conc. ex illo Genes. 46. *Animæ, quæ ingressæ sunt in Aegyptum egressæ sunt de femore Iacob.* Sed quod ægreditur de fœmore generatur, ergo animæ generantur Conf. 1. ex Paul. ad Heb. 7. *Leui decimatus est in Lumbis Abrahæ*, non Christus; sed quod continetur in lumbis generatur, ergo Leui genitus est: at non continebatur tantum ratione substantiæ corporeæ; sic enim etiam Christus decimatus est, qui corpus assumpsit ex Virgine Filia Abrahæ: ergo quo ad animam. Confir. 2. *Deus requieuit die septimo ab omni opere.* Gen. 2. ergo nihil creauit post 7. diem, ergo non creat de nouo animas; & tamen de nouo producuntur: ergo generantur. Conf. 3. Si solus Deus creat animas; ergo patrocinium dat criminibus dum inter adulteria eas creat. Resp. ex D. Thom. p. p. quæst. 118. art. 2. ad. 1. quod in testimonio Genes. per Sinedochen ponitur pars, seu anima pro toto composito. Ad 1. conf. ex D. Thom. 3. p. q. 32. art. 8. quod nec Leui decimatus est quod animam, neque Christus quoad corpus, quia Christus quoad corpus non processit ex consortio viri, & fœminæ. Ad 2. cum D. Thom. 1. p. q. 118. art. 3. ad 1. & 2. Deum quieuisse die septimo à creatione nouæ speciei, non vero individuorum, nam circa hæc verificatur illud Ioan. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Et sic denuo creat Deus individuas animas. Ad 3. ex D. Thom. ibidem, quod in adulterio opus naturæ bonum est, & huic cooperatur Deus infundens animam: non autem malitiæ inordinatæ consistenti in eo quod sit alieni corporis commixtio; quomodo autem non cooperetur Deus peccato originali creando animam in corpore, vide D. Th. 3. p. q. 62. art. 2. quia hoc non sequitur ex creatione, sed ex vnione ad corpus per materiam seminalem, nec Deus cooperatur infectioni, sed operi naturæ quod bonum est.

QVAE-

## QVAESTIO II.

*An anima rationalis sit spiritualis, & incorporea, & per se subsistens, & quomodo homo subsistat subsistentia animæ?*

1 Dicendum 1. Anima rationalis entitatiuè spiritualis est, & incorporea. Sic diffinitur in terminis in conc. Constantinop. 6 art. 11, & in Francofor. in lib. sacrosillabo. Idem asserit S. Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus, & in cap. *Firmiter* de sum. Trinit. & in capit. *Quidem* 24. q. 3. & innumeri SS. PP. & prob. ex illo Eccles. 12. *& reuertatur spiritus*, (ideſt anima) *in eum qui fecit illum*, & ex illo Christi. *In manus tuas commendo spiritum meum. Et tradidit spiritum*, Ioan. capit. 19. & pluribus alijs locis.

2 Prob. concl. ratione Diu. Thom. ibidem. Anima est intellectiua, ergo incorporea. Prob. conseq. Si esset corporea, omnis eius operatio esset corporea, ergo pendens ab organo corporeo, ergo non posset cognoscere omnia alia corpora, quia iuxta Arist. intus existens prohibet extraneum, vt patet in lingua si sit affecta humore amaro nihil dulce potest percipere, ergo hoc individuum corpus organicum impediret cognitionem alterius diuersi corporis; at intellectiuum ad omne corpus cognoscendum se extendit, ergo. Et hac ratione probat Arist. lib. 1 de anima, quod principium cognoscendi, seu anima non componitur ex elementis, quia hoc impediret cognitionem.

3 Dicendum 2. Anima rationalis est per se subsistens, ideſt independens in suo esse à materia, & à corpore. Prob. ratione Diu. Thom. 1. p. q. 75. art. 2. Quod nõ pendet ab aliquo in operari nõ dependet in esse, quia operari sequitur ad esse, sed anima rationalis nõ dependet à corpore in operatione intellectiua, ergo neque in esse, ergo per se subsistit. Tum etiam. Anima est spiritualis in suo esse, & entitate, vt ostensum est, sed esse spirituale, cum sit superioris ordinis non pendet a materia, quia nõ continetur in illa, vt in causa, neque educi potest exilla per naturalem transmutationem, ergo.

4 Dicendum 3. Totum compositum, ideſt homo subsistit subsistentia animæ, *vt quod*, ipsa tamen anima rationalis dum est vnita materiæ, & est pars compositi subsistit, *vt quo*, & probat. In cõposito substantiali non potest esse nisi vnica subsistentia, ergo anima rationalis, & compositum vnica subsistentia subsistunt; sed non cõuenit animæ subsistere a composito (alioquin corrupto composito non subsisteret anima,) ergo compositum est quod subsistit per subsistentiam animæ, quæ etiam separata subsistit. Secunda vero pars cõclusionis, prob. Dum anima est vnita corpori subsistit, vt pars formæ

malis, *vt quo* compositum est, ergo, non *vt quod*, sed *vt quo* subsistit, at separata se sola subsistit, ergo *vt quod* licet non omnino cõpletè, & sic non est tunc persona, quia non est natura completa hominis, sed semipersona vocatur à Caietano.

5 Cont. 1. concl. arg. 1. authorit Io. Episcopi Thessalonic. 7. Synodo generalis: vbi asserit. *Anima, & Angelos esse corpora quædam subtilissima*; ergo. Tum etiam ex Arist. lib. 1. de anima text. 12. & 13. docente quod: *Si intelligere non est sine phantasia, non est sine corpore*; at non esse sine phantasia ait 3. de anima cap. 5. ergo sentit non esse sine corpore, ergo ruit fundamentum primæ conclusionis, §. Respon. doctrinam illius opusc. quoad eam partem non fuisse admissam, sed permissam in eo Concilio, vbi de hoc non agebatur, quod si quandoque. SS. PP. dicunt animam esse corpoream comparando eam ad spiritualitatẽ Dei, intelligũtur sicut sic dicunt esse materiales Angelos, quia quod infinitè distat ab altero apparet esse eiusdem rationis cum extremo infimo, vt notat D. Thom. 1. p. quæst. 50. art. §. Ad conf. resp. solum inde sequi nos intelligere dependenter à phantasmatibus corporeis, non tamquam à subiecto, sed tamquam à termino à quo, & sic non infertur intellectionem esse ab organo corporeo, & per consequens, nec sequitur quod intelligere sit operatio corporea.

6 Arg. 2. ad idem. Anima nostra dat corpori esse corporeũ, & esse vegetatiuum & sensitiuum, & radicat huiusmodi passiones; ergo in se corporea est formaliter. Prob. conseq. nam forma dat effectum formalem præcisẽ se communicando, & radicat passiones per esse, quod habet actu in se formaliter, ergo anima nostra est in se corporea. Tum etiam ratio qua D. Thom. oppositum suadet nulla est; nam etsi anima nostra sit in se immaterialis immaterialitate limitata ad suum genus, nõ obstat quin intelligat nõ tãtũ se, sed etiam omnia immaterialia cuiusuis generis, ergo etsi esset corporea, seu limitata ad vnum corpus, hoc non posset obstare, quin omnia alia corpora posset intelligere, §. Resp. quod forma per sui communicationem dat esse quod habet, aut formaliter tantum, aut eminenter formaliter; anima autem nostra in eminentia spiritualitatis continet gradus corporis vegetatiui, & sensitiui, & ideo potest hæc omnia præstare composito, dum est in meteria. Ad 2. Respon. non esse eandem rationem, quia corporeitas cum non trascendat materiam ab ea impeditur ne fiat alia à se, & per consequens ne cognoscat alia à se, fit enim cognitio per hoc quod cognitum sit in cognoscente, at immaterialitas, cum dicat negationem materiæ quanuis sit limitata ad certum genus en-

entis, non impedit quod cognoscens in esse intentionali fiat à se; & ideo non est idem.

7 Cont. 3. concl. arg. 3. Quod habet esse perfectius non subsistit per id quod est imperfectius, sed compositum est perfectius quam anima, cum hæc sit pars eius, quæ hoc ipso quod pars est materialiter comparatur ad totum, ergo. Conf. 1. Si idem est esse animæ, & compositi, ergo, vel non corrumpitur, sed potius est incorruptibile omne compositum humanum, quod est contra fidem, & experientiam, vel anima, nostra corruptibilis est, quod etiam est contra fidem, prob. cõseq. nam corruptio consistit, in eo quod esse rei corrumpatur, ergo si idem est esse, & subsistere animæ & hominis, sequitur necessariô vnum è duobus propositis absurdis. Conf. 2. Omne ens habet esse sibi proprium; sed compositum est ens realiter distinctum ab anima ergo habet esse distinctum ab illa; ergo non subsistit per eius subsistentiam. Conf. 3. Non potest in eodem substantiali composito esse duplex subsistens vt *quod*, alioquin vtriusque confiteretur vnũ ens per accidẽs cõflatũ ex duplici ente cõpleto in actu (nam quodlibet subsistẽs vt *quod* est ens completum in actu) sed si compositum subsisteret subsistentia animæ rationalis, & non è contra cõtingeret quod anima nostra etiam vt informans materiam esse subsistens vt *quod*, quia esset subsistens per se & à se, aliàs etiam dici potest, quod compositum subsistat vt *quo*, hoc enim per se patet, cũ illi per se primo competat esse substantiam primam, hoc aliquid & esse personam, & fieri, quod est compositorum, & subsistentium, vt *quod*, ergo.

8 Resp. ex dictis, quod cõpositum solum habet esse perfectius secundum quid, quam anima, & ideo ex hoc capite non repugnat subsistere per animæ subsistentiam. Ad 1. Conf. nego sequelam, nam vt corrumpatur cõpositum sufficit separari ab illo esse animæ rationalis, sic enim verificatur, quod transit compositum, de esse ad non esse dissoluta vnione animæ ad corpus, & remanente anima cum suo esse, in statu separationis. Ad 2. dist. mai. omne ens, habet esse sibi proprium si sit ens completum spirituale cõcedo, si sit ens incompletum, & materiale nego ma. & dist. min. Compositum habet esse distinctum realiter ab anima, esse inquam, quidditatis materialis ratione materiæ concedo esse spirituale nego, nam esse existentiæ, & subsistentiæ, quod spirituale est, habet ab anima. Vnde nego conseq. Ad 3. Respon. negando quod anima nostra quatenus informat materiam, & constituit compositum subsistat vt *quod* idest, vt ens, completum, quamuis subsistat per se vt *quo*, idest independenter à materia, & eius inhærentia, per hoc enim solum sufficien-

ter distinguitur à formis materialibus, & potest dici quod est est per se subsistens, & hoc quia anima in toto subsistit vt pars, ergo incomplete, & vt quo.

## QVAESTIO III.

*An anima rationalis dum vnitur corpori fit vera corporis forma, non tantum, vt est vegetiua, & sensitiua sed etiam vt rationalis est?*

1 DIcendum est 1. Certum est animam rationalem entitatiuè esse veram corporis formam, ac perinde saltim hoc verum esse, quatenus dat corpori esse vegetatiuum, & sensitiuum. Quod anima sit vera corporis forma secundum suam entitatem, de fide est, diffinituraque in Concilio Viennes. sub Martino V. & habetur in Clement. de sum. Trinit. & fide Cathol. & in Concil. Lateran. 3. Sess. 8. sub Leone X. est etiã Arist. lib. 2. de anima text. 11. Vbi cõtra Platonem insinuat animam non vniri corpori, vt motorem, sicut natura vnitur, naui, sed vt veram formam, vbi etiam docet diffinitionem animæ, quod scilicet sit actus corporis organici, omni animæ conuenire etiam rationali, quamuis hęc in aliqua parte potestatiua, idest in intellectu, qui est eius potentia, non sit affixa organo informatiuè, quia intellectus non est actus corporis, & hoc latè etiam alibi ostendit.

2 Prob. concl. rat. D. Tho. Experientiæ percipimus non sentire, & vegatitiuas operationes exercere, ergo aliquid est in nobis quo hæc opera vitaliter exercemus, mouendo nos ipsos, ergo aliquo, quo primo corpus redditur viuens principium operationum istarum operatiuè, si quidem vnumquodque operatur in quantum est in actu, & operatur vitaliter quatenus in se habet primum actum, & principium quo operetur, sed quo aliquod primo constituitur in acto, est forma, & quo constituitur in actu ad operandum vitaliter est anima, ergo in nobis anima rationalis secundum suam entitatem informat corpus secundum gradum vitæ vegatitiuæ, & sensitiuæ. Conf. quo constituitur aliquid formaliter tale intrinseca forma est informans intrinsecè, ideoque albedo nonnisi informando constituit corpus formaliter albam, sed homo formaliter constitutus viuens vita substantiali vegetatiua, & sensitiua (sunt enim ista prædicata essentialia generica hominis;) ergo ab entitate animæ rationalis informantis intrinsecè proueniunt ista prædicata formalia hominis, ergo entitas nostræ animæ saltim secundum istos gradus vitæ substantialis informat corpus humanum vera informatione intrinseca.

3 Dicendum est 2. Anima secundum quod est intellectiua, & rationalis informat corpus, est-

quæ vera illius forma. Ista concl. est conformis ei. Conc. Viennensi, relato, in Clement. de sum. Trinit. Vbi damnantur asserentes, aut vertentes in dubium: *Substantiam animæ rationalis, & intellectiuæ per se essentialiter non esse corporis formam.* Est communis inter Thomistas, & alios Philosophos, & prob. ex illo Genes. c. 2. Vbi fit sermo de infusione animæ, & dicitur: *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* In Hebræo autē *Spiraculum vitarum.* Idest omnis generis vitæ, qua homo vivit, sed anima, vt informante, viuit homo ergo anima infusa est illi, vt sit forma eius, etiam secundum gradum vitæ essentialis intellectiuæ Conf. 1. Homini conuenit essentialiter esse ad imaginem Dei, vt dicitur Genes. 1. sed hoc cōuenit illi nō secūdi in corpus, neq; secundū alios gradus, sed secundum quod rationalis, vt docet expresse Aug. lib. 21. contra Faustū in c. 2. ergo anima, vt rationalis informat. prob. conseq. aliàs nā que non constitueret hominem essentialiter in ratione imaginis, quia forma non constituit nisi secundū quod informat. Et prob. vlt. si anima, vt rationalis nō informaret, sed tantū assisteret non posset dici homo factus ad imaginem Dei ratione animæ, quia nec Cæli dicuntur facti ad imaginem Dei, & si illis assistat Angelus, vt motor, quid est ad imaginem Dei, neque nauis mota à nauta, qui est similis Deo, secundum quod homo, potest dici ad imaginē Dei, quia nec Angelus informat cælum, neque nauta nauim.

4 Idem constat ex Arist. hic lib. 2. text. 7. vbi docet animam esse: *Quo viuimus, & intelligimus primò.* Sed anima, vt rationalis, est quo intelligimus, & hoc exercere non potest, nisi vt informans, quia non viuitur, nisi per intrinseca, ergo informat anima, vt rationalis. Et text. 25. & 26. docet quod hic homo intelligit, quia principium intellectiuum, est forma ipsius, & 12. metaph. text. 17. loquens de anima, vt informāte, & constituente corpus viuum docet contra Platonem non recipere animas ante corpora, & si aliqua anima, idest rationalis, possit post corpus viuere secūdum quod intellectus, ergo sentit quod anima, vt intellectiua constituit, viuens, vt forma.

5 Hoc idem expresse docet D. Tho. 1. p. q. 76. ar. 1. Eo agit aliquid quo fit in actu, quia vnumquodque agit in quantum est in actu per formam, sed homo intelligit, ergo quatenus fit in actu intellectiuus per suam formam, ergo anima rationalis, & intellectiua est forma hominis, sed est forma eius quatenus informat, ergo. Conf. 1. Homo secundum suā vltimam differentiam essentialem est rationalis, & intellectiuus; sed vltima differentia compositi substantialis sumitur à forma; vt constituiua, & vt informatiua est, ergo. Conf. 2. Propria ope-

ratio cuiuscumque rei eius naturam ostendit, sed propria operatio hominis, in quantum homo est intelligere: ergo per eam ostenditur naturam eius esse intellectiuam, sed natura, & species rei per formam constituitur quatenus dat gradum specificum, & informat secundum illum gradum; ergo anima rationalis informat secundum gradum intellectiuæ, & rationalis.

6 Arg. 1. cont. 1. conclus. Entitas animæ, est per se subsistens, & spiritualis, ergo, non informat corpus, probat. conseq. quod informat alteri inexistit, quod vero est per se subsistit, & in se est; ergo alteri non inexistit, ergo anima nostra si est per se subsistens, & non inexistit corpori non informat illud. Præterea quod informat, aliquid, illi communicat suum esse; sed anima est entitatiuè spiritualis, ergo si informaret corpus illi daret esse spirituale, at corpori spirituale esse repugnat, ergo etiam repugnat quod anima nostra secundum suam entitatem corpori sit intrinseca forma. Conf. 2. Res spiritualis non habet proportionem cum re corporea, sed interformam, & subiectum connaturale debet esse proportio, ergo anima rationalis, quæ est entitas spiritualis, non est vera corporis forma. Conf. 3. Forma naturalem appetitum habet ad materiam, sed anima non habet naturalem appetitum ad materiam, eo quod per illam impeditur à propria operatione intellectiua, ergo.

7 Resp. quod formæ per se subsistenti non repugnat inexistere alteri, tamquam comparti, ad constituendam substantiam completam, & compositam. Ad 1. cōf. Respon. quod anima est corporea vt quo, & spiritualis, vt quod, & de ratione formæ, est esse id quo aliquid est, & ideo non sequitur, quod corpori det esse spiritū, sed solum quod det esse corpori, cuius ratio est, quia materia non comprehendit totum esse animæ, quia non est materiæ immersa, vt notat D. Thom. quæst. de spiritualib creat. art. 2. ad 4. *Dicitur enim anima corporea quatenus dat esse corpori spiritus autem in quātū est eleuata corpore.* Ad 2. quod, & si corpus infimū nō habeat proportionem ad spiritum habentem esse supremū, & cōpletum, at corpus dispositum dispositione perfectissima potest habere proportionem cum anima, quæ infima est in linea substantiarum spiritualium; quia supremum infimi attingit infimum supremi. Ad 3. quod anima non impeditur per se à sua connaturali operatione intellectiua per corpus cum in eo accipiat species à rebus, at per accidens potest impediri, quod non tollit quin corpus sit terminus inclinationis, sicut forma gladij, petit pro materia ferrum, vt secet, & tamen si ferrum rubiginem contrahat impeditur; sed hoc est per accidēs. Vide D. Thom. 1. p. q. 83. ar. 6.

8 Arg.

8 Arg.2. Si anima rationalis vniretur corpori, vt forma, & nõ tantum vt motor, sequeretur quod tota esset in toto, & tota in qualibet parte corporis; neque enim aliter posset informare totum corpus, cum sit indiuisibilis, sed inde sequitur totam animam moueri simul in vna parte, & quiescere totam in altera; at idem simul moueri, & quiescere repugnat, quoniam motus, & quies sunt cõtraria, vt dicitur 2. phisic. text. 54. ergo repugnat animam nostram vniri corpori, vt formam, § Resp. cum D. Thom. quæst. de anim. ar. 10. ad 12. non esse impossibile, aliquid moueri, & quiescere, sub diuersa ratione, & ita vt vnũ per accidens conueniat in quo non est maior repugnantia quã in eo, quod simul moueatur motibus oppositis, ad contraria loca, vt nauta quando graditur motu cõtrario, ad motum nauis, & Cœli qui ad contrarios terminos mouentur. Sic D. T. Bann. autem 1. p. p. q. 76. a. 1. dub. 1. ad 3. aliter resp. quod nec tũc quiescit anima per accidens, quia non secundũ se totam mouetur, & quiescit totaliter, sed in diuersis partibus, & porẽ tijs quatenus vna mouet aliã immota manente anima in se: hoc enim absurdum solum sequitur in sententia Scoti asserentis quod potentiæ proximê operatiuæ sunt indistinctæ ab anima.

9 Cont. 2. conclus. arg. 3. ex Arist. lib. 2. de anima text. 11. vbi ait. Obscurum esse & nondum demonstratum, an sicũt aliquæ potentiæ, scilicet intellectus, & volũtas sũt separabiles à corpore, quia non sunt actus organo affixi; *Perinde corporis, anima sit actus, vt gubernator actus est nauis.* Ergo tẽpore Ari. probabile erat animã saltim vt intellectiuã nõ informare, nã probabile est alicui illud cuius oppositum non est demonstratum in linea scientiæ naturalis. Conf. ex Ar. de partibus animal. c. 1. post medũ, vbi ait. *Constat igitur, non de anima omni, differendum esse a Philosophis, quandoquidem non omnis anima natura est, sed aliqua eius pars vna aut plura* (& loquitur de anima intellectiua;) atqui paulo antea dixerat ibi sicut & docuerat 1. phisic. omnem formam naturam esse: ergo si ideo anima vt intellectiua, non attinet ad phisicum, quia vt sic non est natura; sequitur sentire, quod vt sic non sit forma.

10 Resp. Arist. nihil aliud tunc intendisse, quam quod illuc vsque non demonstrauerat plenê contra Platonem, animam etiam, vt intellectiua vniatur corpori vt forma, an vt motor, sed alib hoc demonstrandum esse, nempè in 3. lib. aut in meth. lib. 12. in text. citatis, ex quo non sequitur illi esse probabilem sententiam Platonis; sed tantum in eo loco in sua obscuritate, hoc relinquere, & non demonstrare. Ad 2. textum ex dictis in proem. respond. quod Arist. solum ibi intendit animam

nostram non esse naturam, quatenus est separabilis, quia sic motus intelligendi cum nõ pẽdeat ab aliquo sensibile phantasmate, non habet anima rationem naturæ, quæ est principium motus naturalis sensibilis, nec attinet ad considerationem philosophiæ, nã quod anima rationalis spectet ad considerationem philosophiæ, vt inest corpori, docet Arist. 2. phisi. text. 26. vt notat D. Thom. citata q. 76. art. 1. ad 1. & sic est separata à corpore, non secundum essentiam, sed secundum virtutem, seu potẽtiam intellectiuam.

12 Arg. 4. ad idem. Si anima, vt intellectiua esset forma corporis, vt sic non posset esse principiũ intelligendi, ergo repugnat animam, vt intellectiua est informare; prob. ant. de ratione intelligentis est recipere formas immaterialiter, & vniuersaliter, sed si anima, vt intellectiua informaret, haberet modum essendi materialem, & limitaretur à materia ad singularitatem cuius ipsa est principium, quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis: ergo non posset anima esse principium recipiendi species immaterialiter, & in vniuersali, ac per consequens, nec posset esse principium intelligendi; ℣. Resp. ex Doctrina D. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. quod in primis anima non recipit species, sed hoc attinet ad intellectũ possibilem, qui hac ratione dicitur locus specierum ab Aristot. 3. de anim. text. 7. intellectus autem non est actus corporis, vt iam diximus ex Arist. ibidem, anima autem potest esse radix intellectus sic recipientis species immaterialiter, & inuniuersaliter, quia non pendet in esse à materia, & hinc directè, resp. ad argum. quod adhuc dato, & nõ concesso, quod anima non distingueretur à potẽtia intellectiua, posset esse forma corporis, & simul recipere species immateriales, quia suum esse est immateriale, & independens à materia, & ideo non limitatur ad esse materiæ, sed eam superexcedit, quia non est anima immersa materiæ, vt repetit D. Thom. ibi ad 4. & ideo recipi in materia ad modum recipientis, non stat in eo quod accipiat modum essendi materialem, sed in eo quod sit pars incompleta constitutiua, cõpositi, quia non comprehenditur à materia, neque est illi immersa.

12 Arg. 5. ad idem. Anima vt intellectiua non reddit corpus intellectiuum: ergo, vt intellectiua non informat. prob. conseq. nam forma per informationem communicat suum esse subiecto, vt pareat inductiuè, nam albedo, faciendo album, informat, & calor calidum. Resp. Soncin. 12. Meth. q. 25. quod esse intellectiuum habet anima effectiuè, & sic non debet illud communicare corpori, quia anima communicat esse subiecto nõ autẽ efficere. Sed cõtra est, ergo si anima, vt intellectiua est forma corporis, dabit illi esse intelle-

ctiuum sicut dat esse viuens, quia vita in viuentibus est esse, sed falsum est corpus hominis esse intellectiuum, ergo, & falsum est animam, vt intellectiuam informare corpus. Resp. quod cum corpus non sit capax habendi intellectum vt formam, seu actu, nec habet esse viuens intellectiuum, quia hoc radicat intellectiuam operationem mediante intellectu, sed eatenus informatur corpus anima, vt intellectiua quatenus fit pars actualis compositi intelligentis, quod habet a forma, vt intellectiua.

## QVAESTIO IV.

*Vtrum omnes animæ rationales sint eiusdem perfectionis indiuidualis, & vnde sumatur principium eas indiuiduandi, & anima fœminæ, an substantialiter differat ab anima masculi?*

1 DIcendum est 1. Animæ rationales secundum rationem, indiuidualem substantialiter sunt inæqualis perfectionis. Sic M. Sent. distinct. 32. & ibi communiter interpretes. Et de mente D. Thom. in distin. 8. quæst. 5. articul. 2. & 1. part. quæst. 85. art. 7. adeo certum est, vt Caietan. ad hunc vltimum locum dixerit cœcos esse, qui hoc non perspiciant in Diu. Thom. Prob. conclus. ex Aristotel. libr. 2. de anim. text. 24. & 26. vbi docet quod: *Forma, seu actus agentium, in eo quod patitur inesse videtur. Et inest in corpore, atque in corpore, tali non in quouis sine discrimine vllo*; ergo sentit quod anima non proportionatur cum quocumque corpore, sed cum eo vt est dispositum, at corpora, non sunt æqualis perfectionis indiuidualis; ergo neque animæ sunt æqualis perfectionis indiuidualis, prob. conseq. nam æquale, ad inæqualia non proportionatur. Suadet etiam D. Tho. 1. p. q. 85. artic. 7. per hæc verba: *Manifestum est autem, quod quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortitur animam.*

2 Prob. in primis ratione. Quæ sunt specie diuersa inæqualia sunt secundum prædicata substantialia differentiæ specificæ, quia species sunt sicut numeri (vt tenet Aristotel.) ergo, quæ sunt diuersa indiuidualiter, etiam sunt inæqualia secundum prædicata differentiæ substantialis indiuidualis, prob. conseq. Tum quia differentia non inuenitur si sit æqualitas in ea ratione, quæ est æqualitas, ergo quæ differunt indiuidualiter inæqualia sunt indiuidualiter. Tum quia differentia indiuidualis substantialis, est intrinseca. Tunc vltra, sed animæ non differunt specie, aliàs Christus non esset eiusdem speciei cum alijs hominibus, ergo animæ sunt inæquales, in perfectione intrinseca substantiali indiuiduali.

3 Prob. vlterius. Homines sunt inæquales in intellectu, præstantior, namque est intellectus, Aristotelis, quam stultorum ingenia, ergo & animæ radicantes huiusmodi potentias, etiam sunt inæquales (& magis viget in sent. Scot. afferentis intellectum identificari cum anima) prob. conseq. nam cum huiusmodi potentia necessariò, & impulsu naturæ dimanet ab anima, & causa naturalis agat quantum potest, si non sit impedita, sequitur, quod si non dimanat præstantior intellectus, non est maior virtus in hoc individuo animæ, quod vero ibi nullum impedimentum obstet videtur certũ quia si aliquod obstaret maximè diuersa dispositio organorum, at intellectus non est potẽtia affixa organo, aut illi inhærẽs, ergo agit natura secundũ totũ, quod potest maximè in sentẽtia asserẽtiũ, quod hæc dimanatio est vera actio animæ, in nostra etiam vrget, quia ea dimanatio, & si fit actio producentis naturam animæ, tamen iuxtà eius exigentiam operatur, & ideò nisi sint animæ inæquales, nec proprietates dimanentes erunt inæquales imperfectione. Quod si diuersa dispositio organorum, & corporis inæquales reddunt intellectus, qui non informant, corpus quanto magis reddent inæquales animas, quæ verè informant corpus, non vtcumque, sed dispositũ; quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, ita quod sicut animæ multiplicantur ad multiplicationem corporum, sic etiã ad eorum proportionem habent esse individuale. Vnde sicut vasa inæqualia solum possunt recipere liquores in quantitate inæquali, sic diuersa individua corporum inæqualia, diuersas, & inæquales animas recipere possunt. Vnde, & Aristot. lib. 2. de generat. animal. sic docet: *Prout nobilitate ignobilitatiuè animæ differunt, & natura eius corporis differt*. Tum etiam inæqualibus corporibus inæqualiter cõmunicari non possunt animæ, quia inæqualium corporum capacitas, inæqualis est, sicut aqua æqualiter communicari non potest vasibus inæqualibus, corpora autem sunt vasa animarum test. Augustin.

4 Ad hoc argum. D. Thom. quod valde vrget, quia respond. negato antec. alij dicunt differre, & esse inæquales intellectus inæqualitate extrinseca ratione organorum ministrantium species, ratione quorum intellectus sunt inæquales, & nõ ratione animę à qua dimanãt. §. Sed non est quod hæ betioris ingenij homines soleant plus vigere sensibus, & quo magis senectus increscit, eo prudentiores homines reddantur, & tamen sensus, & organa deterioris sunt conditionis; ergo intellectus ex se habet suas vires prout procedit ab anima, quæ secundum complexionem individualem, inæqualis est, & non habet hoc a sensibus. Tum etiam omne medium à natura proportionatur fini, & non è

con-

contra; sed complexio, & organizatio corporis, est propter animam, & eius intellectum, vt egregiè docet Arist. hic 2. lib. tex. 37. ergo si intellectus, & animæ non essent inter se inæquales substantialiter, non essent inæqualia organa, sicut neque essent organa, si nõ esset anima illis indigens ad suas potentias, & operationes, ergo ex eo introducuntur ab agente naturali dispositiones inæquales, quia animæ sunt inæquales, & ideo diuersa perspicacia sensuum, quia diuersæ perfectionis est intellectus.

5 Denique prob. Animæ in seipsis fundant relationem identitatis specificæ ad alias eiusdem speciei, & diuersitatis individualis ad alia individua animarum, ergo, quia in seipsis habent principia diuersitatis, & vnitatis conuenientię, & disconuenientiæ, sed discõuenientia necessariò inæqualitatem dicit sub eadem specie, nam si hæc non esset, non posset esse diuersitas, ergo. Tum etiam. Visiones beatæ sunt eiusdem speciei in omnibus hominibus, cum sint ad idem obiectum primarium, & tamen inæqualitas est in illis, quia inæquale erit præmium beatitudinis, & maiorem gloriam habet anima Christi, quàm alij homines; ergo in eadem entitate inueniri potest æqualitas specifica, cum inæqualitate numerica. Vlterius possibilis est inæqualitas animarum individualis, in statu separationis, sed non alio modo esset quam modo est, quando operationes intelligendi, & volendi ex quibus requirimus quantitatem perfectionis in principio, & in radice operandi; ergo modo dicendũ est animas inæquales esse, mai. autem immeritò negabitur, quia hoc non repugnat ex ratione substantiæ, neque ex eo quod non sit insensibilis, nam figuræ non sunt insensibiles, & tamen vna est pulchrior altera, & tamen ea inæqualitas stare potest cum eo quod substantia sit ens per se, ergo ex ratione substantiæ non prouenit repugnantia, alioquin in speciebus substantialibus, non esset inæqualitas, ergo citra intendi, aut remitti, & intra hoc quod est esse substantiam possibilis est inæqualitas individualis substãtialis qua semel posita, absque intensione eiusdem numero animæ potest inæqualitas inueniri in diuersis numero actionibus.

6 Dicendum est animam masculi substantialiter esse ex se perfectiorẽ anima feminæ. Prob. ex D. Thom. in 2. dist. 24. quæst. 2. art. 1. ad 2. vbi docet animam Adæ perfectiorem fuisse anima Euę: *Quia etiam tunc secundum diuersitatem corporum diuersa fuisset dignitas animarum, cum oporteat anima ad corpus proportionẽ esse, vt forma ad materiam, & motoris ad motum, & ideo mulier etiam quantum ad animam viro imperfectior erat.* Prob. conclusione Diu. Thom. Animæ habent perfectionem, & dignitatem, ex

propositione ad corpus, sicut forma cum materia, & motor cũ mobili; sed corpus fœminæ imperfectior est corpore viri: ergo, & anima, prob. min. quia fœminam gigni, & non marem non provenit ex intentione agẽtis particularis, sed ex defectu, & monstruositate aliqua, vt docet Arist. ergo corpus fœminæ imperfectus est, nam est bonum tantum occasionatũ propter propagationem. Tum etiam, nam hac ratione non permittebat Deus in sacrificia assumi fœminas sed solum masculla animalia ad altare, vt adnotat Diu. Thom. 1, 2. quæst. 92. art. 3. ad 9. *Quia fœmina est animal imperfectum*, ergo Conf. nam hac ratione, vt ait Paulus ad Ephes. 5. & 1. ad Corinth. cap. 11. quod vir caput mulieris est, & monet ibi fœminas, vt subditæ sint viris suis, & idem prædicat Petrus Apost. 1. cap. 3. quod ideo monent Apostoli, quia mulier imperfectioris sexus etiam imperfectioris est intellectus, & ideo debet regi à viro sicut mẽbra corporis à capite, & non ẽ contra.

7 Cont. 1. concl. arg. 1. Omnis inæqualitas substantialis, & intrinseca formæ est formalis; omnis inæqualitas formalis causat distinctionem specificam, quia formæ dant speciem, & quolibet, & addita, ac detracto in specie, mutatur species, sicut cõtingit in numeris, ergo impossibile est, animas quæ formæ sunt æquales esse in ratione specifica, & nihilominus esse inæquales intrinsecẽ, & substãrialiter, & ideò tota illa inæqualitas erit extrinseca, & proveniens à corporum inæqualitate, ℣. Respon. cum D. Thom. in 2. dist. 32. q. 1. art. 3. ad 1. quod diuersitas formarum est duplex quæ dã, quæ est formæ secũdũ id quod ad rationẽ formæ pertinet, & talis diuersitas, diuersitatem speciei inducit, est autem aliæ diuersitas formæ non per se, sed per accidẽs, ex diuersitate materiæ resultans, secundum quod in materia melius disposita dignius forma participatur, & talis diuersitas speciem, nõ diuersificat, & hæc reperitur in anima, hoc etiam respondet 1. par. quæst. 85. art. 7. ad 3. ℣. Si instes hinc colligi, quod anima rationalis pendet à corpore siquidem aliquod esse intrinsecum habet dependenter à corpore; sed hoc est falsum, ergo. Resp. ex D. Thom. quæst. vnica de anim. art. 8. quod dependentia illa, non est à corpore, tanquam à principio essentialiter constituente animam, sed tamquam ab occasione, vel instrumento, & quasi per accidens, & ideò non sequitur quod per hoc, quod anima individuetur in ordine ad corpus, dependeat ab illo in suo esse simpliciter.

8 Arg. 2. Si diuersitas, & inæqualitas intellectus desumeretur in ordine ad individualem cõplexionem corporis, ergo hac mutata, vel debilitata, mutaretur perfectio intrinseca intellectus; sed hoc est falsum, nam in sensibus vbi debilior est complexio, viget ta-

ratio, ergo. Conf. Intellectus in corpore absolutus est, vt dicitur, 3. de anima text. 19. & 20. ergo inæqualitas intellectus non prouenit ab imparitate corporum, ac per consequens ex eo quod corpora sint inæqualia, non sequitur animas intellectiuas substantialiter esse inæquales, §. Resp. quod individuatio non sumitur nisi à prima æua temperatura materiæ, non vero pendet a subsequentibus mutationibus, & ideo etsi mutetur complexio, vel debilitetur, non deficit intellectus, sed perficitur ab experientia, & longo exercitio. Ad conf. Respond. D. Thom. in loco relato in sentent. ad 6. quod etsi intellectus sit abstractus a corpore, quantum ad propriam operationem, non tamen quantum ad animam, quæ est eius radix, & est forma corporis; neque quantum ad inferiores vires, ex quibus intellectus accipit species, & ideo diuersitas corporũ in diuersitatẽ intellectus redundat.

9 Arg. 3. Si omnia individua eiusdem speciei, essent entitatiuè inæqualia, brevissimo temporis curriculo mundus finiretur, sed hoc est falsum, vt cõstat. Tum ex duratione iam transacta. Tum quia naturaliter durabit ferè in infinitum, nec a natura potest præfiniri terminus: ergo & falsum est, vnde, & hoc consequitur, prob. mai. omne generans non potest generare individuum perfectius se, quia imperfectum, perfectum causare non potest; ergo debet generare imperfectius somnia individua sunt inæqualia, at si finito detrahatur semper, & continuè aliquid necesse est ad finem breuiter peruenire, ergo, §. Resp. quod etsi causa vniuoca nequeat causare effectum perfectiorem in specie, potest tamen perfectiorem efficere in ratione individuali, ex varia alteratione materiæ, & dispositione matricis in qua formatur fœtus, ideoque, & virtus agẽs fortificari potest ex vario stellarũ aspectu, & materia facilius percipere actionem agentis, & hac ratione, claudus generat hominem integrum, pusillus procerum, & robustum debilis, ingeniosum, stultus, industrium, socors, stolidus, vel iners. Vide Caiet. 1. p. q. 5. art. 3. & ideo non sequitur absurdum, quod si individua sint inæqualia in perfectione substantiali breuiter mundus periturus sit.

10 Cont. 2. conc. arg. 6. Plures fœminæ repertæ sunt, vt ex historijs constat, post gestatum vterum, & ablactatum fœtum, repente in viros immutatæ, at si diuersitas sexus importaret in anima, substantialem diuersitatem hoc esset impossibile, sicut vnum individuum in alterum mutari non potest, quia suam substantiam variare est impossibile, ergo diuersitas sexuum non infert inæqualitatem substantialem animarum, §. Sed his facili negotio fit satis, aut negando historias, quæ potius fabulæ sunt Ouidianæ, & cõmentitia methamorphosis, ar-

dicendo eas fœminas non purè fœminas, sed androgynos, aut hermaphroditas fuisse, & de cursu temporis, prævalente sexu virili occulto in viros non in re, sed ad speciem mutatas, de quo Maluend. l. 8. de Antichristo cap. 11.

## QVAESTIO V.

*An omnis substantia immaterialis eo ipso sit intellectiua?*

1 AN eo ipso, quod substantia sit immaterialis, sit etiam cognoscitiua, itaut radicet necessariò intellectum, tanquam veram proprietatem, illumque exigat connaturaliter, latuit Augustinum, & ideo lib. 2. de Genes. ad litteram reliquit alijs determinandum quod egregiè præstitit D. Tho. 1. p. quæst. 14. art. 1. ex Arist. lib. 3. de anim. text. 26. & 124.

2 Dicendum est igitur omnem substantiam immaterialem eo ipso quod talis est esse intellectiuam, & exigere potentiam intellectiuam tanquam veram proprietatem. Sic Arist. & D. Thom. locis proximè relatis, & communiter Thomistæ tam hic, quam 1. p. quæst. 14. art. 1. Prob. conc. Adæquata ratio ob quam aliqua substantia est intellectiua, est, quia est capax fieri omnia suscipiendo formas rerum sine materia, & sine conditionibus materialibus, vt docet Arist. 3. de anim. text. 121. sed eo ipso quod substantia sit omnino immaterialis hoc habet, ergo eo ipso ac est intellectiua, exigit pro passione potentiam intellectiuam; nam cum esse intellectiuum in linea vitæ sit, & dicat perfectionem, & vita sit operatiua, quod essentialiter intellectiuum est radicaliter exigit instrumentum, quo proximè operari possit, & viuere, conseq. est bona ma. Arist. & prob. min. Tum quia ideo plantæ non sunt cognoscitiuæ, quia formæ earum sunt omnino materiales, nec eleuantur supra materiam, & omnia cognoscentia eatenus excedunt in modo cognoscendi, quatenus perfectiori modo eleuantur supra materiam, & reddutur immateriales, & sic sunt capacia recipiendi formas sine materia: ergo si substantia est omnino immaterialis eo ipso erit capax recipiendi formas rerum omnino immaterialiter, & sine materia, & sine conditionibus materialibus, min. est Arist. 3. de anima text. 121. & experiẽtia etiam constat. Tum etiam eatenus aliquid est capax effici alia, & recipiendi formas aliorum, quatenus sua forma non est coarctata, & limitata. Nam in eo ipso est capax, & ampla recipiendi formas aliorum, & fieri alia à se: sed materia sola est, quæ coarctat, & limitat formã: ergo eo ipso quod substantia est omnino immaterialis capax est recipiendi formas aliorum absque materia, & absque vlla conditione materiæ, ideſt

per

per modum formæ, & in vniuersali absque limitatione, & coarctatione ad ~~in~~dividuationem.

3 Conf. 1. Eo ipso quod substantia sit immaterialis, & subinde per se subsistens habet esse perfectissimum in gradu entis substantialis creati: neque enim imaginari possumus gradum entis substantialis, similiorem Deo, & superiorem in linea entis, ergo eo ipso est in linea viuentis causari, nam aliàs non esset in gradu perfectissimo substantiæ creatæ: ergo debet esse vinens vita perfectissima: ergo intellectiua, ergo eo ipso, ac substantia est immaterialis expersque materiæ, quæ limitat, & imperficit, debet esse intellectiua. Ex quo constat talem substantiam necessariò fore operatiuam, quia esse actiuum operatiuè perfectionem dicit ex se simpliciter simplicem, quæ in Deo reperitur, ergo si substantia illa esset in supremo gradu entis substantialis, esset in linea substantiæ radicaliter operatiuæ operatione generis perfectissimi, quale est intellectiuum, quia operari sequitur ad esse, & perfectius operari ad perfectius esse, & inde probat Arist. 12. meth. Deum esse intellectiuum, quia est perfectissimum ens. Si autem hæc ratio non admittatur, difficillimè probabitur ratione naturali Deum esse intellectiuum, si non probetur ex eo quod est immateriale ens perfectissimum super omne ens creatum aut creabile.

4 Cont. concl. arg. 1. Non repugnat substantia completa & perfectior operatiuis, quæ non sit operatiua nec viuens, ergo non repugnat substantia immaterialis completa, quæ sit perfectior alijs, & tamen non sit cognoscitiua, conf. videtur bona à paritate & à destructione nostri fundamenti, & antec. constat in Cœlis, qui quidem cum sint incorruptibiles ex genere suo perfectiores sunt substantijs materialibus corruptibilibus, & tamen neque sunt operatiui, neque viuentes: ergo. Quod & clarius apparet in Cœlo Empyreo, quod est perfectissimum corpus, vtpote sedes Dei & Beatorum, & tamen non est operatiuum, vt docet D. Thom. in 2. distin. 2. quæst. 1. art. 3. vnde licet ipse D. Thom. 1. p. quæst. 66. art. 3. ad 2. & quodl. 6. art. 1. doceat Cœlum Empyreum influere in inferiora conseruationem, tamen oppositum, ibi docet, esse probabile, & hoc dato influit instrumentaliter virtutem conseruatiuam & non habet causa principalis. ℣. Si dicas Cœlos etsi ratione incorruptibilitatis sint perfectiores substantijs inferioribus corruptibilibus, tamẽ simpliciter esse imperfectiores, quia nec sunt operatiui, neque viuentes. Contra est, ergo etsi substantia completa ex vi immaterialis generis sit perfectior, substantijs materialibus, poterit esse simpliciter imperfectior substantijs materialibus operatiuis, & cognoscitiuis, ac

per-

perinde non pugnabit substantia completa immaterialis, quæ non sit cognoscitiua, neque viuens, neque operatiua.

5 Resp. quod si semel concedunt substantia immaterialem non esse operatiuam, & viuentem facilè conuincetur non posse non esse cognoscitiuam, quia vita vegetatiua & sentitiua sunt affixæ organo corporeo, ergo, quod est incorporeum & viuit, non potest non viuere vita intellectiua, ℣. Resp. ergo quod incorruptibile ens materiale optimè potest esse non operatiuum, quia solum informatur incorruptibiliter forma corporeitatis sub gradu entis corporei incorruptibilis, & ideo ex quo incorruptibile ascendat ad suppremum gradum corporeitatis, optimè potest esse non operatiuum, quia nõ ascendit ad gradum entis substantialis operatiui, & habentis organa aut potentias operatiuas: at eo ipso quod sit ens substantiale completum & immateriale, necessariò in linea entis incorporei, & spiritualis est subsistens per se, & potens omnia fieri: ergo erit substantia intellectiua, quæ in nullo alio consistit quàm in eo quod possit omnia fieri; quod etiã cõstat, quia hoc ipsũ quod est esse ens pure immateriale est esse intelligibile per se ipsum, sed intelligibile perfectius est quã intelligẽs, vt optime ait Arist. 12 Meth. text. 50. l. 7. & ideo ait ibi text. 36. quod prima immaterialis substantia mouet sicut intelligibile, & sicut bonũ desiderabile: ergo in linea intelligibili esset illa substantia immaterialis perfectior alijs substantijs intellectiuis, ergo esset intellectiua substantia, nam quod ex natura sua habet supremum, etiam habet quod in illa linea est minus. Vnde si daretur purum coloratum subsistens, necessariò esset per se ipsum videns, quia esset se ipso actu visibilis, & esse visibile in linea hac est perfectius quam videre, quia obiectum comparatur ad potentiam vt actus ipsius, vt docet Arist. sed clarius hoc docet idem lib. de anima text. 15. in his quæ sine materia sunt, intelligens, & id quod intelligitur idem sunt.

6 Arg. 2. Voluntas est immaterialis entitatiuè, & tamen non est intellectiua accidentaliter: ergo poterit dari substantia immaterialis, quæ non sit intellectiua. ℣. Resp. voluntas non est intellectiua formaliter concedo, consequenter nego, sequitur enim ad principium intellectiuum, & ad obiectum intellectum est que eius inclinatio: ea autem substantia esset appetitiua ex consequenti, & primario intellectiua. Vnde & relationes diuinæ eo ipso quod sunt substantiales & immateriales, nequeunt non esse in linea intellectiua & volitiua. Vnde etiã quidquid est in linea immateriali intellectiuum est, vel antecedenter vt intellectus agens, species, & habitus, vel formaliter vt intellectus possibilis, vel consequenter

ter vt voluntas, at substantia immaterialis hæc omnia est radicaliter, nam radicat omnia hæc, aut passiuè, quatenus est capax fieri alia à se recipiendo species, aut actiuè intelligendo, & amando, & ideo debet esse intellectiua.

7 Arg. 3. Sic immeterialitas esset ratio à priori intellectualitas, quo substantia esset immaterialior eo esset magis intellectiua, sed hoc est falsum, nam anima separata est immaterialior, quam coniuncta, quia est magis alienigena à materia, & tamen non ita perfectè intelligit, vt separata, & ideò appetit visionem ad melius intelligendum, vt ait D. Thom. 1. p. q. 89. art. 1. & ideo Beati, resurgent quia ipsa separatio animæ retardat illam ne tota intentione feratur in Deum, teste D. Thom. 1. 2. q. 24. art. 4. ergo, §. Respon. negando animam in statu separationis non perfectius intelligere absolutè, quamuis autem proportione, & connaturalitate attenta non ita bene intelligat. Vnde resurgunt Beati, non vt melius videant Deum intensiuè, sed solum extensiuè, ideſt etiam in corpore beato, cui inclinantur, vt videre est in Caietan. ad illum locum 1. 2. nec Diu. Thom. refragatur.

8 Arg. 4. Eo immaterialitas esset ratio intellectualitatis, quia ea mediante potest substantia fieri alia à se, at hoc est falsum; ergo potest dari substantia immaterialis nõ intellectiua, prob. mi. Tum quia ratio quare materialitas impedit est quia determinat formam ad vnum individuum, sed immaterialis per se hoc præstat, nam totam speciem quantum est ex se reducit ad vnum individuum, vt docet D. Thom. 1. p. q. 50. art. 4. & huiusmodi substantiæ immateriales si sint completæ se ipsas individuant, ergo potius obest ne talis substantia fiat alia a se recipiendo formas aliorum quibus intelligat: ergo ea immaterialitas nõ est ratio intellectualitatis. Conf. Eo substantia immaterialis esset necessario intellectiua, quia est ratio recipiendi formas aliorum sine materia, sed inde non sequitur esse necessario cognoscitiuam, aut intellectiuam, nam aer, & speculum recipiunt species, & formas aliarum rerum intentionaliter & repræsentatiuè, & tamen non sunt cognoscentia, ergo, §. Respond. individuationem non obstare receptioni aliarum formarũ in esse repræsentatiuo, sed solam quando provenit à materia & reddit formam materialem, quia tunc impedit, nec recipiantur formæ aliarũ rerum sine materia, vt requiritur ad cognitionem, & ideo sentientia eatenus eas possunt recipere, quatenus elevantur supra materiam in operando, at individuatio quæ provenit ab immaterialitate hoc non impedit, sed potius hoc infert, ideoque est principiũ cognoscendi, & hoc ideo, quia vt recipiatur vna res in alia, & ad eam

eam pertineat, debet separari à materia, quæ eam facit propriam sibi, & hoc non potest fieri nisi recipiatur immaterialiter, & hoc esse non potest, nisi recipiens sit immateriale, quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, quod philosophatur D. Thom. quæst. 7. de ver. art. 2. in corp. Ad Confir. Resp. quod species non recipiuntur in aere, aut speculo, vt ipsum speculum, vel aer fiat alia à se in esse repræsentatiuo, sed in esse entis per modum accidentis componendo, & constituendo compositum accidentale cum subiecto, at immaterialitas facit, quod recipiantur formæ aliarum rerum, in esse repræsentatiuo, vt ipsum ens immateriale fiat alia à se & ideo aer nõ cognoscit, neq; recipit formas sine materia, sed ens quod est delatiuum repræsentationis, ens autem immateriale, recipit immaterialiter & intelligibiliter.

## QVÆSTIO VI.

*Quod sit obiectum formale adæquatum nostri intellectus.*

1 VNus & idem intellectus noster potest tripliciter considerari, vel in statu vnionis, quam habet ad corpus mediante anima, vel in statu separationis, vel in statu eleuationis, quatenus ratione potentiæ obedentialis potest eleuari ad videndum Deum, & ad cognoscenda omnia entia supra naturalia, & sic obiectum adæquatum intellectus nostri si formaliter consideretur, illud erit ad quod intellectus noster tanquam ad formale obiectũ tendere potest abstrahendo ab illis tribus statibus; sed tamen sicut intellectus in illos tres status distingui potest à nostra consideratione, sic etiam obiectum formale diuidi debet, aut in obiectum connaturale intellectus nostri pro hoc statu, proportionatum cum illo, aut in obiectum extensiuum, & secundum se improportionatũ ad quod non viribus naturæ, sed ratione potentiæ obediẽcialis, & virtute eleuationis, & virium supernaturalium extendi potest, aut in obiectum proportionatum cum intellectu in statu separationis, & de his omnibus aliquid est dicendum in præsenti.

2 Dicendum est 1. Obiectum adæquatum specificatiuum nostri intellectus in tota sua latitudine considerati, est ens in tota sua latitudine, secundum quod abstrahit à creato, & increato, reali vel rationis, ita tamen quod limitetur ad ens finito modo attingibile, nam ens increatum non cadit sub obiecto intellectus considerati secundum se, & vt infinito modo attingibile, quia hoc repugnat. Hæc conclusio est communis inter Thomistas, inter quos nullũ est dissidium etiam circa ens rationis, si attendatur modus infra exponendus, & est aperta in D. Thom. multis locis quos congeriẽ

rit Bergomensis in tabula. v. Intellectus num. 18. & in Concordantiis dub. 75.

3 Prob. concl. ratione D. Tho. Illud est obiectum adæquatum formale quod, respectu cuiuscumque potentiæ, quod primo & per se cadit sub potentia, & potest attingi ab illa, sed omne ens sub illa abstractione cadit sub attingētia possibili nostri intellectus, siue proportionatê, seu improportionatê, & prima ratio sub qua cadit, & est attingibile ab intellectu, est ratio entis, quia hoc ipsum quod est ens est cognoscibile, nullaque ratio est prior sub qua possit esse attingibile ab intellectu, ergo ens in tota sua latitudine, est obiectum adæquatum specificatiuum, & formale nostri intellectus secundum se, & in tota sua latitudine considerati. §. Cõf. Illud est adæquatum alteri, quod neque excedit, neque deficit ab illo: ergo illud est adæquatum obiectum potentiæ in ratione obiecti, quod neque excedit facultatem possibilem potentiæ, neque minus est, quam potestas eius, quia ad nihil aliud potest extendi potentia, sed nullum est ens quod nõ sit intelligibile a nostro intellectu secundum se considerato, vt abstrahit à facultate naturali, & obediențiali, & nõ nisi sub ratione entis, est intelligibile, tamquam à primaria ratione, alias enim nihil posset intelligi, quod non sit ens, vel non sub ratione entis percipiatur ab intellectu, ergo ens sub ratione entis, in tota sua latitudine est obiectum adæquatum formale nostri intellectus, in tota sua latitudine considerati, si tamen modo finito fit attingibile, nam cum intellectus sit finitus nihil, nisi finitum, aut sub modo finito poterit adæquari cum illo, ideoque neque intellectus potest intelligere infinitum in multitudine, vt sub infinitate Carthegorematica, neque Deum in seipso infinito modo potest cognoscere, & si Deum infinitum in se finito modo cognoscit, ideo est quia eius infinitas nõ ex parte materiæ se tenet, sed ex parte actus, & formæ, vt ait D. Tho. 1. p. q. 12. art. 1. ad 2.

4 Inquires 1. an ratio sub qua ens obiectiuè est intelligibile sit ratio veri, itavt ens sit obiectum quod, & verum sit ratio sub qua? Resp. certum esse, quôd veritas formalis non est ratio sub qua respectu obiecti intellectus, quia hæc solum reperitur in intellectu componente, & diuidente; dubiũ verò solum potest procedere de veritate transcendentali, quatenus nihil est cognoscibile, nisi sit adæquatum intellectus per speciem, & sic ratio veri est consequens in exercito rationem obiecti intellectus, & eam explicat, & denominat intelligibilem, sed tamen re vera ipsum ens sub ratione entis, quatenus in esse entis dicit intrinsecam actualitatem, sic est obiectum intellectus, quia vnumquodque est intelligibile, in quantum est in actu. Hæc Responsio de-

deducta est ex D.Thom.1.p.q.16 art.3.ad 3.

5 Inquires2.an.& quomodo ens, vt abstrahit ab ente reali, & rationis sit obiectum primarium adæquatum nostri intellectus, si quidem ens rationis non est per se cognoscibile, sed solum ad similitudinem entis realis, & per eius speciem, & dependenter ab illo, & per consequens extra obiectum primarium intellectus, & in linea obiecti secundarij. Resp. iuxta dicta in proem.logicæ q.5.a. n.8. quod si ens rationis absolute sumptum sit obiectum secundarium intellectus, quia incomplexê inspectum non est attingibile per primariam operationem intellectus; at complexê consideratum, vt fundat scibilitatem, sic est intra lineã obiecti primarij, quia sic tam necessariam connexionem dicit ens rationis cum suis passionibus, & tam scibile est sicut ens reale, & sic est primum scibile, & logica est prima scientia, & sic potius omne ens reale scibile, & omnis scientia realis præsuponit ens rationis.

6 Dico 2. Deus clare visibilis in se quidditatiue etiam continetur sub obiecto specificatiuo, formali motiuo, & terminatiuo, nostri intellectus, non quidê vt obiectum proportionatum, & viribus naturæ attingibile, sed vt improportionatũ viribus naturalibus, & tantum attingibile ab intellectu, vt eleuato supernaturali lumine gloriæ. Fere sub his terminis est expressa conclusio in D. Tho. 3. contra gen. cap. 59. & 1.p. q. 12. ar.1. Prob. Illud est obiectum formale motiuum, & terminatiuum cuiuscumque potentiæ, quod se ipso potest mouere illam ad operandum, & terminare eius operationem, sed Deus se ipso potest mouere intellectum nostrum ad seipsum intelligendum, informando intellectum per modum speciei impressæ: in hoc enim consistit intellectum, vel sensum esse potentiam passiuam mobilem, & obiectum esse motiuum & quasi agens vt docet Arist. lib.2. de anima. Potest etiam per se ipsum, & in se ipso absque dependentia ab alio terminare cognitionem sui, & visionem beatificam: ergo Deus vt visibilis in se & per se est obiectum motiuum, & specificatiuum nostri, intellectus licet hoc viribus naturæ fieri non possit, sed solum suppositâ eleuatione.

7 Conf.1. Si ob aliquam rationem Deus vt in se visibilis non esse obiectum motiuum & terminatiuum, & specificatiuum formale nostri intellectus: maximê quia sic non adæquatur, cum facultate naturali nostri intellectus, sed hoc non obstat vt sit per se obiectum licet improportionatum ergo prob.min, ex Aristo. lib. 3. de anima text. 7. vbi hoc discrimen assignauit inter sensus, & intellectum (quatenus sensus sunt in organo corporeo essentialiter, intellectus autem immaterialis, & incorporeus est) quod sensus corrumpitur ab excellenti sensibili,

&

& ideò obiectũ excedens eius proportionem, neque est motiuum neque terminatiuum sensus, at intellectus non corrumpitur ab excellenti sensibili, sed potius perficitur ab illo, ergo in Deo cum sit infinita intelligibilitas & excellens nõ sequitur esse extra lineam obiecti mottui & terminatiui intellectus, aut quod intellectus nõ sit capax moueri a Deo ad intelligendum ipsum in se ipso, sed quod sit excedens vires facultatis naturalis, & quod intellectus indigeat elenatione, non tamen quod habeat in se repugnantiam vt nõ possit moueri & terminari a Deo, vt est infinitum intelligibile.

8 Conf. 2. Si aliquid obstaret, ne Deus esset per se obiectum motiuum, & terminatiuum nostri intellectus modo explicato, aut esset quantum sit in se infinitum intelligibile, non potest mouere, aut terminare habitudinem nostri intellectus finitam finito modo; aut quod potentia bene potest operari circa aliquod quod non est contentum sub obiecto specificatiuo, sicut ignis inferni torquet animas dãnatorũ etsi non sint corporeæ (quod si hoc fieri potest negandum erit Deum esse obiectum specificatiuum nostri intellectus etsi videatur in se a Beatis, quia magis distat Deus ab intellectu creato, quam spiritus a corpore igneo) sed vtrumque est falsum; ergo, prob. min. Verbum diuinum etsi sit infinitum in subhãdo potest terminare naturam humanam finito modo, ergo etsi sit Deus infinitum intelligibile poterit mouere, & terminare facultatem, & habitudinem intellectus nostri finito modo ad visionem sui. Tum etiam etsi ignis possit vt instrumentum Dei torquere spiritus, non tamen vt causa principalis, nam si vt causa principalis hoc posset prẽstare, esset bona cõsequẽtia, quod spiritus esset intra obiectum specificatiuum virtutis actiuæ ignis corporei, sed intellectus noster (etsi supposita elenatione) potest videre Deum in se ipso per modum causæ principalis: ergo Deus in se ipso visibilis continetur intra obiectum formale & specificatiuum nostri intellectus, saltem vt obiectum extensiuum & improportionatum, & cum dicimus Deum esse obiectum extensiuum non est sensus quod sit extra obiectum specificatiuum adæquatum, sicut de intellectu practico dicitur quod est extensio speculatiui, sed solum quod est extra obiectum connaturale, & proportionatum.

9 Dicendum est 3. obiectum adæquatum & specificatiuum nostri intellectus pro hoc statu esse quidditatem rerum sensibilium substantialium, ita vt aliqua intelligibilia, aut per connotationem, aut per habitudinem, aut continentiam quidditatum substantialium sint intelligibilia, & nomine quidditatis sensibilis intelligo eam quæ per sensus cognosci potest, seu speciebus qualitatum

tum sensibilium reseruatur in phãtasia & abstracta species per intellectum agentem cognoscí potest. Prima pars communiter recipitur à Philosophis, estque Arist. lib. 3. de anima, text. 4. & 9. vbi in hoc distinguit sensum ab intellectu, quod sensus singularia, & eorum accidentia directè percipit, at intellectus directê percipit quidditatẽ, & ea quæ ad speciem, & quidditatem pertinent in rebus sensibilibus; & prob. ratione. Illud solum potest esse obiectũ adæquatum formale & specificatiuum nostri intellectus pro hoc statu, tã motiuum quam terminatiuum, quod ratione sui independenter ab alio potest mouere, & terminare eius cognitionem, sed solum quidditas rei materialis hoc habet, ergo, prob. min. sola quidditas rei materialis potest abstrahi ex phantasia rerũ sensibiliũ non cognoscentium nisi singularia materialia: sed solum mouetur intellectus recipiendo species, ergo solum mouetur a quidditate rerum sensibilium. Tum etiam solũ cognoscit intellectus pro hoc statu per conuersionem ad phantasmata, & ea speculando, vt docet Ari. 3. de anim. text. 30. & D. T. 1. p. q. 84. art. 7. ergo solum per se primo terminat cognitionem, quod habet proprium phantasma at tantum quidditas rei materialis per se est obiectum motiuum formale intellectus pro hoc statu. Vnde si intelligit res spirituales nõ in seipsis eas videt intellectus, neque ad eas in se terminatur, sed per species rerum sensibilium mouetur, & ad modum rerum sensibilium, quæ sunt in phantasmate, & connotando eas intelligit quid ditates spirituales quoad an est.

Dices ad hominem cont. 1. partem huius concl. sequi ex illa primum cognitum nostri intellectus pro hoc statu esse ens determinatê materiale, non autẽ ens in cõmunissima, & confusiori acceptione, non determinando aliquem gradum entis, vt dictũ est in Phil. lib. 3. num. 5. §. *Ingenuè fateor*, ergo. Prob. seq. nam vt ibidem n. 8. admisimus nihil potest ab aliqua potentia attingi nisi sub ratione formali sui obiecti specificatiui, taliter vt obiectũ specificatiuũ necessariò debeat ingredi omnem actum potentiæ specificatiuę, sed vt docet prima pars huius conclusionis, quidditas rei materialis est obiectum specificatiuum nostri intellectus pro hoc statu (quod tamẽ in Phis. n. 8. cit. negaueramus, solũ scientes esse obiectũ proportionatũ) & alias primus actus cognitionis licet confusæ est aliquis actus intellectus specificati, ergo ens determinatê materiale, aut sub ratione materialis quidditatis, erit primum cognitũ nostri intellectus pro hoc statu, non autem ens in communi acceptione, vel falsò hic dicimus esse obiectum specificatiuum.

Resp. neg. seq. ad prob. explico ma. sub ratione obiecti specificatiui simpliciter, & absolutê talis

conc.

conc. ſpecificatiui tantũ pro aliquo determinato ſtatu, & quaſi ſecundũ quid, quodq; formaliter eſt idem ac obiectũ pro aliquo ſtatu proportionatum nego, & ſub eadẽ explicatione mi. nego conſ. vel dift. conſequẽs primũ cognitum cognitione inadæquata, & cõfuſa, de quo in Phiſ. loquemur nego conſ. cognitione adæquata, & diſtincta tranſeat conſ. Itaque cum in hac cõcl. dicimus quidditatem materialem eſſe obiectum ſpecificatiuum intellectus noſtri pro hoc ſtatu, loquimur (vt conſtat) de ſpecificatiuo reduplicato ſtatu, quod non eſt tale abſolutê & ſimpliciter, ſed quaſi impropriè, & coincidens omnino cũ obiecto cõnaturali, & proportionato pro hoc ſtatu, & huiuſmodi ſpecificatiuum non eſt neceſſe, imo nequit ingredi omnem actum cognitionis etiam inadæquatæ & confuſę, ſed ſolum ſpecificatiuum tale ſimpliciter & abſolutê, iuxta ſenſum primæ concl. huius quæſt. debet ingredi omnem actum, cum det ſpeciem eſſentialem, quocumque actu intellectus pro quocumque ſtatu elicito, & de hoc loquebamur in Phiſ. n. 8. cit. Vnde omnia ea quæ modo dicimus, ſunt ad maiorem explicationem antedictorum & ad ea quæ alibi dicta ſunt conſequenter omnino intelligenda, recolendo præcipuê ea quæ in præfata 3. q. per totã de abſtractione poſitiua, & negatiua, de cognitione adęquata, & inadęquata docuimus, §. Quare tamẽ cui ſicut ſpecificatiuũ intellectus abſolutê ingreditur omnem actum etiã inadæquatum cuiuſcumque ſtatus pariter, & ſpecificatiuum pro hoc ſtatu, non ingreditur omnem actuum inadæquatum pro hoc ſtatu. Reſ. quia ſpecificatiuũ abſolute dat ſpectem eſſentialem actui; vnde implicat eſſentialiter eſſe intelligendum ab illo nõ ſpecificatum, cæterum ſpecificatiuũ pro hoc ſtatu non dat eſſentialem ſpeciem, ſed ſolum dicitur tale propter connaturalem modum cognoſcendi pro hoc ſtatu.

10 Secunda autem pars conclusionem prob. quia illud eſt obiectum formale quod motiuum, & terminatiuum, quod ratione ſui per propriã ſpeciem, mouet & terminat cognitionem abſque dependentia ab alio: ſed hoc tantũ habet ſubſtãtia rei materialis, ergo prob. mia. vnumquodque ſic ſe habet ad cognoſci ſicut ad eſſe, at ſola ſubſtantia materialis habet eſſe primo, & per ſe, accidentia verô ſecũdũ ſuas quidditates, ſunt entis entia, ergo ſubſtãtia materialis eſt, quæ per ſe primo immittit ſpeciem ſuæ quidditatis, ad immutandum intellectũ; & quod ratione ſui terminat cognitionem accidentium vere quidditates non niſi cum habitudine ad intellectum.

11 Contra 1. conc. arg. 1. Si obiectum adæquatum noſtri intellectus eſſet ens in tota ſua latitudine, non poſſet noſter intellectus ſpecie diſtingui ab intellectu an-

gelico, qui etiam habet pro obiecto adæquato ens vt sic: nam quæ habent idem formale, & adæquatum specificatiuum, distingui specie nó possunt, sed hoc est falsum, vt per se constat, ergo obiectum adæquatum nostri intellectus non est ens in tota sua latitudine, §. Resp. quod vt intellectus humanus, & Angelicus specie differant sufficit respicere idem obiectũ sub diuersa attingibilitate, sic enim obiectum erit idem materialiter, non autem formaliter, vt patet si idem punctus sit terminus motus recti, & circularis, vt ait Aristot. 5. physic. at Angelus respicit omne ens, vt attingibile non per discursum, aut per speciem ab ipso obiecto acceptam; sed immediatè per species increatas, & absq; discursu, vt cõtinetur in Deo & derivatur ad mẽtẽ Angeli: & hoc sufficit, §. Resp. quod cũ dicitur intellectum nostrum habere pro obiecto adæquato ens, debet intelligi prout conuenit genericè cum Angelo, rõ verõ secundũ rationem specificam, sic enim solum respicit obiectum connaturale, quod est ens concretum quidditati sensibili, & substantiæ materialis, & sic specie distinguitur ab Angelo, cuius proprium obiectum est propriæ substantiæ quidditas.

12 Arg. 2. Ens vt sic non dicit vnam rationem vninocã, sed solum analogam ad creatũ & increatũ, spirituale & corporale, sed intellectus est vna potentia, ergo nõ potest specificari ab ente vt sic, prob. conseq. quia specificatum sumit suam speciem & vnitatem a specificatiuo, ergo si hoc non est vnum simpliciter, non potest potentia esse vna simpliciter, §. Respond. cum Caiet. tract. de analogia entis, quod obiectum analogum optime potest specificare vnam potentiam, quia specificat per modum causæ extrinsecæ, & ideo etsi vt quod & prædicabiliter in ordine ad inferiora habeat analogiam, vt quo tamen & vt adæquat potentiam, potest habere vnitatem simpliciter talem.

13 Arg. 3. ad idem. Ens in tota sua latitudine non est obiectum proportionatũ respectu nostri intellectus, ergo neque est obiectum formale adæquatũ; prob. conseq. adæquatum obiectum potentiæ exigit in ipsa potentia habitudinem, & inclinationẽ, ergo proportionem, nam adæquatio proportionem dicit, & ordinem adæquationis, ergo obiectum nõ proportionatum non est adæquatum; prob. conseq. secundum D. Thom. 1. p. q. 12. art. 1. ad 4. & alibi proportio potẽtiæ ad obiectũ est habitudo eius realis ad obiectũ, & inclinatio ad ipsum: ergo si adæquatio petit habitudinem (nec potest non exigere, quia specificatiuum ad specificatum dicit totum suum esse) sequitur omne adæquatum obiectum esse proportionatum, & si non est proportionatum, non erit adæquatum

tum, §. Resp. quod, & si omnis adæquatio, dicat proportionem inter extrema adæquata, & negationem excessus, aut defectus: inde non sequitur quod, & si ens in tota sua latitudine; qua parte includit Deum, & Angelos tamquam obiecta excedentia facultatem, & inclinationem naturalem intellectus nostri, non dicat adæquationem obiectiuam cum nostro intellectu, inde colligatur ens, vt sic non esse obiectum specificatiuum nostri intellectus, quia ad hoc quod sit huiusmodi adæquatio nõ requiritur habitudo proportionis esse; seu tendentia positiua, & inclinatio naturalis, sed sufficit habitudo, quæ ad vnum obiectum naturale sit positiua, ad aliud verô per non repugnantiam. Sic enim omne contentum sub ente vt sic attingibile erit ab intellectu secundum se considerato; eo modo quo Caietan. capit. de differentia subtiliter dixit, quod differentia athoma diffinitur per prædicari de pluribus differentibus specie, & etiam numero; sed itaut positiuum ordinem dicat, ad plura differentia numero, & ad differentia specie ordinem tantum non repugnantiæ, & habitudinem non repugnantiæ; & tamen diffinibile adæquatur cum diffinitione; sicut, ergo ibi saluatur adæquatio per modum habitudinis non repugnantiæ ad vnum, & tendentiæ positiuæ ad aliud, sic in intellectu saluatur adæquatio ad ens vt sic per ordinem, & habitudinem positiuam ad ens proportionatum, & ordinem non repugnantiæ ad ens improportionatum, & hoc intelligitur melius saluando quod ens quod specificat est analogum, & sic neque est excessus, neque defectus, nam, & si deficiat Deus à proportione connaturalitatis respectu intellectus, & dicat excessum intelligibilitatis; tamen non dicit excessum habitudinis, per modum non repugnantiæ, & sic dicit adæquationem cum potentia intellectiua, & specificat illam, & intellectus specificatur per illum ordinem non repugnantiæ, & de hac proportione loquitur D. Thom. quod alijs terminis idem docet Caiet. 1. p. q. 12. ar. 4.

14 Arg. 4. Specificatiuum, & specificatum debent esse in eodem ordine (eo quod specificatum essentialiter pendet à specificatiuo), ideoque probauimus supra ex D. Thom. substantiam non esse immediatè intellectuã, quia principium immediatè operatiuum specificatur ab operatione, & ideo si operatio, est in ordine accidentali, non potest principium immediatum esse in linea substantiæ; sed intellectus noster adæquatè est entitas naturalis. Tum quia dimanat à natura animæ. Tũ quia causatur à Deo auctore naturæ, estque eius participatio, Deus verò vt author naturæ nõ cognoscit supernaturalia, ergo Deus, vt in seipso supernaturaliter visibilis, non continetur sub obiecto specificatiuo nostri intellectus secun-

dum se considerari. Conf. 1. Si daretur virtus habitualis immediate specificata, ab obiecto abstrahente, ab ente naturali, & supernaturali, non posset esse adæquate naturalis, sed intellectus noster vt probatum est, adæquate est naturalis, ergo non potest habere pro obiecto immediatè specificatiuo aliquid abstrahens à naturali & supernaturali, & per consequēs Deus (vt in se visibilis) non continetur sub obiecto specificatiuo nostri intellectus. Cōf. 2. Specificatiuū potentiæ sensitiuæ corporalis, nequit esse aliquid abstrahēs à corporeo, & incorporeo, ergo neque specificatiuum potentiæ naturalis, potest esse ens abstrahens a naturali, & supernaturali.

15 Resp. Concessa mai. distin. mi. Intellectus est potentia adæquate naturalis entitatiuè, & idē ticè, atq; vt est proprietas naturæ rationalis, concedo est naturalis formaliter, & vt potens omnia fieri, nego. Sic enim etiam abstrahit à ratione potentiæ naturalis & obedientialis; hac enim ratione dixit Arist. 3. de anima text. 4. quod neque vlla est intellectus natura, nisi ea quæ possibilis est, idcoque quia possibilis est fieri obiecta sibi proportionata per vires naturales, & fieri Deus intelligibiliter per elevationem, eius natura formaliter sumpta est potentia ad vtrumque positiua ad vnū & repugnantiæ ad alterum, quia sic non explicat quod habet a sua radice, sed quod habet ab obiecto sicut relatio secundum cōceptum ad non explicat realitatem, aut entitatem rationis quam habet a fundamento, sed quod respicit vt terminum, vt ait D. Thom. 1. p. q. 78. art. 1. Sic similiter intellectus secundum se abstrahit a naturali & obedientiali, modo explicato, & sic specificatur ab obiecto abstrahente, & potest esse participatio Dei auctoris naturalis, quia licet vt talis nihil super naturale causet, potest tamen causare aliquid non repugnans supernaturalitati. Ad 1. Conf. resp. quod si ea virtus respicet re aliquid abstrahens posset esse naturalis in essendo, & simul obedentialis, quia tunc nō specificaretur ab aliquo supernaturali explicitè, sed cū virtus sit determinatio potentiæ repugnat dari virtutem adeō amplam, & ideo vel determinate, est ad obiectum naturale, aut supernaturale. Ad 2. Conf. resp. ideo potentiam corpoream non posse specificari ab obiecto abstrahente ab incorporeo, quia repugnat illi attingere incorporeum, oculus enim non potest videre spiritum; si autem hoc non repugnat, etiam poterit habere obiectum abstrahens, at intellectui non repugnat videre Deum, nam de facto Beatos ipsum videre fides docet; & ideo obiectum non est ad rem.

16 Si instes. Ergo intellectus noster formaliter erit in specie entis naturalis, & supernaturalis si spe-

ſpecificatiuum eius vtrumque complectitur. Nego conſeq. non enim reſpicit pro obiecto naturale; & ſupernaturale explicitê, ſed tantum abſtrahês ab vtroque ens ſcilicet ſub ratione entis. Si dicas hoc ens ſub ratione entis non dicit rationem vniuocam, ſeu gradum abſtrahentem abſtractione formali, ſeu conceptum præciſum obiectiuê a modis incluſis, ergo manent in ſua ſpecie, ergo ſpecificant intellectũ. Reſ. quod vt non ſpeficent, ſufficit quod non explicitê importentur, quamuis ibi implicitê includantur, ſecus in ſententia aſſerente quod obiectum intellectus noſtri pro hoc ſtatu eſt ens abſtrahês a ſubſtantiali & accidẽtali, nõ ſequitur quod intellectus intelligibiliter ſit in linea & ſpecie ſubſtantiæ & accidentis, quia in tali caſu ſolum ſpecificat ens ſecundum illud in quo confunduntur extrema explicando tãtum proportionem ad eſſe. Sed Deus & creatura ſpecificant intellectum ſecundum ſe, quatenus habent immaterialitatem intelligibilem cuius eſt capax intellectus, abſtrahendo quod proprijs viribus, vel proportionatê hoc fiat; & hoc eſt quod docuit D. Tho. 1.p.q.76.art.7. *Intellectus recipit ſuum obiectũ ſecũdum cõmunem rationem entis, & quod intellectus poſsibilis eſt quo eſt omnia fieri. Vnde ſecundum nullam differentiam entis diuerſificatur intellectus.*

17 Arg.5. contra tertiã concluſionẽ. Si obiectũ formale adæquatum noſtri intellectus pro hoc ſtatu eſſe quidditas rei materialis, & ſenſibilis, quo magis eſſet quidditas materialis, & ſenſibilis magis intelligeretur, ſicut quo magis eſt aliquid coloratum magis videtur, quia obiectum viſus eſt coloratũ, & quo maius eſt coloratũ melius videtur quia obiectum eſt coloratũ in magnitudine exiſtens: ſed quidditas non magis intelligitur, quod eſt magis materialis, nã potius ad intelligendũ denudatur & abſtrahitur obiectũ a cõditionibus materialibus, ergo obiectum noſtri intellectus pro hoc ſtatu adæquatum, & formale non eſt quidditas rei ſenſibilis. Conf. pro hoc ſtatu connaturaliter cognoſcitur a noſtro intellectu quidditas, & eſſentia hominis, hæc conſtat anima, quæ eſt immaterialis: ergo connaturale obiectum non eſt ſola quidditas rei materialis. §. Reſp. cum Ferrar. quod obiectum noſtri intellectus pro hoc ſtatu nõ eſt quidditas materialis, itaut materialitas dicat conditiones indiuiduãtes, ſed quidditas materialis in cõmuni, & hoc poſito dico ad argumẽtũ, quo magis eſt materialis quidditas minus intelligitur materialitate ſingularitas cõcedo, & ideo intelligitur per abſtractionem à conditionibus indiuiduantibus, materialitate quidditatiua, quæ conuenit rei in vniuerſali ſecundum prædicar ſpecifica, nego, nã ſic quidditates magis materiales

melius intelligimus. Ad conf. resp. quod anima non cognoscitur pro hoc statu secundum quod est spiritualis in se, & vt quod; sic enim ad modum rerum materialium, & eas connotando cognoscimus, sed quatenus corporea est, vt quo; sic enim est pars hominis quatenus est quidditas sensibilis, nam quatenus rationalis formaliter non cognoscitur homo directè pro hoc statu.

18 Arg. 6. ad idem Metaphisica est virtus intellectualis perficiés intellectum humanum, & tamẽ és in tota sua latitudine, vt abstrahens ab omni materia, est proprium, & formale obiectum Metaphisicæ, si quidem eius definitio est medium, quo demonstrantur omnes passiones obiecti Metaphisicæ, ergo etiam obiectum formale, & proportionatum intellectus nostri pro hoc statu erit aliquid abstrahens a quidditate sensibilis, prob. conseq. quia connaturalis perfectio potentiæ, neque potest habere pro obiecto aliquid non contentũ in sphera obiecti potentiæ quam perficit; nec potest perficere potentiam, nisi in ordine ad obiectum ipsi potẽtiæ proportionatũ. ℣. Rel. concedendo Metaphisicam esse perfectionem intellectus nostri pro hoc statu, & connaturaliter illum perficere, immo connaturaliter magis inclinari intellectum ad ipsam quam ad alias scientias, cæterum, nego quod metaphisica habet pro obiecto proportionato Deũ in se ipso, aut Angelos, aut ens quod ab his abstrahat secundum se, quia solum habet pro obiecto cognoscibili lumine naturali, & sic abstrahit à Deo, & a Creaturis, vt cognoscibilia sunt per se species rerum materialium, quatenus Deus est principium naturæ, & Angeli mouent Cœlos, & sunt cognoscibiles quoad an est per cõnoratione ad res naturales, & cognoscere hoc modo non exit rationem obiecti proportionati intellectus, nam licet in esse entis, & per modos entis simplicis, & apprehensibilis obiectum primarium intellectus sit quidditas rei materialis, & Deus, & Angeli cognoscantur per dependentiam à sensibus, & per species quidditatum materialium tamẽ in esse entis complexi tantam entitatem habet Angelus cum suis passionibus, sicut quidditates materiales, vt dixi de enterationis, & sic sunt etiam Angeli, & Deus sub obiecto proportionato intellectus supposita dependentia quam habent à quidditate sensibili in cognitione apprehensiua, & quatenus in se sunt obiecta incomplexa; & non formaliter dicunt connexionem ad suas passiones, & sic non est magis amplum obiectum metaphisicæ, quam sit obiectum nostri intellectus, pro hoc statu nec magis est proportionatum obiectum metaphisicæ, quam intellectus nostri pro hoc statu, quia perficit intellectum nostrum, nõ quidem, vt est incomplexus, & respicit

eus

ens incomplexum; sed quatenus est complexus, & respicit ens complexum.

19 Plura Argumenta, quæ obijcit Scot. habet soluta Caiet. lib. 3. de anima c. 5. & 1. p. q. 12. art. 4. & q. 84. ar. 7. alia vero quę possint obijci vide apud Ioann. à S. Th. hic q. 10. art. 3.

## QVAESTIO VII.

*Quæ obiecta non cognoscat intellectus directè pro hoc statu, vbi de singulari, de infinito, de ipso intellectu, eiusque habitibus, & speciebus, & de ipsa anima, vt cognoscibili.*

1 NOn negat D. Th. intellectum pro hoc statu singularia cognoscere, vt falsò ei imponunt Scotistæ recentes afferentes. Scotum hoc pro placito quodlibet 1. q. 9. sed fatetur D. Thom. cognosci, sed nõ primò, & per se, sed indirectè, & per conuersionem ad phantasmata, in quibus directę repæsentantur, vt dicit l. 8. de anim. text. 10. & 1. p. q. 84. & dixit alibi, de quo infra dicemus.

2 Dicendum est 1. Singularia materialia nõ continẽtur sub obiecto formali proportionato nostri intellectus pro hoc statu, sed solũ possunt cognosci, secundario, & indirectè per reflexionem ad phantasmata. Prob. concl. ex Arist. lib. 2. de anim. text. 60. vbi discrimẽ inter intellectũ (quẽ nomine scientiæ explicat) & sẽsũ, ait *quod actus sensus singularium est scientia verò vniuersalium.* Idem manifestè assignat Auer. obiectũ per se primum, & adæquatum sensus & intellectus, & lib. 3. a text. 9. assignat pro obiecto intellectus quidditatẽ, quæ est in materia, abstrahendo ab ipsa materia singularizante. Idem habet 5. meth. c. 9. & 2. post c. 20.

3 Prob. ratione. Si singulare esset obiectum formale inadæquatum intellectus nostri pro hoc statu, necessariò haberet speciem impressam, aut expressam directè repræsentantem ipsum singulare, quia obiectum eatenus specificat quatenus potest actuare, & perficere intellectum per sui repræsentationem, sed non datur pro hoc statu species intelligibilis impressa, aut expressa directè & per se repræsentans singularia, cum omnis species primo & per se repræsentet quidditatem abstrahentem a singularitate: ergo singulare nõ est obiectum partiale specificatiuum intellectus pro hoc statu, min. habet tres partes probãdas.

Prima pars min. quod singulare non habeat in intellectu speciem propriã impressam, directeq; repræsentatiuã sui, prob. nã ad hoc datur intellectus agens vt abstrahat species connaturales intellectus possibilis, qui est tamquam tabula rasa, vt dicitur 3. de anim. t. 14. sed intellectus agẽs eatenus abstrahit speciẽ a phãtasmatibus, quatenus quidditatem ma-

materialem repræsentat non intellecta singularitate, ergo speciebus quibus informatur intellectus possibilis, non repræsentant primo & per se, & directè singulare. Quod apertè docet D. Th. 1.p.q.14.art.11.ad 1. *Intellectus noster speciem intelligibilem abstrahit à principijs indiuiduantibus, vnde species intelligibilis nostri intellectus non potest esse similitudo principiorum indiuidualium & ideo intellectus noster singularia non cognoscit*; per illam speciem nisi reflectendo à phantasmatibus, & videri potest D. Th. 1.p.q.86.art.1.

Quod autem nec per speciem tertiam formatam ab intellectu ratio suadet, quia ex eo per nullam speciem, vel cognitionem potest directè repræsentari pro hoc statu intellectui, nostro res spirituales, quia non comprehenduntur spiritualia sub obiecto directo nostri intellectus, & eo cõprehenduntur intra obiectum directum, quia semper ad similitudinem rei corporeæ cognoscuntur, solum enim per species à sensibus acceptas cognoscimus, sed omnis species intellectiua imprimitur per abstractionem intellectus agentis, ergo nulla species, aut cognitio potest repræsentare singulare, nisi connotando phantasmata singularium, quæ sunt extra [illegible] nostræ potentiæ intellectiuæ, ergo indirectè, & per quãdam reflexionem debent cognosci [illegible] singularia materialia pro hoc statu, nam de singulari immateriali certum est, cum nec in vniuersali possit à nobis pro hoc statu cognosci immateriale, nisi connotatiuè ad res materiales.

Quod autem nulla species expressa datur in intellectu nostro directè repræsentans singulare docet Arist.7.de anima text.10. & D.Thom.ibi, Omnem cognitionem singularis (aiunt) fieri per reflexionem ad phantasmata, & prob.ratione D.Thom.1.p.contra gen.cap.48. Species expressa est similitudo expressa speciei impressæ; ergo si in specie impressa non continetur directè singulare materiale neque in expressa potest contineri directè. Tum etiam. Ratio quæ obstat ne singulare materiale directè repræsentetur in specie impressa, est ipsa materialitas singularis, & immaterialitas requisita, vt obiectum reddatur intelligibile, sed hæc ratio æquè currit in specie impressa & expressa, imò magis relucet in specie expressa vbi obiectum magis in actu est intelligibile, ergo.

Ex his manet probata tertia pars, quod omnis species impressa, seu expressa reperta in nostro intellectu pro hoc statu, solum repræsentat directè quidditatem ipsam materialem in vniuersali, idest vt abstractam à conditionibus indiuiduantibus.

4 Quomodo autem fiat ista reflexio intellectus ad phantasmata ad cognoscendum singulare,

re, docet Ferrara lib. 3. de anima q. 6. & D. Thom. q. 1. de verit. ar. 6. q. 10. ar. 5. & q. de amina ar. 20. ad 1. & seruanda est proportio cũ motu reflexo, qui fit resiliendo à termino ad quem ad terminum à quo non verò ad ipsum conceptũ tantum; nam directus motus cognitionis fit in intellectu nostro, abstrahendo à phantasmatibus, tendendo ad naturam in communi, at ad cognoscenda singularia fit reflexio à natura in communi cognita ad phantasma. Vnde est abstracta repræsentatio naturæ, equi, aut leonis, aduertendo ad continuationem intellectus cum phantasia, & ad modificationem termini, seu singularis, in obliquo respectu, seu modificationem quã impressit phantasmata in speciẽ intelligibilem, secundum quasi actionem præuiam phantasmatis, quam habuit in præuiam phantasmatis, quam habuit in speciem, quatenus instrumentum fuit obiectiuum quo vsus est intellectus agens dum formauit speciem intelligibilem.

5 Dicẽdum est 2. Inter quidditates materiales, quas directê & per se cognoscit intellectus solum finitas cognoscere potest, non enim potest cognoscere infinitum in actu, neque in potentia. Sic D. Thom. quodlib. 9. ar. 1. & 1. p. q. 86. ar. 2. & communiter Thomistæ. Prob. ratione. Intellectus eãdem proportionem habet ad obiectum, quam habet obiectum ad rationem entis sensibilis, & materialis, at tamen si ens materiale possit esse infinitum in potentia & priuatiuê vt patet in quantitate, tamen esse non potest infinitum actu; ergo nec infinitum in actu erit intelligibile: prob. conseq. quia vnũquodque est intelligibile in quantum est ens, & minor constat ex Arist. 3. phisic. sed tamen notandum quid infinitum in potentia & ens quantum non cognoscitur à Deo, neque à nobis in quantum infinitum in potentia, quia vnum quodque est cognoscibile in quantum est in actu per formam non in quantum est in potentia, & priuatione per materiam, ergo infinitum in potentia non est cognoscibile in quantum tale, sed solum quatenus habet esse in actu finitũ licet in quantum infinitum in potentia cõfusê possit cognosci. Vnde & de hoc videndus D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3. & quodlib. 3. ar. 1. Conf. Infinitum non potest actu vno cognosci simul, quoad omnes suas partes siue sit infinitum magnitudinis, siue multitudinis; neque per actus successiuè multiplicatos, ergo nullo modo est cognoscibile à nostro intellectu, ant. prob. Si vnico actu cognosci posset, ergo vnica specie posset repræsentari; sed hoc est impossibile. Tum quia illa species deberet esse causata à rebus, & adæquata illis, ergo obiectum quod eam causaret, ita vt nihil sic irrepræsentatum relinqueret, esset totum in actu quod repugnat infinito, tam secundum magnitudinem, quam se-

secundum multitudinem. Tū quia illa species actu repræsentans omnes partes illius infiniti distincti actu repræsentaret plura, vt plura, siquidem singulas partes distincte vt vna est diuersa ab alia repræsentaret, repugnat autem vnā speciem plura, vt plura repræsentare si sit accommodata nostro intellectui secundum vires suas, sicut & intellectui repugnat plura vt plura cognoscere simul (vt statim dicam) ergo. Si autem successiuè cognosceretur infinitū, etiam est impossibile, quia infinitum nō est pertransibile, ergo

6 Dicendum est 3. Contingentia vt talia sunt in exercitio non possunt directè cognosci ab intellectu nostro pro hoc statu, etsi signatè possint directè cognosci. Sic D. Thom. 1. p. q. 86. art. 3. Prob. Eadem est ratio contingentiæ & singularitatis in rebus materialibus, oritur enim ex potentia materiæ sub conditionibus indiuiduantibus, sed singularia materialia vt in exercitio talia solum cognoscuntur indirectè a nostro intellectu pro hoc statu, quānuis signare possit cognosci directe ipsa singularitas, ergo idem dicendum est de contingentia.

7 Dicendum est 4. Futura secundum quod sunt in seipsis, non possunt cognosci a nostro intellectu, neque directè, neque indirectè at secundum quod sunt in suis causis naturalibus, aut necessario, aut cōtingenter bene possunt cognosci. Sic D. Th. ibidem art. 4. Prob. futura sunt singularia; sed hæc non cognoscuntur directè à nostro intellectu, pro hoc statu ergo neque futura cognoscuntur directe, quod vero neque indirectè possint cognosci, prob. quod non est nō scitur; vnumquodque enim cognoscitur in quātum est in actu ex 7. meth. at futura nullum esse determinatum habent in seipsis in mensura nostri temporis, ergo neque directè neque indirectè possunt cognosci à nostro intellectu. Quod autem secundum esse quod habent in causis, siue necessarijs, siue contingentibus cognita causa eiusque virtute possint à nobis cognosci prout in causa sunt, constat, quia vnumquodque est cognoscibile secundum quod est, ergo secundum esse quod habent futura in sua causa naturali, bene possunt à nobis cognosci, cognita causa & eius virtute non excedente cognoscibilitatem naturalem.

8 Dicēdum est 5. Intellectus noster non potest cognoscere plura vt plura; sed si cognoscit plura ea vt sunt vnum in aliqua ratione cognoscit. Prob. ratione D. Tho. 1. p. q. 85. art. 4. Tunc cognoscuntur plura vt plura quando pluribus speciebus repræsentantur sine ordine, tunc vt vnum quando plura eadem specie repræsentantur, vel putibus cum ordine; at nequit intellectus simul informari pluribus speciebus vt plura sunt in actu, ad vsum earum, & aduertentiam, ergo nec potest cognoscere plura vt plura, Prob. mai. quia

modus actionis sequitur modum, & naturam sui principij, sed species sunt principia cognitionis, ergo ea cognoscũtur vt plura, vel vt vnũ ab intellectu, quæ per modũ vnius, vel plurium repræsentantur in specie. Mi etiam constat omnes species sunt vnius generis, sicut potentia, quam perficiunt licet plura diuersorum generum repræsentat, quia genus perfectionis à perfectibili debet desumi: sed impossibile est quod idem actu perficiatur simul pluribus perfectionibus eiusdem generis, cum diuersitate specifica, & hac ratione nequit idem corpus simul reddi coloratum diuersis coloribus, aut figuratum diuersis figuris, secundum eamdem partem, ergo neque intellectus potest simul actu informari pluribus speciebus, vt plura sunt, quæ actu repræsentent plura, vt plura.

9 Dicendum est 6. Intellectus noster non cognoscit animam suã pro hoc statu in seipsa per seipsam, sed per species rerum materialium. Sic Arist. lib. 3. de anim. text. 8. *Quod intellectus factus in actu per speciem potest seipsum intelligere*, & text. 15. *quod intellectus est intelligibilis à se sicut cuncta intelligibilia*, ac per inde per speciem superadditam rerum materialium at eadem est ratio de ipsa anima, quæ etiam spiritualis est, ergo. Prob. nihil est intelligibile, in quantum est in potentia, sed in quantum est in actu, sed anima nostra pro hoc statu est intelligibilis tantum in potentia quod constat, quia eius propria passio, id est intellectus est tamquam tabula rasa, & in potentia ad species vt ait Ari. hoc 3. l. ergo idem est de anima, ergo nõ est intelligibilis per se ipsam, sed per speciem superadditã; at omnis species quæ est intellectus noster in actu est abstracta à phãtasmatibus, & ideo docet Ari. hoc lib. 3. text. 3. sic se habere intellectũ ad phantasmata, sicut sensus ad sensibilia, ergo anima intelligibilis in actu redditur per speciẽ rerum sensibilium. Ex quibus patet neque ipsum intellectum possibilem esse per se ipsum intelligibilem, cum sit pura potentia in genere intelligibili. Vide pro tota hac concl. D. Th. 1. p. q. 87. art. 1.

10 Dicendum 7. Et si intellectus per summ actum absque alia specie in actu exercito, & experimentaliter, cognoscat animam, quia experitur se viuere, & a forma habere primum principium se mouendi, vt ait D. Th. 1. p. q. 87. ar. 1. & q. 88. ar. 2. ad 3. & q. 89. ar. 2. tamẽ signate non cognoscit animã, neque seipsam, neque intellectum agentem, neque habitus intellectuales, neque voluntatem, & eius habitus, neque actus vtriusque potentiæ, nisi per speciem obiecti sensibilis, ex quo per reflexionem attingit ad hæc omnia cognoscenda. Vide D. Th. lib. 2. de anim. & lib. 3. text. 8. Ratio est, quia obiectum directẽ cognoscibile per se ab intellectu

pro

pro hoc statu est quidditas rei sensibilis, non autē rei spiritualis, & quia obiectum istud actus actibus, & potentijs, & habitibus de potentijs, & ipsa anima, attingitur, sequitur ad hæc inclinatio voluntatis, ex cognitione obiecti sensibilis, ad hæc omnia refrectitur, & per discursum ea cognoscit, hæc ex Doctrina D. Thom. 1. p. q. 14. art. 3. & q. 73. art. 2. & q. 87. art. 1. & in 2. dist. 23. q. 2 art. 1. & alibi pluries. Vide Bergom. in tabul. *Intellectus* à n. 35. vsque ad 40.

11 Dicendum 8. Angelos, & res spirituales per speciem rerum materialium cognoscimus pro hoc statu, & ad earum similitudinem. Sic Thom. 1. p. quæst. 88. artic. 2. & 3. contra gen. cap. 45. & Aristotel. insinuat lib. 1. de part. animal. capit. 5. & probat. ex Dionis. 1. cap. de diuinis nominibus asserente: *Quod corporalibus incorporalia apprehendimus.* Et quia ad Rom. 1. dicitur: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Et ratio est, quia obiectum nostri intellectus pro hoc statu est, quidditas materialis, & per dependentiam à sensibus, & per species abstractas à phantasmatibus, solum possumus intelligere: ergo spiritualia non per species eorum proprias quæ non possunt percipi sensibus, sed ad modum rei materialis possunt cognosci.

12 Denique dicendum, quod etiam entia rationis connotatiuè ad ens reale sensibile, & per speciem entis realis possumus cognoscere: Hæc conclusio satis constat ex dictis, & latè probata est à nobis in logica Trac. de Ente rationis, quamuis non negem tertiā speciem elici posse ab intellectu, qua cognoscat aliqua entia rationis, sed de his ibi.

13 Contra 1. conc. militans. Scotus, & Durandus & argum. 1. Species impressa abstracta à phantasmatibus per prius repræsentat singularitatem, quam naturam secundum prædicata quidditatiua, sed cognitio debet proportionari cum suo principio, vt docuit D. Tho. 1. p. q. 85. a. 4. ergo prius per se cognoscitur, & magis directe, singulare quā quidditas, prob. conseq. nam illud directius cognoscitur, quod per prius cognoscitur, & repræsentatur, prob. ma. phantasmata causant speciem impressam, quæ informat intellectū possibilem, quamuis hoc præstet virtute intellectus agentis, & eius illustratione, quia sic se hæbent phantasmata ad intellectum possibilem, sicut sensibilia ad sensum, vt dicitur 3. de anim. sed phantasma per prius habet repræsentare ex se singularitatem, quam quidditatem, quæ est latens in phantasmate virtute intellectus agentis potest causare in specie intelligibili repræsentationem quidditatis, quia in vnoquoque prius est etiam via causalitatis, quod habet ex se, quam quod præstat ex alterius participatione: ergo in spe-

ſpecie intelligibili prius repræſentatur ſingularitas, quam quidditas prob. conſeq. nam effectus aſſimilatur cauſæ ſuæ, ergo quod prius eſt in cauſa, prius eſt in ratione ſimilitudinis in effectu, §. Reſp. quod phantaſmata non ſunt cauſa principalis illius ſpeciei, neque cauſa inſtrumentalis effectiua ideoque non neceſſe eſt, quod aſſimiletur illis ſpecies intelligibilis ſecundum id, quod in ipſis primatio repræſentatur, ſed ſunt inſtrumenta obiectiua, & exemplaria quatenus per abſtractionem virtute intellectus agentis eius quoque illuſtratione aſſumitur ſimilitudo quidditatis Petri, v. g. quæ latebat in phantaſmate, nec explicite ibi repreſentabatur, & in hoc tantum ſenſu comparantur phantaſmata ad intellectum ſicut ſenſibilia ad ſenſum: Vnde ipſa ſingularitas non primo, & per ſe repræſentatur in ſpecie, ſed potius implicite, & ex conſequenti, vnde neceſſaria eſt ad ipſum phantaſma factum in actu, vt actu cognoſcatur ab intellectu ſingulare per ſpeciem repræſentãtem directê, quidditatem. Cuius ratio eſt, quia ſingularitas reperta repræſentatiuê in phantaſmate ſolum modificat ſpeciem intelligibilem abſtractã per modum termini à quo: ideoque ſine regreſſu ad terminum à quo relictum, non reſultat repræſentatio expreſſa ſingularis in ea ſpecie, & ideo dicimus ſingulare non cognoſci ab intellectu, neque repræſentari directe à ſpecie intelligibili, imô, & ſi phantaſma ſit proſecum inſtrumentum: tamen in effectu ex conſequenti reluceret, quod eſt ab inſtrumento, & per ſe eſt quod à cauſa principali.

14 Arg. 2. contra eandẽ concluſ. Si intellectus noſter directê non cognoſceret ſubſtantiam ſingularem; ſed ſolum per regreſſum ad phantaſmata ſequitur eam nũquam cognoſcere, neque ſenſum, neque intellectum; ſed hoc eſt falſum, quia ex pluribus ſactæ Scripturæ textibus conſtat nos teneri ad amorem proximi, & quod ſingularia ſubſtantialia cognoſcimus, ergo; prob. ſequela; quia nullus ſenſus cognoſcit ſubſtantiam ſingularem (niſi vt ſenſibili per accidens, vt ait D. Thom. 1. p. q. 57. art. 1. ad 2.) regreſsio ad phantaſma inepta eſt, quia in phantaſmate non repræſentatur ſingulare ſubſtantiale; ergo, §. Reſpon. non eſſe impoſsibile, quod cogitatiua ſicut virtute cõiunctionis diſcurrit circa ſingularia, ita etiam ob eandem rationem cognoſcit quidditatem, & ſubſtantiam ſingularem, quia circa eam ſunt maximê diſcurſus, & non tantum circa accidentia, ſed abſtraendo ab hoc nego, quod intellectus non cognoſcat ſubſtantiam ſingularem, ſi cum non cognoſcit ſenſus nam in ſpecie, quæ eſt in phantaſmate repræſentatur tamquam ſenſibile per accidens ipſa quidditas, & ſubſtantia rei ſub iſtis tamen conditionibus indiuiduantibus, intellectus autem agens aſſumit (quando formac

mat species intelligibiles) illud, quod per accidens importabatur in phantasmate; & sic solum substantiam primo & per se repræsentat in specie; ad cognoscendum autem singulare, & ipsum repræsentandum nihil deest ibi de eo quod requiritur ad quidditatem, sed solum regressus ad accidentia in ordine, ad quæ accidentia individuantur formæ, & ad hoc cognoscendum necessarius est regressus ad phantasmata in actu posita per cognitionem singularis, & sic resultat in specie intelligibili repræsentatio individuorum, & quod latebat explicatur in illa specie pariter, ac de specie Angelica dicitur, quod infunditur à Deo, vt repræsentetur quidditatem specificam obiectorum, & quod eo ipso, ac ponitur in rerum natura singulare resultat similitudo in ipsa specie explicite, & sic cognoscuntur ab Angelo singularia existentia, sic dico posito phantasmate in actu resultat in specie intelligibili similitudo, quatenus fit reflexio intellectus ad tale phantasma; & sic continuatur intellectus cum phantasmate à quo abstraxit, & ea reflexione quasi tangit illud, & modificatur species, & resultat explicata repræsentatio singularis.

15 Contra 2. conclus. arg. 4. Intellectus potest cognoscere species omnes, quæ continentur sub eodem genere; sed possunt infinitæ species contineri sub genere numeri, & sic in alijs, ergo potest cognoscere infinita, Conf. Virtus intellectus est quasi infinita, quia est immaterialis, ergo proportionem habet ad cognoscenda infinita, ℣. Resp. cum D. Thom. 1. p. q. 86. quod cum intellectus cognoscat ea solum, quæ sensibus percipi possunt, ideo per species à sensibus abstractas solum finitas species numerorum, & figurarum percipere potest sub eodem genere, nam, & si numeri percipiantur à sensu, percipiantur tamen vnitates, & intellectus eam non possit habere infinitos actus successiuè non, potest infinitas species numerorum percipere. Ad conf. ref. virtutem intellectus solum esse infinitam sincathegorematice, & ideo non posse infinita simpliciter, neque in actu, neque in habitu scire, infinitum autem in potentia qua ratione tale est incognoscibile, est quia vnũquodque cognoscitur in quantum est actu.

16 Arg. 5. ad idem. Eô non posset infinitum cognosci, quia nó posset vnica specie repræsentari; & eo non posset sic repræsentari, quia esset totum, & perfectũ, sed hæc ratio est nulla, nam forma, & pluralitas imperfecta, & incompleta possunt vnica specie repræsentari; ergo. Tum etiam. Potest voluntas appetere simul viuere per infinitos annos; ergo infinitos annos potest intellectus cognoscere. Tum etiam. Si Angelus esset creatus ab æterno, posset recordari de tota sua duratione: ergo infinitum in duratione cognoscere,

&

& homo etiam potest cognoscere non esse repugnantiam in eo quod mundus ab æterno fuisset creatus, & vsq; in æternum potuisset durare ſ. Resp. cum Caiet. 1. p. q. 86. a. 2. quo l eo ipso, ac infinitũ repręsẽtaretur vnica specie deberet esse totũ, & perfectum in esse repræsentabili, quia repræsentatio esse non potest, si non adæquatur cum obiecto, & obiectum cum specie, quod repugnat in infinito, quia non tantum quin maius, & sic posita speciem restaret aliquid, at quæ sunt incompleta in esse entis possunt perfecte adæquare per vnam specie & sic essent perfecte repræsentata; & per modum totius formaliter in esse obiecti, licet in esse entis essent quid partiale, & imperfectũ dũ tamen non essent actu infinita. Ad 1. & 2. conf. quod anima cõfusè & per modũ vnius finitæ durationis appetit viuere per infinitos annos, nõ autẽ distincte & secundũ singulas partes, & sic etiam cognoscitur ea duratio ab intellectu, & esset memoria in Angelo de sua duratione in illa hypotheſi, & in nobis concipitur possibilitas circa mundi æternitatem eodem modo.

17 Arg. 6. contra 2. concluſ. Eo intellectus viribus suis non posset cognoscere contingentia, vt talia sunt in exercitio, quia contingentia sequitur ad materiam; sed hæc ratio est nulla, ergo prob. min. ridere, aut intelligere contingens est, & tamen hoc sequitur ad formam rationalem, & non ad materiam, Mortalitas autem ex materia sequitur, & tamen cognoscitur, & demonstratur; ergo illa ratio inefficax est, ſ. Conf. Intellectus cognoscit tanquam propriũ obiectum eus, vt eus quod diuiditur adæquate in actum, & potentiã, sed potest cognoscere entitates necessarias, quæ sequuntur ad actum: ergo, & contingentes etiam si sequantur ad potentiam, & materiam, ſ. Resp. quod hominem ridere, aut intelligere in quantum contingens est sequitur ad materiam, & ad potentiam, & qua parte dicit actualitatem risus, & intellectionis sequatur formam, sicut etiam mortalitas, quatenus dicit necessitatem, sequitur ad actualitatem quidditatis, & sequitur ad materiam, non vt est principium indiuiduationis, sed vt est pars quidditatis ratione, cuius est veritas necessaria. Ad Conf. per quod, & si intellectus respiciat eus, quod diuiditur in potentiam & actum, non tamen æque potentiam, & actum, sed potentiam per actum, & in ordine ad illum.

18 Con. 2. concl. arg. 7. Intellectus, & si abstrahat à motu, & tempore, potest tamen cognoscere præsentia, quæ concernũt differentiam temporis præsentis; ergo etiã potest præcognoscere futura. Conf. Datur naturalis diuinatio per somnia, vt docet Arist. lib. de diuinat. per somniũ, & aues præcognoscunt pluuiam futuram, & aliàs aeris mutationes, ergo intellectus

in vigilia à fortiori potest præ-noscere futura, §. Resp. quod, & si intellectus abstrahit in motu, & tempore in se ipso, non tamen secundus sensus à quibus mouetur ad cognoscendum, & ideo potest singularia, quæ sunt præsentia & cum motu speculando phantasmata cognoscere immobiliter immobilitate se tenente ex parte intellectus, licet non ex parte obiecti, quod ideo sic potest terminare cognitionem, at futura nullum esse habente in se, neque repræsentationem in sensu, ideoque non possunt cognosci. Ad conf. nunquã cognosci, neque à somniantibus, neque ab auiculis futura in se ipsis; sed ex impressione cælesti in aliquo effectu connexo cum euentu futuro, in quo ratione connexionis habent esse determinatum, & sic solum cognoscitur futurum, vt in causa quæ est talis in essendo, aut cognoscendo, non tamen cognoscuntur, vt futura in se, quia sicut nullam habent entitatem in se, ita neque cognoscibilitatem, si fututura sunt.

19 Contra 5. concl. arg. 8. ex neotericis (qui re vera nihil ad rem arguunt, sed detorquendo sensum quæstionis.) Potest quis simul, & in eodem instanti cognoscere minorem, & conclusionem eiusdem syllogismi, vt in lib. poster. q. 4. concl. 3. ostendi, ergo per plures actus, vt plures plura, vt plura possunt cognosci simul, prob. conseq. nam conclusio, vt ex antecedenti, diuersa est ab antecedenti. Tum 2. Possum actu eodem mentaliter dicere: *Omnes homines, qui sunt in hoc Gymnasio habent pileum*, sed tunc non dico vnum, sed plures homines habere pileum, ergo cognosco plura, vt plura. Tum 3. Eodem actu possum credere Mysterium Trinitatis, & incarnationis, ob diuinam attestationem: ergo plura, vt plura. Tum 4. Species Angelica in eius intellectu existés repræsentat hominem, & equum, & alias plures rerum species ob suam eminentiam & vniuersalitatem in repræsentando, ergo plura, vt plura.

20 Resp. quod neque D. Th. neque nos, qui eius dictum sequimur, negamus intellectum posse intelligere plura, vt vnum, vel in ordine ad vnum, vel sub vna ratione; & hoc solum probant argumenta facta, nam conclusio in ordine ad principium, & per illa, & ex illis cognoscitur, & omnes homines vnius Gymnasij cognoscuntur, vt conueniunt in humanitate, & in portando pileo, & species Angeli diuersas naturas repræsentans secundum quod in eminenti intelligibilitate diuinarum idearum continentur.

21 Cont. 7. concl. arg. 10. ex Aug. lib. 9. de anima c. 3. asserente quod *Mens se ipsam, vult per se ipsam, quia est in corpore.* Et Glos. ad illa verba 1. ad Corinth. 12. *Scio hominem*, vbi etiam asserit, quod

*quod visione intellectuali, ea cernuntur quæ necsunt corpus, neque vllas gerunt similitudines.* §. Ref. Cum D. Th. locis citatis in concluſ. quod anima ſe cognoſcit per ſe exercite, & quantum ad experientiam mediante actu, vel ſe ſine medio, ideſt principio actiuo, quia ſic non eget potentia, quæ non ſit in ſuo ordine ſpirituali. Gloſſa autem loquitur de viſione beata, quæ fit ſine medio, videndo Deũ in ſe ipſo, qualiter Paulus videt in raptu de quo ibi erat ſermo.

22 Arg. 11. ad idem. Anima ſeparata ſe per ſeipſam ſine ſpecie ſuperaddita intelligit, & non alia ratione niſi quia eſt immaterialis, ergo cum in ſtatu coniunctionis etiam immaterialis ſit etiam idẽ poterit. Confir. 1. Anima noſtra cum ſit immaterialis, & præſens nobis per ſe ipſam, eſt virtus præſens nobis intelligibiliter, & immaterialiter, ergo non eget alio, ſed per ſe ipſam eſt intelligibilis ſine ſpecie: prob. conſeq. quia per ſe ipſam eſt bonitas, & nobis præſens ſui eſt amabilis a nobis? ergo etiam intelligibilis. Cõf. 2. Quod eſt ratio, vt alia intelligantur ſe ipſo, & non mediante alio debet eſſe intelligibilis, ſicut hac ratione lux ſe ipſa & non mediante alio eſt viſibilis, quia eſt ratio viuendi alia, ſeu reddendi alia viſibilia, ſed anima noſtra mediante illuſtratione intellectus agentis reddit cætera nobis intelligibilia, ergo ſe ipſa & non ratione ſpeciei ſuperadditæ rerũm materialium, eſt intelligibilis. Denique. Cognitio noſtra fit per aſsimilationem, ſed nulla ſpecies rerum materialium poteſt eſſe ſimilior anima noſtra quam ipſa ſibi; ergo per ſe ipſam intelligitur, §. Ref. quod anima ſeparata non quia immaterialis eſt, ſed quia in tali ſtatu nempẽ in quo non pendent à ſenſibus poteſt ſe ipſam per ſe intelligere, quod non poteſt fieri in hoc ſtatu. Ad 1. Conf. reſp. quod anima etſi ſit præſens ſibi phiſice, & ſufficienter, vt ſe per ſe ipſam poſsit cognoſcere experimentaliter & quoad an eſt non tamen eſt ſibi præſens intentionaliter, & in ratione per ſe ipſam cognoſcibilis, quia non habet debitam proportionem cum noſtro intellectu pro hoc ſtatu, in quo ſolum per ſpecies abſtractas à ſenſibus perit informari at volũtas etiam pro hoc ſtatu tendit ad res, vt ſunt in ſe, vnde bene poteſt amare animam in ſe ipſa. Ad 2. quod anima eſt ratio intelligendi alia per intellectum agẽtem, quaſi effectiuẽ, quatenus abſtrahit ſpecies a phantaſmatibus, atnõ eſt ratio intelligẽdi alia formaliter, hoc enim fit per ſpecies abſtractas, & ideo ſolum ſequitur, quõd per ſpecies ſit intelligibilis, non autem per ſe ipſam. Ad 3. quod licet nihil aliud ſit ſimilius animæ, quam ipſa ſibi in eſſe phiſico, tamen aliud ab illa poteſt eſſe ratio aſsimilandi modo magis proportionato in eſſe intentionali, ſicut in alijs obiectis con-

contingit) & ideo, quia se ipsa non est anima proportionata cum modo intelligendi intellectus nostri, pro hoc statu opus est specie superaddita.

23 Arg. 12. ad idem. Si actus, & habitus intellectuales, alio actu & habitu egerent ad sui cognitionem daretur necessario processus infinitum, quia cum omne ens sint intelligibile, & quilibet actus requisitus ad cognoscendum reflexiuè actum sit ens: esset necessarius processus in infinitum, sed natura abhorret processum in infinitum, ergo actus, & habibitus nostri intellectus se ipsis sunt intelligibiles, nec agent actu aut specie, aut habitu superadditis §. Resp. ex D. Thom. 1. p. quæst. 87. art. 2. ad 2. non esse absurdum, quod detur processus infinitum in actibus reflexis, quia hac ratione intellectus est potentia sincategorematicè infinita.

## QVÆSTIO VIII.

*An sit, & quid sit intellectio, an autem actio de prædicamento actionis?*

1 SVppono, quod intellectio sit actus secundus potentiæ intellectiuæ, quæ vitaliter intelligibiliter percipit obiectum verum, & cum in creatis actus secundus cuiuslibet potentiæ distinguatur realiter à potentia, cuius est actus sit consequens intellectionem realiter distingui ad intellectus, sequitur etiam esse complementum potentiæ, quæ est actus primus, quia omnis actus secundus est complementum actus primi, in sua linea. Et quidem dari intellectionem in nobis, & hominem intelligere fides docet innumeris S. Bibliæ locis: *Intelligite* (inquit) *insipientes in populo, & stulti aliquandò sapite.* Ideoque superuacuum esset hoc probare, cum ad ipsum omnes experiamur.

2 Intellectio secundum D. T. 1. p. ar. 4. *Est habitudo intelligentis ad rem intellectã*, & ibi ait quod in hoc nulla ratio originis importatur. Vnde & merito inquiritur, an intellectio sit vera actio de prædicamento actionis an autem sit qualitas modum autem actionis seruans. Et est dicendum non esse actionem de prædicamento actionis, sed esse qualitatem operatiuam, quod & plures Thomistæ docent in præsenti.

3 Et quidem quod intellectio, vt talis (etiam si non sit dictio verbi vt in cõmuniori sententia Thomistarum dicitur, vi honẽ beatificam esse purè intellectionem, & tamen nullum verbũ producere) quod inquam intellectio, qua intellectio est sit operatio, ac proinde quod si qualitas est, sit qualitas operatiua, prob. Intelligere est actus secundus potentiæ operatiuæ intellectiuæ, ergo est operatio intellectiua; & hac ratione Arist. lib. 2. text. 7. contem-

pla-

plationem comparat vigiliæ. Et lib. 3. text. 8. & seqq. docet intellectionem esse operationem, quia est actus secundus animæ, quæ est operativa, & ipsius intellectus, qui actus specie impressa, & completus in actu primo reducitur ad actum secundum per intellectionem. Conf. Intelligere est viuere secundum Arist. lib. 2. de anima text. 13. & secundum D. Th. 1. p. q. 8. ar. 1. & q. 34. art. 2. ergo intelligere est operari, & intellectio operatio est. Tum etiã Beatitudo nostra consistit in intelligere: sed secundum Arist. quem refert & sequitur D. Tho. 1. 2. q. 3. art. 2. consistit in operatione beatitudo, ergo intellectio operatio quædam est.

4 Quod vero, & intellectio sit operatio non tamen sit actio de prædicamento actionis, docet D. Thom. q. 8. de verit. ar. 6. Vbi docet quod sola actio transiens est propriè actio; at vero actio immanens propriè operatio non autem propriè actio; sed solum proprie actio attinet ad prædicamẽtum; nihil enim magis proprium, quam quod in essentia sua claudit rationem genericam alicuius prædicamenti, ergo si solam actio transiens est propriè actio solum illa ponitur in prædicamẽto actionis, sed ergo intellectio cum sit actio immanens non est proprie actio, nec ponitur in prædicamẽto actionis, ergo neque est actio prædicamentalis. Tum etiam. Illa solum dicitur propriè actio quæ habet coniunctam transmutationem, & motum physicum, secundum D. Thom. 3. physic. lec. 5. sed intellectio vacat motu, vt etiam probat Aristot. 3. de anima, ergo non est actio de prædicamento actionis. Tum etiam. Actio prædicamentalis infert passionem propriè dictam, sed intelligere non infert passionem, vt constat ex adductis text. Arist. ergo intelligere non est actio prædicamentalis. Videatur pro tota hac ratione D. Th. 1. p. q. 18. ar. 1.

5 Prob. iterum. Actio de prædicamento actionis est. *Secundum quam in subiectam materiam dicimur agere vel pati*, ita vt ordinetur ad passionẽ tanquã via ad finem, sed intellectio non est via ad aliud ordinata tamquam ad finem: nam secundum Arist. intellectio non habet aliud a se pro fine, sed est propter intelligere, & ideo intelligendo quiescit intellectus ergo non est actio de prædicamento actionis.

6 Quod vero intellectio directe ponatur in prædicamento qualitatis prob. secundũ Ar. 3. de anima text. 37. *Viuere in viuentibus est esse*; sed intelligere est quoddam viuere, ergo est quoddã esse ergo est quædam qualitas, qua perficitur intelligens, in esse intelligentis, & sapientis, prob. cõseq. nam qualitas est qua quales esse dicimur in aliqua linea, & sic ait D. Thom. 1. p. quæst. 34. art. 1. ad 2. quod sic se habet intellige re ad intellectum in actu, sicut

esse ad ens in actu & ad 3. quod intelligentia solum est informatio quædam. Dices. Etiam actione dicimur agentes, & tamen non est qualitas: ergo ex quo intellectione simus intelligentes, & dicamur tales non sequitur intentum. Contra est quod actione prædicamentali, non dicimur tales esse absolutè, sed in subiectam materiam agere: ergo non perficitur agens actione in se, sed ad perficiendam materiam, vt constat ex diffinitione actionis prædicamentalis, ergo non absolutè, sed respectiuè, sed intellectione scientes, & sapientes absolutè dicimur in ordine ad nos, & non in ordine ad subiectam materiam externam, ergo intellectio non est actio, sed qualitas, quamuis sit operatio. Dices. Etiam intellectione dicitur verbum, & circa obiectum externum versatur intellectio, ergo hac ratione denominabit nos agentes circa subiectam materiam, ac per consequens erit actio. Sed contra est quod intellectio non ordinatur ad verbum; sed potius verbum, est medium vt in ipso quiescat contemplandum obiectum, & actio intellectiua non ordinatur ad obiectum tamquam ad finem; neque tamquam ad materiã, quam transmutet, neque quæ patiatur ab intellectio, ergo non conuenit intellectione diffinitio actionis prædicamentalis, etiam si respiciat obiectum vt specificatiuum.

7 Si inquiras ad quam speciẽ qualitatis attineat intellectio? Resp. non attinere ad speciem passionis, aut passibilis qualitatis, vt tenet Suar. disput. 42. metaph. sect. 5. prob. quia ad illam speciem qualitatis solum attinent illæ qualitates, quæ sunt termini veræ alterationis sensibilis, cuius non esse terminum ipsam intellectionem perspicuum est, attinet ergo ad primam speciem per modum dispositionis qua disponit bene intelligentem.

8 Contra 1. conc. arg. 1. ex D. Th. p. p. q. 39. art. 4. ad 3. *Vbi ait quod intelligere, solum importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in quo nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quadam.* At vbi nulla ratio originis importatur, non est ratio operationis; hæc enim egressionẽ dicit operationis ab operante se mouente à se si sit operatio vitalis, ergo intellectio non est qualitas operatiua, ℣. Resp. ex illo testimonio aperte colligi, quod intelligere non est actio ex qua procedit aliquis terminus, neque verbum (quia hoc à dictione procedit) & sic confirmat intentum nostrum: quia est forma quædam & qualitas in creatis, at non sequitur non esse operationem, quia egressio quam dicit immanens est, nec rationi formæ operatiuæ opponitur.

9 Contra 2. concl. arg. 2. ex Arist. 10. Ethic. cap. 3. asserente quod, *nec virtutum operationes qualitates sunt, neque felicitas ipsa.*

ſa. Sed eadem eſt ratio de intellectione, quæ etiam eſt actio immanens ergo, §. Reſp. vel non, loqui ex propria ſententia, ſed ex ſententia Eudoxij, quem ibi non vacabat in hoc refellere, vt ibi inſinuat D. Thom. vel negat eſſe qualitatem per modum habitus, non verò negat eſſe qualitatem per modum diſpoſitionis.

10 Arg. 3. ad idem. Vt aliquid ſit in prædicamento ſubſtantiæ ſufficit vere eſſe ſubſtantiam, ſed intellectio vere eſt actio, quamuis non ſit tranſiens, ergo pertinet ad prædicamentum actionis, & non ad qualitatem. Confir. 1. Ambulatio eſt actio immanens, & tamē in prædicamento actionis collocatur, ergo etſi intellectio ſit actio immanens collocabitur in prædicamento actionis. Conf. 2. Qualitas corporea, & ſpiritualis collocantur in eodē prædicamento, ergo etiā actio immanens, & trāſiēs non enim magis diſtant. Conf. 3. Eo intellectio non collocaretur in prædicamento actionis, quia non habet motum phiſicum, ſed illuminatio non habet motū phiſicum, & tamen collocatur in prædicamento actionis, ergo illa ratio eſt nulla. Denique. Si intellectio eſt qualitas, ergo debet per aliquam actionem produci: nihil enim ſe ipſum producit ſine actione, aut emanatione a qua non producitur intellectio, quia non tribuitur, à generante, ſed produci per aliam actionē, eſt falſum. Reſpond. quod vt aliquid collocetur in prædicamento ſubſtantiæ, aut qualitas requiritur quod ſit vere ſubſtātia, aut qualitas vniuoce, at intellectio eſt actio vera, ſed analogicē tantum reſpectu tranſeuntis, quia non eſt actus imperfecti, & ideo non ſequitur collocari in eodem prædicamento cum illa. Ad Conf. nego antec. vt conſtat ex dictis lib. 2. habet enim verum motum adiunctum ambulatio, vt deducitur etiam ex Ariſtot. hic lib. 3. text. 65. dicit enim motum localem, vt ab intrinſeco. Ad 3. non eſſe eādem rationem de qualitatibus corporeis, & ſpiritualibus, quia conueniunt vniuoce in ratione qualitatis, cum tamen ſolum analogice conueniant in ratione actionis, intellectio, & illæ actiones quæ ponuntur in prædicamento actionis, & ideo non eſt idem. Ad 3. Illuminationem non eſſe veram actionem de prædicamento actionis, ſed eſſe etiā qualitatem, quod habet fundamentum in D. Th. in 3. diſt. 15. q. 1. art. 1. quod. 1. Vbi docet, quod non infert illuminatio veram paſsionem ac perinde neque eſt actio prędicamentalis, quæ relatiuē dicitur ad paſsionē, ſed conceſſo antecedenti, nego conſeq. eſt enim illuminatio coniuncta cū motu locali, quod ſufficit vt ſit prædicamētalis actio, quod nullo modo habet intellectio, & inſuper ordinatur ad lucem producendā tamquam ad finem, ideoque eſt via & eſt actio prædicamentalis quod non habet intellectio. Ad vltim.

Resp. quod qualitas quæ est eminenter operatio, & actio nō eget alia actione distincta vt producatur, & hoc habet actio etsi sit qualitas.

11 Ex his colligitur cont. Gothofred. quodl. 4. Ægid. quodl. 3. Suel. l. 5. de intellectu c. 9. intellectionē nō in eo consistere quod intellectus informetur specie impressa, & expressa, & sic fiat similis obiecto hoc enim se habet antecedenter; sed consistit in operatione vitali, qua vitaliter percipit obiectum mediante ea similitudine, vita enim non consistit in pati, & recipere mere passiue illo se habente, qui vivit, sed in eo quod se moueat & operetur vt ex D. Thom. 1. p. q. 18. per totam constat.

## QVAESTIO IX.

*Vtrùm de potentia absoluta Dei possit intellectus intelligere per intellectionem non elicitam à se, sed solum ab extrinseco causatam, & illi vnitam.*

1 SVb alijs terminis, posset exercitati hæc quæstio, an scilicet, possit intellectus merè passiuè se habendo intelligere, sed in idem reddit, Disputatur late de hac quæstione 1. 2. q. 3. ar. 2. nunc breuiter prælibamus, quæ viam sternam ad ea, quæ ibi latius examinabuntur.

3 Dicendum est omnino repugnare quod quis intelligat intellectione à se non producta. Sic cōmuniter Thomistæ, & Cajet. 1. p. q. 79. a. 2. Prob. Intellectio ex suo genere est actio immanēs, ergo essentialiter petit manere in operante ipsam, at si esset ab extrinseco, non esset immanens in illo à quo fit, ergo nō esset intellectio. Cōf. 1. Intellectio est vita perfectissima ex D. T. 1. p. q. 18. ar. 1. & 3. sed de ratione vitæ est quod viuēs se moueat a se, ergo non stat intelligere & viuere per intellectionē, & quod non sit à viuente, & ab intelligente. Præterea. Implicat quod quis progrediatur vitaliter, si mouetur ab alio, & non ab ipso ambulante: & hoc ideo est, quia ambulatio vitalis actio est, vt expendet D. Th. 1. p. q. 51. ar. 3. ad 2. 3. & 5. ergo, nec posset quis intelligere si intellectio non esset ab illo, sed ab alio. Quod etiam patet in nutritione, si Deus aggeneret carnem, & non ipsæ viuens conuertat sua actione alimentum, idem etiam colligitur, quia implicat me amare per amorem non à me elicitum: ergo, & intelligere: amor enim est actus voluntarius, & ab intrinseco, actualis præponderatio in bonum amatum.

3 Resp. Scotistæ quod vt saluetur vita, & immanentia actionis, & amor voluntarius non requiritur quod sit ab intrinseco, sed sufficere, quod forma, sed qualitas sit intrinsece, & sic operatiua, & vitalis, & voluntaria; sic ei in ea posita, & sic ab extrinseco po-

ferit quis denominari viuens, immanenter agens, & manens voluntariè, & per consequens intelligens etiam si effectiuè non produxerit talem qualitatem.

4 Sed contra est quod forma quælibet non denominat, nisi subiectū sit capax, sed intellectio, vt operatio vitalis, voluntaria dicit esse ab illo, a quo est producta non ab isto, in quo recipitur, ergo non potest denominare istum, tamquam sit ab illo, ergo nec agētem, cum non sit ab illo: ergo neque agentem immanenter, ergo neq; agentem ab intrinseco, ergo neque agentem voluntariè, ergo neque emanatem, aut intelligentem, aut viuentem. Conf. nam quia relatio filiationis Petri respectu Ioannis dicit pro fundamento, quod Petrus sit a Ioanne, si ponatur in Francisco non poterit illum denominare filium Ioannis, ergo similiter: Tum etiam per hoc quod recipiat intellectus eam intellectionem non se mouet in obiectum, sed mouetur in obiectum ab illo infundente eam qualitatem: ergo non viuit, ergo pariter se habet, ac si pes moueatur a Deo, & nō moueat viuens pedes, ergo sicut in eo casu Petrus non ambulat, nec viuit vita progressiua etiam si a Deo moueatur interminum progressionis, neque in nostro casu intelliget obiectum. Tū etiam. Intellectio est in genere vitæ, sed vitalitas generica sumitur per esse ab intrinseco se mouente, ergo si hæc non saluatur in eo casu, nec quod sit intelligēs saluatur quia sublata ratione generica tollitur specifica, ergo si iste non viuit, ea entitate vita generica sumpta, nec intelligere poterit vi taliter.

5 Cont. nostram conclus. stat Scotus in 3. dist. in. 13. q. 4. & eius discipuli, cum alijs. Fundamentū est, quia secundum D. Thom. p. p. q. 105. art. 2. erroneum est nō posse Deum se solo facere, quidquid facit mediante causa secunda, sed mediante intellectu creato facit Deus intellectionem, ergo sine illo, §. Resp. hoc argumentum tātum conuincere, quod Deus potest facere entitatem intellectionis sine intellectu creato, sicut potest facere entitatem nutritionis sine viuente, & entitatem filij sine patre, & entitatem caloris sine igne, at inde sicut nō sequitur posse facere quod Petrus sit filius Pauli si non est genitus ab illo, aut quod iste nutriatur sine nutritione, quæ sit a se, aut quod ignis calē faciat sine colore a se producto, aut quod agens efficiat si ab illo nō est effectiuè per actionē illius, sic neque facere potest, quod iste intelligat mere passiuè recipiendo entitatem intellectionis ab alio productam, & ratio est, quia hæc omnia non solum habent dependentiam a principio vt purè efficienti, sed etiam vt a principio formali, verb. grat. quod filius sit a Patre, quod nutritio sit ab isto, quod effectio sit ab hoc efficiente, si denominat forma-

li-

liter ipsum, & cum Deus nequeat se solo supplere genus causæ formalis, quia hæc formalitas cum dicat limitationem essentialem non est in Deo, fit consequens neque posse facere quod iste intelligat intellectione à se non elicita, & D. Tho. solum loquitur in his quæ dependentiam habent à causa prima tamquam à causa purè efficienti, nam in simili ad nostrũ casum negat D. Thom. 2. 2. qu. 23. ar. 3. etiam de potentia absoluta posse amare voluntatem amore non à se producto, quia amare dicit actum voluntarium, qui involvit formalem dependentiam essendi ab intrinseco eius, qui tali amore amat: ergo fundamentum illum invalidum est.

6 Sed instabis. Etiam si intellectio vitalis, & amor voluntarius dicant dependentiam formalem à principio quod denominãt intelligentẽ, & volentem, tamen est dependentia à tali principio tamquam à forma extrinseca, non tamquam à forma intrinseca; sed hoc potest Deus supplere, ergo; probatur potest se ipso rationem speciei expressæ in Beatis, habere, vt admittunt Thomistæ, etiã si species sit terminus vitalis intellectionis, & ab intelligente petat esse, ergo idem erit de intellectione. Præterea. Deus intelligit & amat se, & tamen non per amorem essentialem productum, aut per intellectionem productam, ergo vt intellectio denominet, non exigit, quod sit ab illo quem denominat intelligentem, ergo sufficit quod sit in illo, ℘. Respon. negando Deum posse supplere dependentiam formalem extrinsecã; ideoque non potest facere quod si verbum est adæquata similitudo Petri possit seruare eamdem repræsentationem formalem sine Petro obiectiuê repræsentato, repræsentando Paulum, at species expressa respectu intelligentis nõ dicit ex se dependentiam formalem, sed solum respectu obiecti, & ideo etiam si non procedat species expressa ab intelligente dummodo vniatur intelligenti media intellectione ipso obiecto in se; poterit contemplari ipsum in ipsa sicut in beatitudine contigit; at si non sit productum ab illo, non potest esse verbum eius, quia tunc est terminus intrinsecus vitalis, at cũ terminatur contemplatio sine dictione ad obiectum, in se, est terminus extrinsecus, vitalitatis; at intellectio per se à principio intelligente formaliter pẽdet vt est vitalis, & est non solum terminus intrinsecus; sed etiam ipsa vitalitas, quæ essentialiter est ab intrinseco, & ideo non est idem. Ex cõf. sumit robur nostra sententia, nam in Deo est ab ipso intellectio, & habet illam à se per identitatem; quo modo ergo inde probatur quod nos possimus intelligere intellectione, quæ non sit à nobis? Vel dicendum intellectionem esse à Deo eminenter identice, sed quia in nobis non potest esse sic per dimanationem, debet esse formalem.

QVAE-

## QVÆSTIO X.

*An detur verbum mentale, & an sit necessarium, & quid illud sit?*

1 VErbum quantum ad nominis impositionem de verbo vocali dicitur quatenus vox verberat aerem, dum profert ipsum, sed inde translatum est nomen ad significandum mentis cõceptum quem significat, & ad extra profert verbum vocalem. Estque interius verbum mentis quædam imago, & similitudo expressa per actum intellectus dicentis intellectualiter & repræsentat obiectũ intelligibiliter, & in ipso contemplatur mens obiecta, vide D. Tho. 1. p. q. 34. ar. 1.

2 Sed quia verbum dicit perferri à dicente per similitudinem ad speciem, qua informatur dicens, ideò productio verbi conceptio interna dicitur, & ipsum verbum conceptus mentis, & prolatio manifestata ad alios, siue per intellectum, siue per vocem parturitio, & nativitas dicitur, vt notat D. Thom. in 3. dist. 8. q. 1. ar. 1. ad 6. & hc Sap. dicit: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Quia Verbu Patris ab æterno extitit. Dicitur etiam productio verbi mentalis dictio, aut loquutio iuxta illud Psalmi: *Tibi dixit cor meum. Dixit insipiens in corde suo*, & Paul. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Angeli non habent linguam, sed solas intellectiones quibus verba mentalia proferunt: Cũ ergo constet ex Scriptura sacra nos mente loqui ad Deum, & Angelos ad inuicem loqui, constabit etiam dari verbum intellectuale. Constat etiam duos respectus importare verbum mentis, alterum ad dicentem à quo profertur, alterum ad obiectum, cui assimilatur, de quo D. Tho. 1. p. q. 27. ar. 1.

3 Quod autem sit necessariũ verbum mentale ad intelligendũ productum ad intra ab intelligente, quoties obiectum saltim non est intra intelligentem cum debita proportione, vt contemplatio terminetur ad ipsum percipiendũ in se prob. D. Tho. opusc. 13. non quia intellectio ex se fit actio necessario productiua exigens pro termino intrinseco tale verbum; hoc enim falsum est; sufficit enim ad intelligendum quôd vniat intellectum cum obiecto, si per suã substantiam potest esse immaterialiter intra ipsum, & quod tendat in terminum, non vt productum, sed vt cognitum, vt contingit in visione beatifica, & in cognitione substantiæ Angeli respectu sui; sed quia intelligimus trahendo rem ad intra immateriali modo, si obiectum sit absens, aut extra intellectum, & sub modo materiali non poterit intelligi, ni si ponatur intra intellectum ab ipso intellectu cognoscente rem trahendo ad se, at ad hoc non sufficit, quod sit intra per speciem im-

Impressam, quia ad hãc non tendit intellectio, se potius est ab illa; tamquam à principio: ergo necessario debet formari verbum, ex indigentia habendi intra immaterialiter in actu secundo, intelligibile, potest etiam esse necessarium ex abundantia verbum, vt quod intelligitur reddetur alijs manifestum per internam loquutionem proferendo verbum, sicut cũ vnus Angelus alteri loquitur, aut Deus sibi ex abundãtia infinita cordis, quo se concipit, & cognoscit, de quo D. Th. 1. p. tota q. 34. vt autem verbum, ex indigentia proferatur non requiritur prius cognosci obiectum, vt ad eius similitudinem formetur, sed sufficit ab intellectu fœcundato specie gigni, & proferri, nec tamen prius debet cognosci, quam obiectum, sicut imago externa prius quam imaginatum externum, quia non est medium repræsentatiuum per quod cognoscitur tamquam per instrumentum, sed est medium formale, quo cognoscendi, vt infra dicetur.

4 Quidditas ergo verbi mentalis, sic potest diffiniri: *Spiritualis qualitas ab intellectu cognoscente dimanans, formaliter repræsentans obiectum per modum imaginis intellectualis.* In eo quod sit qualitas, & similitudo formalis conuenit cum specie expressa, de qua supra dictum est esse similitudinem formalem obiecti, sed in eo quod sit procedens ab intelligente per modum imaginis differt à specie impressa. Vide D. Thom. in 1. ad Anibald. dist. 27. q. 2. art. 1. alio modo verbum diffiniens.

## QVAESTIO VI.

### *Vtrum Verbum mentis distinguatur ab intellectione, & specie intelligibili?*

1 VErbum mentis in creatis realiter distingui à specie impressa suadet in primis auctoritas Arist. hic lib. 3. c. 5. vbi ab experientia testificatur, quod intellectus vt sciens in actu primo, & in habitu quandoque intelligit, quandoque non, quandoque est vt dormiens, & quandoque est vigilans, quandoque in otio, quandoque in exercitio, & actu intelligendi; sed intellectus in habitu sciens supponit speciem impressam, cum habitus sit ordinatio specierum, neque dicitur sciens in actu primo, nisi qui habet species acquisitas, quæ sunt complementum intellectus in linea actus primi; Verbum autem mẽtis est quo fit complete in actu secundo, quia loquutio intellectualis, quæ fit per verbum actualem expressionem intellectiuam, & conceptum, & notitiam dicit; ergo Verbum realiter distinguitur à specie impressa. Tum etiam constat, quia cum verbum sit imago obiecti dicit ordinem originis ad illud mediante specie; ergo species se habet, vt id quo efficitur Verbum, ergo distinguitur ab illo,

ipso, sicut causa efficiēs, & id quo agit distinguitur ab effectu, si ergo obiectum efficit imaginem ini in verbo mediante specie & intellectu concurrente: species impressa distinguitur à Verbo mentali.

2 Vnde colligitur 1. quod verbum mentis realiter distinguitur ab obiecto increatis, nam, & si supra dixerim cum Arist. lib. 3. de anim. text. 15. quod verbū secundum esse intentionale reduplicativè non distingui positivè ab obiecto intentionaliter consideraro, quia est ipsa eius quidditas, & forma, tamen secundū esse reale, & naturale necesse est distingui, quia verbum originatur ab obiecto tamquam imago illius. Secundo distingui etiam ab intellectione, saltim metaphoricè, & ex natura rei; vt ferè admittitur ab omnibus, quia intellectio significatur, vt vna, & tendentia, & verbum vt terminus eius, sed natura viæ metaphisica consideratæ est diuersa à natura termini, etsi illa via seu motus sit actus perfecti, ergo. Ideoque potest saluari conceptus intellectionis absque verbo in visione beata, & in Angelo, si non format verbum in cognitione sui: & in Diuino Verbo est ratio verbi personalis, & tamen non est in eo rationalis intellectio, sed solum essentialis vt connotat relationem, ergo quia conceptus verbi, & intellectionis, omninò diuersi sunt, metaphisicè, & ex natura rei, quod hic dicimus his vocibus vt suadeamus, etiam in schola Scoti admittendum esse hoc assertum, quamobrem totus difficultas ad hoc deuoluitur, an scilicet realiter distinguantur verbū mentis, & eius intellectio: tamquam entitas, & entitas realiter distincta, aut tamquam entitas, & modus realiter diuersus in rerum natura.

3 Dicendum est igitur verbum mentis realiter entitatiuè distingui ab intellectione tamquā duas qualitates diuersas. Sic cōmuniter Thomistæ cum D. Tho. p. p. quæst. 34. ar. 1. & alibi. Pro. ratione. Si verbum non distingueretur realiter ex natura sua ab intellectione qua producitur non esset vlla ratione congruentiæ efficaciter suadeas Verbum Diuinum distingui realiter ab intellectione notionali Patris, & sequeretur talem intellectionem notionalem Patris esse Verbum notionale, & Patrem esse Verbum notionaliter, siquidem ea notionalis intellectio esset formalis similitudo expressa in Patre; sed hoc non est dicendum, ergo nec est dicendum quod Verbū increatum non distinguitur realiter ab intellectione, quæ est origo talis Verbi, & quæ est eius prolatio, & effectio in ratione imaginis creatæ, ℣. Præterea nemo dubitabit, quód visio beatifica, vt creata est, de facto nō sit beatitudo obiectiua, alioquin sequeretur beatitudinē nostram posse consistere obiectiuè in actu elicito, potentiæ beatificæ, &

sic

sic esset vltimus finis, non solum formaliter, sed etiam obiectiuè, quod est contra D.Tho.1.2.q.1. ar.2.ad 3. sed si visio beatifica in se esset Verbum, & species expressa Dei, in se esset formalis Dei similitudo, & obiectiue esset ipse Deus, esset in se beatificatiuũ obiectum, & vltimus finis obiectiuus in esse intentionali; ergo negandum est quod intellectio quia intellectio sit verbum mentale, ergo si non est verbum, in aliquo realiter distincto debet consistere Verbum mentale.

4 Prob.2. Species impressi in creatis, realiter distinguitur ab intellectione, ergo etiam species expressa, seu verbum mẽtis. Prob. conseq. Eô species impressa realiter distinguitur; quia se tenet ex parte obiecti motiui, sed etiam verbum se tenet ex parte obiecti terminatiui, tamquam id quo redditur actu intellectum, sicut species impressa est quo redditur actu intelligibile, ergo non minus debet distingui ab intellectione, quàm ab ea distinguitur species impressa, prob. conseq. nam æque se habet vt quid diuersum à potentia obiectum vt motiuum, atque vt terminatiuum, ergo si species qua mouet distinctum quid est ab intellectu, & eius intellectione pariter dicendum erit de specie expressa media qua terminat.

5 Contra concluſ. arg.1. ex Arist.12.meth.text.29. asserente quod: *Intellectus fit intelligens assimilatione, seu assumptione intelligibilis.* Sed fit intelligens intellectione, ergo intellectio assimilatio est, & per consequens verbum, seu similitudo expressa obiecti. Conf. ex D.Thom.1.p.q.34. ar.1.ad 3. asserente quod: *Intelligere solum importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ*; sed quo intellectus noster fit in actu, tamquam per formam rei intellectæ verbum est, ergo intelligere nostrum verbum mentis est, & per consequens vnum non distinguitur ab alio, & in 1.dist.27.q.2.a. 2. in corp. ait: *Conceptio autem intellectus est vel operatio ipsa, quæ est intelligere, vel species intellecta.* Ergo operationi potest competere ratio conceptionis intellectualis, & ratio speciei expressæ, nam subiungit: *Vnde oportet, quòd verbum vel dicatur ipsa operatio intelligendi, vel ipsa species, quæ est similitudo rei intellectæ, &.* Resp. quod intellectus fit intelligens intellectione, quæ est actiua assimilatio, quatenus assumit intelligibile medio verbo à se producto, aut si non producit verbum, quatenus assumit ipsum intelligibile in se ipso. Ad 2. test. Resp. quod cum D.Thom. ibi doceat quòd intellectio non importat originem, quam tamen ibi etiam exigit, ad rationem verbi, fit conseq. D.Thom. solum intendere intellectionem habere rationem formæ contemplatiuæ dicen-

centis habitudinem ad obiectum prout est in verbo, tamquam in forma rei intellectæ. Ad 3. respon. D. Thom. loquendo disiunctiuè intellectionem distinguere à verbo, & à specie expressa, licet vtrumque doceat requiri, vt sit completa intellectio, vnde, & *addit vtrumque enim istorum est id quo quis intelligit formaliter.*

5 Arg. 2. Cognitio est formalis notitia; ergo est formalis similitudo expressa obiecti; ergo, & verbum; prob. conseq. formalis notitia est qua tamquam forma notificatur obiectum intellectui; sed non notificatur, nisi similitudine, qua fit præsens intra intellectum; ergo. Insuper intellectio si est qualitas est quæ formaliter denominat, & facit intellectum formaliter intelligentẽ; ergo secluso quocumque alio distincto, intellectus formaliter fit intelligens; ergo cũ non intelligatur obiectum (quando seipso in se non intelligitur) nisi adsit verbum, sequitur, quod intellectio non possit distingui realiter à verbo mentis, Respon. concesso ant. neg. conseq. nam vt notificet obiectum sufficit quod habeat pro termino formalem similitudinẽ obiecti, aut in ea præhabita, & producta per dictionẽ contempletur obiectum, quia notificat non vt mediũ, sed vt actio intellectus in illo medio percipiens obiectum. Ad id quod subdicit dico quod intelligere reddit intelligentem per modum formæ repræsentatiuæ nego, per modum formæ operatiuæ concedo, ac proinde dicit necessariam connexionem cum verbo, aut cum obiecto in seipso sine medio apprehenso, nec dabitur sine tali termino, sicut nec homo dabitur extra causa subsistens; & si substantia realiter ab hominis natura distinguatur.

6 Arg. 3. Intellectio est loquutio intellectualis, sed hæc est formaliter repræsentatiua, vt patet in loquutione oris, neq; enim aliud sunt verba quam prolatio, ergo. Tum etiam intellectio nostra est participatio diuinæ intellectionis; sed illa est formaliter repræsentatiua; ergo, & nostra, §. Resp. verbum vocale non esse prolationem ipsam, sed vocem cum significatione, vt exprimitur significando conceptum, & si verbũ à prolatione distinguitur, nec prolatio est repræsentatiua, sed vox. Ad 2. quod inde posset colligere, quod intellectio nostra, nec a substantia nostra, nec à specie impressa, nec ab actu voluntatis distinguitur realiter, quia in Deo hæc non distinguuntur admisso, ergo quod intellectio sit participatio intellectionis Dei, nego inde sequi non distingui à verbo mentis, quia est limitata participatio, & ideo non identificat quæcumque in Deo identificantur.

## QVAESTIO XII.

*An verbum mentis terminet intellectionem, vt quod intelligitur, an, vt quo tantum intelligitur obiectum.*

1 DIcendum est. Verbū non est obiectum quod intellectionis, nec id quod intelligitur, sed quo vel in quo intelligitur obiectum repræsentatum in verbo. Prob. ex D. Th. ex verbo, & obiecto, non fiunt, duo cognita, sed vnum, quia respectu vtriusque non sunt duo, sed vna cognitio; at si verbum esse cognitum, tamquam obiectum quod ex ipso, & obiecto ad extra, quod etiā cognoscitur; vt quod fierent duo obiecta cognita; ergo con D. Th. est asserere, quod verbum non cognoscitur, vt quod. Tum quia eo signum instrumentale exigit duas cognitiones, quia repræsentat vt medium quod, seu medium per quod; & ideō docuit Aug. quod ex præexistente cognitione sui aliquid facit in cognitionem venire: ergo si verbum mentis nostræ repræsentat, vt quod, super quod exiget duas cognitiones, vt mediante illo cognoscatur obiectum ad extra.

2 Dices quod secund. Philosophum, idem est motus in imaginem, & rem imaginatam & tamen imago externa est medium quod; ergo ex eo quo verbum mentis, quod est imago intentionalis obiecti, sit medium quod non sequitur, ponendas esse duas intellectiones in ipsum, & in obiectum ad extra tendentes, ℘. Sed cont. est quod idem est motus in imaginē, & rem imaginatam respectu adorationis, quæ est actus Religionis, & sic imago nō adoratur, vt quod per se colitur, sed in quo adoratur res imaginata, sed non est idem motus cognoscitiuus; & dato quod loquatur Arist. de motu cognoscitiuo dicit esse vnum motum, vnitate ordinis, non vero vnitate simplicitatis. Præterea. Id quod intelligit intellectus noster non est esse quod habet obiectum intentionaliter, in verbo; hoc enim sine reflexione non aduertit, sed esse quod habet obiectum ad extra; ad hoc enim format verbum, & inde sumitur veritas, vel falsitas verbi mentalis complexi, ergo nō habet verbum esse cognitum, vt quod vel si hoc habet reflexio erit, & per consequens duplex actus.

3 Sed con. concluſ. arg. Intellectus ex vi suæ naturæ habet terminari ad obiectum ad intra trahendo illud ad se; Vnde obiectum est actu intellectū, vt quod quatenus est intra intellectū; sed verbum sub ratione imaginis, nihil aliud est quam obiectum, vt intra intellectum ergo verbum, vt tale est obiectum intellectus, vt quod. Resp. quod trahere obiectum ad se intra intellectum, quæ est conditio necessario requisita ad cognoscendum non arguit verbum

bum esse intellectum, vt quod, quia vt ait D. Th. 4. contra gen. c. 11. homo intellectus non habet esse verè hominum in verbo mentis nostræ, sed in re, & in mẽte solum est similitudo eius: quod ergo intelligitur est verus homo, sed quo vel in quo est verbum, & ideo nihil contra nos colligitur ex obiectione, quia vt docet D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 2. *Intelligere mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam.*

## QVAESTIO XIII.

*An verbum mentis producatur intellectione, vt dictio est, & an dictio sit actio distincta ab intellectione?*

1 DIcendum est 1. Verbũ mentis non producitur intellectione, vt intellectio est, sed quatenus est dictio. Hæc conclusio apertè colligitur ex proprijs prædicatis vtriusque formalitatis, quæ explicat D. Th. 1. p. q. 34. ar. 1. ad 2. *Sic intelligere solum importat habitudinem intelligentis ad rem intellectã, in quo nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quadã in intellectu nostro, &c. Dicere autem importat principaliter habitudinẽ ad Verbum conceptum. Nihil enim est aliud dicere quàm proferre verbum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam.* Et idem habet 3. p. quæst. 39. art. 8. ad 2. Vnde & ratio à priori desumitur, Intelligere vt tale ex se nullum originem importat principaliter, sed solum habitudinem ad rem intellectam percipiendo illam mentaliter, vt patet in intellectione essentiali Dei, in intellectione etiam Angeli respectu sui, & visione beatorum admisso quod non formetur verbum; at dicere est proferre verbum, & in hoc essentialiter importatur ordo originis, sicut in generatione creata etiam importatur, ergo non producitur verbum ab intellectione, vt intellectio est; sed tantum vt dictio est. Si autem dicas in omni intellectione creata formari verbum, adhuc hoc dato (de quo quæst. sequenti est agendum) saluatur non produci ab intellectione secundum puram formalitatem intellectionis, vt patet in intellectione essentiali Dei, sed secundum formalitatem dictionis.

2 Dicendum 2. Dicere mentaliter verbũ non est distincta realiter actio ab intellectione, solum que differunt, intelligere, & dicere, tãquam duæ formalitates distinctæ non quidem ex natura rei, sed virtualiter & ratione ratiocinata. Sic communiter Thomistæ cũ Caiet. & Ban. 1. p. q. 27. ar. 1. & est de mente D. T. nam 1. p. q. 27. ar. 1. & 4. contra gen. c. 11. *Docet quod quicumq; intelligit eo ipso quod intelligi format verbũ*; ergo formare verbũ est ipsũ intelligere ergo intelligere, & dicere non

sunt actiones diuersæ; & ne dicatur quod illud verbum, *eo ipso quod intelligit*, non dicit identitatem, sed connexionem, & causalitatem, addit. q. 34. art. 1. ad 3. & art. 3. *quod Pater ex intellectione producit Verbum*, & q. 4. de ver. 2. ait. *quod verbum est effectus intelligendi*, & ad 5. quod dicere, *non solum significat intelligere, sed intelligere cũ modo*, ergo dicere significat intelligere, & includit illud in se: ergo est eadem entitas. Ex his vltimis verbis constat distingui dictionem intellectione, quæ pura contemplatio est saltem ratione; quod & satis insinuat D. Th. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. & q. 37. art. 2. quia dicere non est vtrumque intelligere, sed intelligere fœcundê proferendo verbum, ergo dicit diuersum modum secundum rationem ab eo quem dicit purê intelligere.

3 Quod autem verbum non producatur per diuersum actum ab intelligere probatur. Qui dicit verbum intelligendo dicit: ergo dictio est identicê intellectio: prob. ant. verbũ vt dictũ est ipsum obiectum quatenus intellectum & est manifestatio intelligibilis, obiecti: seu esse intellectum non prouenit nisi ab intellectione, ergo verbum vt dictum est intellectum ergo cum suum esse habeat ab vnica actione intellectus dictio non erit actio diuersa ab intellectione. Tum etiam. Intellectus adæquatè est potentia intellectiua, ergo omnis eius actio adæquatê est intellectiua, sed dictio est actus intellectus, ergo dictio est intellectio, sicut omnis actio ignis est ignitio, quia ignis adæquatè est ignitiua natura. Conf. 2. Eadẽ actio quę dat esse, dat illi vltimũ esse, & ideo actio agẽtis, nõ potest producere rem nisi vt existẽtem; sed verbum habet suum complementũ, & quasi existentiam in suo genere per esse intellectum, quia ad hoc datur vt manifestet obiectum & reddat intellectum, ergo dictio etiam est intellectio.

4 Contra nostram conc. tenet Scotus in 1. dist. 27. q. 1. asserens dictionem à contemplatione distingui, sic etiam eius schola Ocham & alij. Durand. autem existimat, nec ratione distingui verbum ab intellectione, ac per cõsequens, nec dicere ab intelligere, & ar. 1. Posterius nõ est de natura prioris, ac per consequens ex natura rei distinguitur ab illo, sed dicere prius est quam intelligere, quod est posterius, ergo intelligere non est de natura dictionis, ergo dictio, & intellectio saltim ex natura rei distinguũtur realiter, & à parte rei: pro. mi. terminus dictionis nẽpê verbũ præsupponitur intellectioni, quia verbũ cõtinet ad intra obiectũ contẽplationis, & intellectionis, obiectũ autẽ prius est illo cuius est obiectũ; sed verbũ est effectus dictionis, ergo dictio prior est intellectione. ℣. Ref. dist. mai. si sit aliquid posterius ratione tantum non est de natura prioris, ne-

nẽgo, si sit posterius natura & realitate concedo. Et dist. min. dicere prius est quam intelligere tempore, aut natura nego, ratione concedo: nã hæc prioritas sufficit vt secundum, quod dictio est originet verbum quod specificat ipsam, vt intellectio est. Sicut forma secundum gradum essendi causat aliquas proprietates, quæ disponunt vt recipiatur eadẽ forma in subiecto secundum alios gradus, & nego conseq.

5 Arg. 2. Intellectio vt talis est in prædicamento qualitatis, quia est actio immanens vt supra ostendi; sed dictio est actio transiens, & de prædicamento actionis, ergo est entitas distincta ab intellectione, nam prædicamenta sunt entium diuisiones, prob. mi. illa est actio, transiens quæ habet pro termino aliquid operatum. Et in hoc distinguitur ab actione immanente teste Arist. 9. meth. text. 16. & 1. ethic. cap. 1. & D. Th. ibi & 1. contra gen. cap. 100. & opusc. 15. sed dictio producit verbũ tanquam aliquid operatũ, ergo, &c. Resp. actionem transeuntem esse illam quæ habet pro termino aliquid operatũ transmutãdo subiectum æternum per verũ motum concedo: absque physica illa transmutatione nego. Et cum dictio absque motu proferat verbum ad intra; non sequitur esse actionem transeuntem, sed est potius immanens actio, alias solutiones vide apud Caiet. p. p. q. 27. ar. 1. & apud D. Th. & Ferr. 1. cont. gen. c. 100. Consistunt in eo quod actio transiens necessario petit terminum, immanens autem permissiue, quis enim dubitet actum scientificum repetitum generare habitum, & etiam in eo quod actio transiens per se respicit terminum productum vt finem cui subordinatur, à quo completur, at actio immanens non vt ad finẽ ordinatur ad terminum productum, sed tamquam ad medium, vel tamquam ad finem effectum, subordinatum sibi, & sic verbum producitur ab intellectione tamquam quod habet vltimum esse per intellectionem.

## QVÆSTIO XIV.

*An omne intelligens, eo ipso quod intelligit, in omni intellectione formet verbum?*

1 SVpponit hæc controuersia, quod verbum distinguitur ab intellectione, & quod intellectio non est similitudo expressa obiecti, & latè disputatur à Theologis, p. p. q. 12. ar. 2. inquirendo, an ex vi visionis beatificæ formetur Verbũ à Beatis in quo quidditatiue videant Deum, & q. 27. ar. 1. vbi docet D. Th. quod omne intelligens, eo ipso quod intelligit format verbum: & q. 56. art. 1. quod Angelus in cognitione quidditatiua sui formet verbum, quamobrem breuiter in præsenti prælibabimus, quæ ad ea quæ in Theologia agitantur aperiant viã, nec

ca quæ ad animasticam considerationem attinet omnino relinquemus intacta.

2 Dicendum igitur, quod etsi omne intelligens eo ipso quod intelligẽs, ideſt intellectiuus eſt, producat Verbum mentale, aut ex indigentia; quia obiectum non redditur à ſe ipſo intellectum in actu 2. ideſt intra intellectum immaterialiter exiſtens, niſi medio verbo formato ab intellectu, aut ex fœcunditate, quia debet alijs loqui, & manifeſtare, quod intelligit ex abundantia cordis formando verbum. Tamen non eſt neceſſe, quod omnis intellectio, ex quo intellectio eſt ſit formatiua verbi mentalis.

3 Prob. ſecundum D. Thom. 1. contra gent. cap. 53. & lib. 4. c. 11. & opuſ. 13. & 19. Ex quo Bon. p. p. q. 27. art. 1. dub. 2. & q. 56. a. 1. Nullus eſt intelligẽs aut quod ex indigentia, aut ex abundantia non proferat verbum, & ſoli intellectuali creaturæ, vt cognoſcitiua eſt hoc competit (quod dixerim propter imaginatiuam, & æſtimatiuam, quæ etiam proferunt verbum imperfectum, ſeu idolum obiecti) ergo omne intelligens, ex hoc ipſo quod intelligẽs, ſeu Intellectiuum eſt format verbum: Prob. ant. Si eſt intelligens creatum non habet intra ſe obiectum abſens, ergo ad cognoſcendum intra ſe obiectum indigit verbo, quo faciat obiectum in ſe abſens, illi præſens intelligibiliter intra intellectum, qui res intra ſe tra-hendo intelligit. Si autem fuerit materialiter præſens, non tamen proportionato, & intelligibili modo, & cũ debita immaterialitate, ſiquidem prout materialiter præſens; aut non abſtrahit à conditionibus, indiuiduantibus, aut non habet actualitatem, & immaterialitatem, quæ exigitur, vt intelligatur, ergo omnem intelligẽs creatum, ex indigentia format verbũ mentis, ſi autem agens fuerit increatũ: ex indigentia non formans verbum, quia Deus obiectiue habet omnem actualitatem requiſitam vt terminet cognoſcitiue intellectionem. Saltim ex abundantia debet loqui & manifeſtare, quod intelligit, vt patet in proceſſionibus diuinis, ergo nullum eſt intelligens, quod ex quo eſt tale non proferat verbum aut ex indigentia, aut ex abundantia, ad loquendum alijs, & manifeſtandum ſuum conceptum alijs medio verbo non enim eſt loqui, & dicere, niſi formando verba, aut mentalia, aut vocalia, ergo.

4 Quod vero, ex eo quo ſit intellectio non exigat verbum formare facilè patet nam niſi aut ſit indigentia, ex parte obiecti, vt intelligatur, aut abundantia ex eo quod ſit alijs manifeſtandus conceptus, ſaluatur conceptus intellectionis quæ eſt habitudo intelligentis ad rem intellectam, per hoc quod cognoſcitiue terminetur ad obiectũ, actu immateriale & actu ex ſe ipſo cognoſcibile, ſicut viſus terminatur in noſtra ſen-

tentia

tia ad obiectum ad extra, quia in se est actu visibile, & proportionatum visioni, ergo si fuerit obiectum ad intra intelligibile, vt cõtingit in intellectione absoluta, quatenus se ipsum cognoscit, non erit verbum ex eo quod sit intellectio.

5 Licet posset etiam saluari; secundum M. Araujo 1. p. q. 27. art. 1. dub. 3. omnem intelligentem creatum, & omnem intellectionem creatam ex quo talis est exigere, quod ex ipsa procedat aliquod verbum, quod sit terminus intellectionis creatæ, sicut omnis natura creata petit subsistentiã connaturalem dimanantẽ ab illa, quamuis quatenus terminatur diuina subsistentia, hæc non dimanet à natura creata. Sic etiã cum videt Beatus Deum non dimanat verbum ab intellectione. Neque cum videt Angelus suam met substantiam, quia obiectum, ob suam actualitatem est intra. Sicut etiam dicimus quod omnis demonstratio, ex quo talis est producit habitum quamuis secũda, quia iam præoccupata est non producat, mihi tamen plus placet, modus expensus à num. 2.

6 Arg. 1. Omne intelligens, ex quo tale est, est agens actione immanenti, & omnis intellectio est immanens, ergo repugnat illi producere terminum realiter distinctum, ac per consequens producere verbum, alioquin non esset per quid distingueretur, actio transiens immanenti, ℣. Resp. ex dictis quæst. antec. dato ant. nego conseq. ad prob. non distingui actionem immanente à transeunti per repugnare illi producere terminum realiter distinctum, sed per producere extra agens in externa materia, & cum motu physico, vel quia actio transiens exegit terminum productum positiuê, at immanens tantum permissiuê. Vel quia terminus se habet, vt finis in actione transeunti, secus immanenti, nam quies non consistit, in termino, sed in actione ratione cuius est terminus, & sic quies intelligentis est, in contemplatione verbi à se producti.

7 Arg. 2. Estque replica contra dicta Verbum se tenet ex parte obiecti, redditque illud vltimo intelligibile; ergo si datur est finis & specificatiuum intellectionis, ergo si intelligere, est actio immanens, & omni intellectioni immanenti repugnat productio termini, qui sit finis agentis, & actionis, repugnauit quod aliqua intellectio creata producat verbũ, aut quôd omne intelligens creatum. Ex quo intellectiuum est producat verbum mentale. Tum etiã nulla potentia potest tribuere vltimam actualitatem suo obiecto, cum potius & ab eo sumat suam actualitatem, quia potentia specificatur ab obiecto; & eo pendet tamquam à dante actualitatem; ergo non formar verbum ex indigentia obiecti, quatenus ipsi obiecto, deest vltima actualitas, sufficiens

ciens ad intra terminare intellectionem, §. Resp. quod verbũ ex parte obiecti se tenet, non tamen specificatur intellectio à verbo, neque habet illud pro fine, sed solum obiectum, quia repræsentari in verbo est conditio quædam, nõ ratio formalis dans intellectualitatem obiecto; & hoc ipsum habet virtute obiecti prout in specie impressa continetur, & sic nũquam verificatur, quod intellectus det actualitatem obiecto formando, verbum sed quod modum essendi per modum conditionis aptum terminare intellectionem ad intra.

## QVÆSTIO XV.

*An sit intellectus, & quid intellectus possibilis, & an sit vnus respectu omnium intelligentium.*

1 DAri intellectum possibilem in nobis de fide est, cũ multis sacræ Scripturæ locis, & Deo, & homini attribuatur, intellectus & intelligere, & experientia ipsa nobis innotescit, quamobrem de hoc disputare supervacaneum esset. Dicitur autem intellectus possibilis, seu passibilis, non quia vera passione transmutatiua patiatur, sed sicut sensus dicitur potentia passiua respectu sensibilium, quod notat Arist. lib. 3. de anima cap. 4. text. 2. ita vt passio perfectiua sit, quatenus non agit nisi in quantum prius recipiendo speciem, media qua mouetur ab obiecto, & constituitur in actu primo completo: Redditur complete potens intelligendum.

2 Potestque eius quidditas sic diffiniri conformiter ad doctrinam Ar. l. 3. de anima c. 9. *Intellectus possibilis est potentia spiritualis anima rationalis potẽs suscipere formas sine materia rerũ omniũ in vniuersali omniaque cognoscere.* Quod ut potentia spiritualis animæ rationalis, denotat rationem genericam, in qua conuenit intellectus possibilis, cũ intellectu agẽte, & cũ voluntate, ex quo refellitur sententia Galeni, & Empedocli asserentium consistere in harmonia humorum intellectum nostrum, vel in illa radicari. Per hoc quod dicitur potens suscipere formas rerum omnium sine materia in vniuersali, partim conuenit intellectus cum sensu, quia vtraque potentia est passiua, partim dissider, quia sensus solum est receptiuus formarum in singulari, idest repræsentatiuum rem in singulari. Vltima autem particula ponitur ad differentiam intellectus agentis, & voluntatis, quæ non sunt potentia actu intelligentes.

3 Sed quia Arist. hoc lib. 3. text. 5. & 36. dixit intellectũ nostrum esse immixtũ materiæ, & separatum, somniauit Auerroes realiter esse separatum ab anima, & vno numero intellectu possibili separato omnes nos intelligere, qua-

quatenus nobis continuatur mediis diuersis phantasmatibus, quæ apud nos habemus quibus percipimus nos intelligere hæc vel illa per intellectum separatum non inhærentem nobis.

4 Dicendum tamen intellectum possibilē inhærere animæ, & multiplicari in hominibus, iuxta numerum animarum, quatū est propria passio. Sic D. Th. 3. de anima & 1. p. q. 76. art. 2. & alibi passim, & Prob. De fide est animā rationalem ésse veram corporis formā, vt dicitur in Conc. Later. 3. sess. 8. & multiplicari ad multiplicationem corporum; sed notū est lumine naturali, quod intellectus est propria passio animæ nostræ, quatenus est substantia immaterialis, & per consequens intellectualis, ac proinde quod multiplicata essentia debeat propria passio multiplicari, ergo certum debet esse, quod intellectus possibilis, quo omnes hominis intelligunt, non est vnus, neque separatus ab anima tamquam à subiecto.

6 Sed tamen Picus Mirandulanus, & Aquilinus quos refert Ban. 1. p. q. 76. ar. 2. asserūt quod etsi ratio facta suppositō illo principio fidei cōuincat, at solū standō rationi naturali tenendum est cū Auerr. Sed hoc dictum temerarium esse docet D. Th. opus. 16. quia fides non opponitur rationi naturali, neq; hæc contra illam militare potest. Quamobrem, & ratione naturali conuinci potest Auerroes, & demonstrat hoc D. Th. in primis in sententia Platonis asserentis quod homo est ipse intellectus, quæ increatis sunt diuersa ab vno tertio, sunt etiam diuersa inter se realiter, sed Paulus & Ioannes sunt duo homines realiter distincti, ergo & intellectus vtriusque realiter distinguuntur: Tum etiam in sententia Arist. anima est forma corporis, & intellectus propria passio, & potentia animæ rationalis, ergo, si animæ multiplicantur iuxta multiplicationem corporum: etiam intellectus multiplicabuntur vt supra ostensum est.

6 Et prob. absolutè ab absurdo quod sequitur contra rationē naturalem ex sententia Auer. Nā si mille homines intelligerent idē obiectum, sequeretur, esse vnum tantum intelligentem, quia esset vna actio intelligendi, quæ ex vno principio proximo intelligendi dimanaret, nam esset vnus numero intellectus, & vna numero species. ℣. Si dicas, tunc esse plures intelligentes, quia actio illa esset vna ab vnico intellectu tamquam ab instrumento, at agentia principalia essēt plura, & sic actio esset plures virtualiter, sicut verificatur plures trahere nauim, quia actio est ab illis. Sed contra est quod in eo casu intellectus separatus, esset subsistens, & haberet ex se rationem cōpletam intelligendi, quia esset vnica, quia vnica esset species, ergo solū esset vnum intelligēs principaliter, non au-

tem plures ſicut in trahẽtibus nauim verificatur eſſe plures, quia virtus trahendi eſt in ipſis, & medio inſtrumento funis trahant illã: at non eſſe ſic in caſu noſtro: nam virtus intelligendi non inhæret illis neque eſſet virtus inſtrumentali eorum: & intellectus eſſet ſubſiſtens immateriale, ergo non eſſet caput, vnde colligi poſsit hos homines eſſe plures intelligentes, immo nec eſſet poſsibile quod ipſũ intelligerent per illum intellectum.

7 Nec ex quo eſſent in hominibus phantaſmata ſequeretur, quod ipſi intelligerent, ſed quod eorũ phantaſmata eſſent intellecta, ab intellectu ſeparato, ſicut ex quo ſpecies baculi colorati ſit in oculo, non ſequitur quod baculus videat, ſed quod ratione coloris ſit viſus ab oculo, ergo cũ phãtaſma ſe haberet ad illum intellectũ ſeparatum, ſicut coloratũ ad viſum, ex quo continuaretur ille intellectus hominibus ratione phantaſmatum, non ſequeretur homines intelligere per illum intellectũ, ſed intelligi tantum ab illo intellectu. Nec poſſet intellectus ſeparatus continuari cum hominibus ratione phantaſmatũ exiſtentium in illis: quia intellectus fit in actu non per hoc quod eſt in obiecto, ſed per ſpeciẽ qua in ſe informatur, ſicut viſus fit in actu, non per coloratum ad extra, ſed per ſpeciem eius: ergo ille intellectus ſeparatus non fieret in actu per phantaſma exiſtens in nobis, ſed per ſpeciẽm eius quæ eſſet non in nobis, ſed in ipſo intellectu ſubſiſtenti ſeparato; ergo ſicut oculus videns non continuatur cum lapide colorato, per colorem exiſtentẽ in lapide, ita nec ille intellectus ſeparatus continuaretur nobiſcum per hoc quod in nobis eſſent phantaſmata rerũ, quæ ille intellectus in ſua ſeparatione cognoſceret, ergo ſicut lapis non cognoſcit nec videt, per hoc quod videat oculus noſter eius colorẽ, ita nec nos intelligeremus per hoc quod ille intellectus cognoſceret quæ in nobis habent phãtaſmata, ergo ſententia Auerr. homines facit irrationales, & omnino expertes cognitionis intellectiuæ. Denique cognoſcens ratione virtutis cognoſcitiuæ continuatur obiecto, ſicut operans ratione virtutis operatiuæ continuatur operato, & coniungitur illi, ergo vt homo dicatur cognoſcens obiecta ad extra, & illis cognoſcitiuẽ intelligibiliter coniungi, & continuari, non ſufficit habere in ſe phantaſmata eorum obiectorũ, ſi in ſe non habet virtutem cognoſcitiuam eorum, ſed intellectus eſt virtus intellectiua cognoſcitiua obiectorum intelligibilium, ergo ſi non eſt in nobis, ſed eſt ſeparatus, non poteſt eſſe continuatio in nobis ad obiecta cognita, nec poteſt dici nos ea cognoſcere. Conſ. Quo aliquid operatur debet eſſe forma eius ſecundum Arift. 2. de anim. text. 18. ergo intelligere debet eſſe forma inhærẽs no-

nobis, ergo si intellectus est separatus à nobis, eo non cognoscimus, ergo sumus rationales.

8 Arg. 1. ad probandum non dari intellectum possibilē. Quod nullius est naturæ, non datur in rerum natura; sed intellectus possibilis nullius est naturæ secundum Arist. lib. 3. de anima text. 5. ergo nō datur in rerum natura. Conf. Si daretur intellectus possibilis, esset potentia vniuersalis, ad omnia fieri, & omnia cognoscere in vniuersali: sed repugnat talis potentia, ergo. Prob. min. intus existens prohibet extraneum, ideoque si pupilla esset colorata viridi colore, non posset alios colore videre, sed intellectus si daretur esset aliquid singulare vtpote productus in rerum natura, ergo solum posset cognoscere singularia; ac proinde non posset vniuersalia cognoscere, quia non posset abstrahere a singularitate, immo nec alia singularia posset cognoscere, ergo non est dabilis intellectus vniuersalium.

9 Resp. negat. mi. Arist. namq; non dicit intellectum nullius esse naturæ in esse entis, sed quod eius natura est nullius esse naturæ in esse intelligibilis in actu, sed sicut tabula rasa ad omnia intelligibilia, sicut materia prima est pura potentia, ad omnes formas. Vide Sanchlib. 3. de anima quæst. 2. & Ferrar. q. 4. Ad Conf. Resp. quod singularitas immaterialis non obstat cognoscibilitati, aut virtuti cognoscitiuæ, solum namque intus existens materiale prohibet extraneum, & ideo ex quo intellectus sit singularis entitiuē non tollitur, quod possit cognoscere vniuersalia, & alia singularia per reflexionem ad phantasmata vt supra dictum est.

10 Arg. 2. Si intellectus non esset vnus in omnibus, sed multiplicaretur, ergo quando plures cognoscerent idem obiectum ita multiplicarentur species, sed hoc est falsum, quia omnes species illæ intelligibiles essent eiusdem speciei in ordine ad idem obiectū, ergo non possent multiplicari individualiter, nisi per materiam, ergo non repræsentarent res in vniuersali, quia materiale in essendo non repræsentat vniuersalia; certum autem est quod materia est principium individuationis, & quod accidens existens in materia est materiale. §. Resp. quod vt accidens individuetur, non est necessarium quod recipiatur in materia physica, hæc enim solum est principium individuationis substantialis, sed sufficit recipi in subiecto spirituali, hoc enim sufficit ad individuanda accidētia spiritualia, vnde cum sint plures intellectus numero diuersi in diuersis hominibus, & in illis recipiantur plures species repræsentantes idē obiectum, ex illis intellectibus in quibus recipiuntur individuantur: manente sua spiritualitate, & sic possunt reales species repræsentare obiectum vniuersali. Vide etiā D. Th. p. p. q. 76. ar. 2.

ad

ad 3. & 2. contra gen. cap. 68. & Ferar. ibi.

## QVAESTIO XVI.

*An detur memoria intellectiua realiter distincta, ab intellectu, & in qua parte intellectiua sit?*

1 VT ait Arist. lib. de memor. & reminisc. duo sunt de ratione memoriæ, & conseruare species rei cognitæ, & præterita cognoscere, cum autem obiectum intellectus abstrahat à tempore, & ab hic, & nunc, & nulla sit ratio cur intellectus non retineat species, quas semel recipit, quia non est potentia affixa organo corporeo, neque capax prauæ dispositionis corporeæ ratione cuius, non bene retineat eas species, merito inquiritur, an detur memoria intellectiua, quæ sit distincta ab intellectu, & quid sit, & in qua parte intellectiua resideat.

2 Dicendum est igitur primo. In linea intellectiua concedenda est memoria quantum ad vim retinendi, & conseruandi species; sed non quantum ad hoc quod est habere pro obiecto proprio, præteritum, vt præteritum. Sic D. Thom. 1. p. quæst. 79. art. 6. & alijs locis relatis à Bergom. in tabul. Scotus & Dur. in 1. distin. 3. & communiter Thomistæ, & alij Philosophi, & 1. pars prob. ex Arist. 3. de anima vbi text. 6. ait. *Bene recte qua sentiunt qui formarum* (id est specierum) *locum animam inquiunt esse*, sed locus connaturalis alicuius, vel quod loco connaturali comparatur vim habet conseruandi locatum quod recipit, ergo si anima quod aliquam partem intellectiua est, quasi locus in quo recipiantur species erit illa pars retentiua, & conseruatiua, & specierum memoratiua quoad hoc munus, secundum doctr. Aristot.

3 Prob. concl. ratione quoad hanc primam partem. Vnumquodque recipitur ad modum recipientis, sed intellectus multo immobilior est, quam phantasia, vel pars æstimatiuæ, cum sit incorruptibilis, & ex se permanens, ergo species multo permanentius & fixius debent recipi in intellectu, quàm in phantasia, aut in parte æstimatiuæ quæ dicitur memoria sensitiua, ergo multo diutius retinentur, & conseruantur ab intellectu.

4 Secunda pars nostræ concl. quod memoria intellectiua ex se, & independenter à phantasmate, non habeat cognoscere præterita, vt talia constat, quia præteritio est affectio rei singularis, intellectus autem non attingit directè singularia, neque ea repræsentantur directè in specie intelligibili, sed solam species repræsentat directè prædicata substantialia, & quidditatiua, quæ sunt æterna & abstrahunt ab hic, & nunc

vt

vt elegantèr docet Arist. & D. Thom. lect. 2. de memor. & reminisc. in principio, ergo memoria intellectiua per se non habet esse præteritorum, quia solum res singulares fiunt, durant, existũt, sunt præsentes, & mutantur de futuro in præsens, & de præsenti in præteritum.

5 Ex his sequitur in parte intellectiua non esse propriè memoriam, quia hæc non tantum consistit in retinendo species, sed in cognitione præteriti. Vnde si daretur potentia cognoscitiua præteriti, vt talis, etsi non retineret species esset propriè memoria. Sequitur etiam quod etsi sit proprium intellectus, vt distinguitur à sensu esse reflexiuum supra suum actum; inde tamen non sequitur esse præteriti, quia reflexio ex se non dicit esse actus præteriti, sed esse conceptus alterius conceptus, imo quia actus est singularis hoc quod ea reflecti supra actum singularem, non habet intellectus hic nisi dependenter à phantasmate, quod singularium est. Ex quibus colliges plura quæ iam à me dicta sunt, & applicari possunt ad alia quæ contra supradicta obijci possent, & quod præteritio accidit obiectio, intellectus, & per consequens accidit intellectui cognoscere præteritum vt tale. Ex his etiam constat quid sit memoria intellectiua, *est enim potentia retinens species intelligibiles.*

6 Dicendum est 1. Memoria intellectiua non est potentia realiter distincta ab intellectu possibili. Sic D. Thom. 1. p. q. 79. art. 7. Prob. secundum D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. & Arist. loco sæpius citato in 2. de anima, vbi si obiectum est idem formaliter, & potentia est idem realiter, quia potentiæ distinguntur per obiecta formalia distincta, sed vt constat ex dictis obiectum memoriæ intelligibilis, & intellectus possibilis est quidditas rei, & accidit præteritio & conseruatio specierum ex natura incorruptibili intellectus possibilis prouenit, & quia species rerum in intellectu nullam habent contrarietatem; ergo memoria intellectiua rõ est potentia distincta realiter ab intellectu cum nullum adsit principium realis distinctionis, neque ex parte obiecti, neque ex parte subiecti, neque ex parte operationis. Confir. Diuersa potentia diuersum actum debet habere: at memoria intellectiua nequit habere diuersum actum ab intellectu passibili, ergo non est distincta potentia: prob. min. nam ille actus quem posset habere memoria intellectiua necessariò esset cognitio intellectiua de quidditate rei (hoc enim est obiectum primarium facultatis intellectiuæ, prout à sensu distinguitur) ergo esset actus intellectus possibilis qui natus est omnia fieri per speciem, & intellectionem omnis quidditatis, vt Arist. lib. 3. de anima toto c. 4. alias etiam omnis po-

ten-

potentia vitalis nata est agere, & non solum pati; ergo si omnis actus memoriæ intellectiuæ proprius est intellectus possibilis, nó poterit talis memoria habere actú diuersum ab illo quem habet intellectus possibilis: stat ergo inconcussa ratio nostræ conclusionis.

7 Auicena cap. 6. de anima & 6. natural. p. 4. cap. 2. & 3. & p. 6. cap. 6. negat dari memoriam intellectiuam etiam eam quæ sit idem cum intellectu possibili, & quæ possit retinere species semel facta intellectione. Mag. in 1. distin. 3. cap. 7. asserit magis propriè dari in intellectu memoriam præteritorum, quam detur in sensu interno, at vero idem Mag. ibidem cap. 2. & 18. & Riccard. in 2. dist. 19. q. 2. vt refert Rubio li. 3. de anima. cap. 5. dub. 3. contendunt memoriam intellectiuam esse potentiam realiter diuersam ab intellectu possibili.

8 Arg. 1. pro 1. sent. Si intellectus posset semper conseruare species, semper actu cognosceret, quæ per illas repræsentantur; sed non semper est in actu cognoscendi; ergo non retinet semper species rerum, quas semel cognouit, sed solum pro eo instanti pro quo cognoscit. Prob. sequela. Intellectus constituitur actu agens per speciem, ergo si semper habet speciem, semper actu cognoscit, sicut sol semper actu illuminat. §. Si dicas cum D. Tho. 1. p. q. 76. art. 9. ad 3. constitui intellectum in actu primo per speciem, non autem in actu secundo, & ideo indigere applicatione voluntatis, quia hæc est primum mouens quoad exercitium, & ideo non est sicut sol, qui est causa necessaria, nec subiacet in agendo causæ libere, quoad exercitium, & instat in memoria sensitiua, quæ quidem habet species, & tamen nõ semper est in actu secundo cognoscendi, §. Contra est, quod sensus est affixus organo, & ideo non semper habet dispositionem actu cognoscendi, at intellectus non dependet ab organo; ergo si habet species semper actu cognoscit. Præterea in vsu specierum & in memoria non pendet intellectus à voluntate; sæpê namque volumus recordari, nec possumus, & sæpê nolentes recordamur aliquorum, ergo cum in recordatione non pendeat intellectus à voluntate, aut ab eius applicatione; si semel conceditur quod species conseruantur in intellectu semper esset actualis cognitio & intellectio.

9 Resp. ad replicam, quod etsi intellectus non sit organo affixus tamen in cognoscendo pendet à sensibus, & à phantasmate ideoque, nisi adsit phantasma non potest exire in recordationẽ præteriti, vt eleganter docet D. Th. lec. 2. de memor. & reminisc. & si quandoque nolente voluntate recordatur, & ea nolente obliuiscitur, ideo est, quia non potest prodire in cognitionem suam intellectus, nisi adsit phantasma, & quia sæ-

sæpè independenter à voluntate, aut occurrit, aut elabitur phãtasma; non possumus vt libet, recordari, aut obliuisci, non ex defectu speciei intellectualis, sed ex defectu phantasmatis. Vel dicendum quod cum species sit actus primus constituens intelligentem in habitu, nec habeat ab auctore naturæ necessariam applicationem, sicut eam habet Sol, ad illuminandum, non sequitur quod si intellectus possibilis, actu retinet speciem impressam actu etiã cognoscat semper, nisi vel ab instinctu Dei, vel à voluntate applicetur, ad actualem cognitionem. Vide D. Tho. q. 10. de verit. in resp. ad arg.

10 Arg. 2 pro 2. sent. Intellectus cum sit immobilior sensu immobilius etiam retinet, & conseruat species semel receptas, alias cum maiori proprietate attingit præteritum, vt præteritum quam sensus, quia præteritum dicit aliquid rationis pro formali (non solum ex parte rei durantis, sed etiam ex parte temporis sub quo res durant) cum importet differentiam temporis, quod completur per aliquid rationis, secundum suas differentias, ergo memoria cum maiori rigore, & proprietate est in intellectu quam in sensu interno, ſ. Respo. propriam rationem memoriæ, neque consistere præcisè in retentione specierum; neque in reflexione supra actum, neque in cognitione differentiam temporis præteriti, præsentis, aut futuri, quatenus completur aliquo rationis, sed solum in cognitione exercitæ duratio-nis, intrinsecæ rerum, quæ est affectio rerum vt singulares sunt, & quia hoc nõ potest intellectus per se præstare nisi dependenter à phãtasmate, ideo non conceditur strictè memoria in parte intellectiua.

11 Arg. 3. pro tertia sent. Ex Aug. lib. 10. de Trinit. cap. 12. Vbi condistinguit tamquam in imagine deficiente Mysterium Trinitatis ex eo quod in nobis est memoria, intellectus, & voluntas, sentit ergo, quod sicut voluntas realiter distinguitur ab intellectu, ita etiam memoria intellectiua de qua ibi loquitur distinguitur realiter ab intellectu alioquin non bene inuestigaret inde imaginem Trinitatis, vbi tres Personæ distinctæ realiter adunantur in vna essentia. Confir. Anima separata à corpore, & à sensibus verè, & propriè, recordatur præteritorum iuxta illud Lucæ 6. *Fili recordare quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Ergo propria est memoria in parte intellectiua, ergo sicut in sensu memoria distinguitur realiter ab æstimatiua, sic etiam in parte intellectiua memoria debet distingui realiter ab intellectu possibili, ſ. Resp. cum D. Tho. 1. p. q. 76. art. 7. ad 1. quod cum Aug. & alij. SS. PP. inueniant vestigiũ Trinitatis in memoria, intelligentia, & voluntate

luntate, quæ sunt idem radicaliter in anima non loquuntur de his tamquam de potentijs realiter distinctis, ex parte actus primi; sed de ipsis operationibus, quatenus vnus actus aliqualiter procedit ab alio, & habet radicem vnam in anima. Ad Confir. Respond. quod anima in statu separationis cognoscit singularia, aut ex significatione, quæ manet in speciebus ex phantasmatibus huius vitæ, aut ex speciali modo, quia recipit species a Deo, ex vi status separati, & sic ibi memoria non est, quid distinctum ab intellectu prout in illo statu, qui ob suam vniuersalitatem primo, & per se rendit in ens, vt ens, & secundario in differentias, & modos entis repertos in singularibus, & ideo non sequitur quod si in linea sensitiua, ob limitationem eius lineæ distinguitur æstimatiua à memoria, etiam hoc debeat contingere in intellectu.

12. Ex dictis hucusque liquido constat memoriam non residere in distincta parte intellectiua, ab ea in qua residet intellectus possibilis, cum sit vna, & eadem facultas cum illo.

## QVÆSTIO XVII.

*An intellectus, & ratio, speculatiuum & practicum; ratio superior, & inferior, synderesis, & conscientia sint facultates intellectiuæ omnino distinctæ.*

1 SIcut in intellectu speculatiuo, distinguimus intellectum principiorum, & discursum elicitiuum conclusionum, in materia speculatiua, ita in linea practica distinguimus, synderesim, quæ est lumen principiorum practicorum, & prudẽtiam, quæ est ratio rectè discurrens ex illis principijs circa agibilia, & in prudentia distinguimus Eubuliam, quæ est rectè consiliatiua, & inquisitiua mediorum, Sinesim quæ est rectè iudicatiua de medijs eligendis, Gnome quod est perspicacia prouidendi certa media cum ratio communis deficit, & tandem vim imperandi cum efficacia executionem, rationem superiorem & inferiorem. Quarum vtraque est linea practica, & prima vacat in æternis rebus consulendis, & inspiciendis inde accipiendo regulas, secunda quæ intendit rebus temporalibus, & denique conscientiam, quæ est applicatio scientiæ practicæ ad res agendas, de quibus omnibus late agit D. Th. 1. p. q. 79. ab art. 8. vsque ad 13. & modo inquiritur quo pacto huiusmodi facultates intellectiuæ distinguendæ sunt.

2 Di-

2 Dicendum primo. Intellectus practicus, & speculatiuus nō sunt potētiæ realiter diuersæ. Sic D. Thom. loco citato art. 11. vbi hoc probat ex Arist. 3. de anima tex. 49. asserente, *quod intellectus (speculationis) extensione fit practicus*, sed in potentia extensio nō fit superaddendo vnitatem, maximè si sit in se indiuisibilis, & extensio solum sit metaphisica, & ad diuersam rationem obiecti, ergo intellectus, speculationis, non est alia potentia diuersa realiter ab intellectu practico. Prob. rat. differentia accidentalis, non variat obiectum, neque specificat diuersam potentiam, sicut quod album sit homo, non exigit diuersam potentiam a visu; sed verbum quod est obiectum speculatiui intellectus, solum addit differentiam accidentalem, quod practicè extendatur ad opus; ergo verum practicum, & speculatiuum, ad eamdem potentiam intellectus practici, & speculatiui attinet.

3 Dicendum 2. Lumen principiorum speculatiuorum, & practicorum, non sunt diuersæ potentiæ à ratione discursiua speculatiua, & practica. Sic D. Tho. ibidē artic. 12. Prob. Eadem potentia quiescit, & mouetur ad terminū; sed in principijs quiescit intellectus postquam ea penetrat, & ex illis mouetur ad conclusiones, & rursus regreditur ad principia: ergo vtraque facultas est eadem. Tum etiam eadem potentia est, ad ea quæ sub vna communi ratione continentur; quamuis sub illa sint diuersi modi cognoscendi sufficienter ad diuersos habitus in eadem potentia collocandos, sed nā principia quam conclusiones practicæ, & speculatiuæ, sub eadem ratione entis continentur, ergo attinguntur ab eadem potentia intellectiua, quæ habet pro specificatiuo, omne ens verum, & omnē quidditatem.

4 Dicendū 3. ratio superior, & inferior non sunt diuersæ potentiæ. Sic D. Thom. ibidem art. 9. Probat ex August. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 4. asserēte quod hæc non nisi per officia distinguuntur. Ratio est, quia per temporalia deuenitur, ad cognitionem æternorum, & per illa iudicatur de temporalibus, habent ergo se ea quæ attinguntur ratione superiori, & inferiori sicut media ad finem, & ē contra, sed eadem potentia attingit finem, & media, principiū, & mensuram, & ea quæ his regulantur, & inferuntur, ergo.

5 Dicendum 4. Eubulia, Synesis, & Gnome, non distinguuntur à synderesi, sicut diuersæ potentiæ, quia vt constat ex dictis, sicut ad principia, & ad conclusiones sunt, sicut ad media, & ad finem.

6 Dicendum 5. Conscientia non est diuersa potentia ab intellectu practico (& perinde nec à speculatiuo) sic D. Tho. ibidem art. 13. Prob. Tum quia conscientia deponi potest non tamen potentia; ergo, conscientia non nomi-

minat aliquam potentiam distinctam ab intellectu. Tum quia nominat actum, quia est applicatio scientiæ; & ideo dicitur, ligare, accusare, excusare, mordere, ergo non est potentia, ergo nec potentia diuersa ab intellectu, licet quandoque sumendo effectum pro causa appelletur. Potentia, quandoque Synderesis, quia applicat eius lumen, ideoque Hieron. Ezec. cap. 1. ad illud *quatuor facies vni*, vocat conscientiam nostram synderesim. Basil. in princip. Commentar. in prouerb. vocat eã naturale indicatorium rationis, & Damasc. quod est lex intellectus nostri.

7 Cont. 1. cõclus. arg. 2. Obiectum intellectus speculatiui est verum, vt purè cognoscibile: at intellectus practici, est verum, vt operabile, sed hæc non sunt minus diuersa obiecta quam verum, & bonum, ergo sicut intellectus, & voluntas ratione diuersi obiecti realiter distinguntur, sic intellectus speculatiuus, & practicus. Confir. Etsi odorabile se habeat accidentaliter ad tangibile: non obstat, quin tactus & odoratus distinguantur; ergo quod ordo ad opus se habeat per accidẽs; ad verum, quod ex se est obiectũ intellectus speculatiui, non arguit non esse diuersas potentias. Conf. 2. Diuersi fines diuersas potentias arguunt, sed intellectus speculatiuus & practicus, habent diuersos fines, cum alter habeat pro fine speculari, alter autem opus, ad extra; ergo, &c. Resp. negata min. quia verum in se, extensione tendit ad opus, quatenus repræsentat, verum, esse quod operari est bonum, & sic non habet tantam diuersitatem, sicut verum, & bonũ, quia ratio practica sub ratione veri continetur. Ad 1. Conf. Resp. quod ratio obiectiua omnino per accidens comparata ad aliquod obiectum, & ex diuersis principijs proueniens specificat diuersam potentiam, vt patet in exemplo argumenti, at si sit per accidens, idest accidentalis rationi obiectiuæ principali, & ex eius principiis, per quamdam extensionem proueniens, vt contingit in nostro casu attinet ad eamdem potentiam ad quam spectat ratio principalis. Ad 2. Confirm. Resp. quod illi fines, non sunt æquè primo diuersi, sed vnus ab alio consequitur, & illi subordinatur, & ideô non colligitur diuersitas realis inter hos intellectus.

8 Argum. 2. contra 2. concl. Sicuti per sensus communicat homo cum brutis, ita per lumen intellectus principiorum, communicat cum Angelis, ergo sicut hæc ratione sensus est diuersa potentia à ratione discursiua, ita etiam lumen principiorum erit diuersa potentia, ab eademmet facultate ratiocinatiua, &c. Resp. non esse diversam potentiam sensum, & intellectum, quia est communicatio cum brutis per sensum, sed quia est hæc communicatio diuersi obiecti, at lumen principiorum non ha-

habet diuersum obiectum, ac ratio, & ideo licet per illud aliqualiter, & quantum ad modum aliquem, fiat communicatio diminuta hominis cum Angelo, non sequitur esse diuersam potentiam à ratione ipsa.

5 Arg. 3. Contra 3. concl. ex August. lib. 12. de Trinit. cap. 4. asserente rationem superiorem esse diuersam partem animæ à ratione inferiori; sed partes diuersæ, non assignantur in anima nisi quatenus ponuntur diuersæ potentia, ergo. Confir. ex Arist. 6. Ethic. cap. 1. vbi ait diuersam esse partem animæ quæ attingit necessaria, & cõtingentia, sed ratio superior, attingit rationes necessarias & æternas; inferior autẽ tẽporales, & contingentes, ergo, §. Resp. cum D. Thom. art. 9. ad 1. dici diuersas partes animæ non quoad entitas diuersas, sed solum quoad officia & munera. Ad Cõf. non loqui Aristot. de diuersis partibus animæ cum omni rigore, sed quia sunt diuersæ aptitudines eiusdem potentiæ. Sic ad 3.

10 Denique arg. contra vlt. conc. Conscientia semper manet, actus autem transit, ergo male probatur conscientiam non esse diuersam potentiã, quia est actus. Tum etiam. Conscientia dicitur bona vel mala, ergo non est eadem potentia cum intellectu, sed ad summum cum voluntate: ergo distinguitur realiter ab intellectu. §. Resp. ex dicto ar. 13. ad 3. quod cõscientia manet nõ in se, sic enim transit, quia est actus, & potest etiam repeti, sed manet in sua causa & motiuo. Ad 2. quod sicut intellectus practicus dicitur bonus Psal. 110. & consilium bonum 1. Machabæor. 4. quia in bonum dirigunt, sic etiam conscientia, etsi sit in linea intellectiua dicitur bona aut mala, quia dictat homini bonum, aut malum actum & iuxta, vel contra legem, & ideo negatur attinere ad voluntatem, sed circa alia quæ ad conscientiam attinent, vide Bann. ad citatum art. 13. & nouiores Thomistas, 1.2. in prolixo tractatu, quem de conscientia solent conscribere. Vide M. Ioann. à Sanct. Thoma.

## QVÆSTIO XVIII.

*An sit necesse ponere intellectum agentem distinctum ab intellectu possibili, & an sit perfectior illo?*

1 NEcessarium esse in nobis intellectum agentẽ, docet Arist. hoc lib. 3. text. 17. ex eo quod omni potentiæ passiuæ respondet actiua, ergo si est intellectus possibilis omnia fieri necessarius erit, intellectus potens omnia agere, & addit sic se habere intellectum agentem ad possibilem, sicut artifex ad materiã in qua formam introducit, aut sicut lumen externum ad colores quos facit actus visibiles; sic etiam

facit hic intellectus phantasmata actu intelligibilia. Sic etiam D. Thom. 1. p. q. 79. art. 4. quod cõmuniter tuentur Philosophi tam Thomistæ, quã Scotistæ, & Scholastici, in 1. dist. 1. & prob. nostrũ assertum (supponendo pro nunc intellectum nostrum requirere species impressas ad cognoscendum, & has non esse infusas à Deo naturaliter; sed nos per sensus acquirere species; & ab illis in intellectum possibilem progredi, hoc enim alibi probatum, nunc oportet supponere, vt detur locus disputationi.) Prob. ergo. In quacumque linea in qua est potẽtia passiua ad aliquid fieri, debet esse potentia actiua qua reducatur potentia passiua in actum, ad quem est in potentia; ideoque quia lignum est passiuè potens fieri statua, etiam est possibilis ars statuaria, etsi lignum de facto sit statua per actum artis recipit formam statuę; sed intellectus possibilis est in potẽtia passiua, vt fiat omnia intelligibilia, recipiendo etiam species & formas, sine materia, & de facto fit aliqua: siquidem plura cognoscit, ergo possibilis est potẽtia actiua, & de facto ea datur qua intellectus reducatur in actum, & a quo recipiat species, seu formas intelligibiles, sed hæc potentia vocatur intellectus agens, ergo de facto debet cõcedi, tamquam omnino necessarius, vt intelligamus.

2. Dices ex hac ratione quæ est Aristot. probari quidem dari principium agens respectu specierum intelligibilium; sed non probari quod obiectum ad extra non possit eas causare: aut quod anima si ipsa non causet eas, aut quod huiusmodi principium, non sit aliquid separatum ab anima; siue sit prima causa, siue sint ideæ rerũ omnium, quæ sunt formæ separatæ à materia, non ergo prob. ex ratione facta, quod intellectus agẽs sit potẽtia quæda animæ rationalis illiq; inhærens distincta realiter ab intellectu possibili, in quo versatur tota difficultas præsens.

3. Sed contra est, quod etsi hucusq; non sit ostensum ex illa ratione nisi exigentia principi actiui specierũ intelligibilium, tamen suppositis supponendis etiam facilè concluderetur ex ratione supposita intellectum agentem esse potentiã specialẽ animæ inhærentem distinctam queab intellectu possibili, nam substantia non est immediatè operatiua, vt cõstat ex dictis lib. 2. ergo si anima est principium actuum specierum intelligibilium, mediante aliqua potẽtia actiua proxima, & superaddita hoc debet præstare, at hæc nequit esse ipse intellectus possibilis, quia eadem potentia non est actiua, & passiua respectu sui, & respectu eiusdẽ formæ, sed nec potest esse aliquis sensus, quia omnis sensus corporeus est; ergo nequit ex natura rei esse proportionata potentia actiua ad immutãdum intellectum possibilem, qui est

est potentia spiritualis, neque ad producendas species intelligibiles, quæ etiã sũt spirituales, ergo talis potentia agens, spiritualis debet esse, & dimanare ab anima, vt intellectiua est, non minus quam ab ea dimanat intellectus possibilis, nam cum agens sit nobilius patiente, intellectus agens nobilior est intellectu possibili, vt ait Ar. eodem c. 3. huius 3. li. ergo si intellus possibilis dimanat, necessariô ab anima vt intellectiua est, nec potest dimanare ab anima, vt sensitiua à fortiori intellectus agens, seu principium actiuum specierum non poterit dimanare ab anima vt sensitiua, ac per cõsequens non erit phantasia, aut aliquis alius sensus internus, aut externus, sed erit potentia spiritualis dimanans ab anima vt intellectiua est, ergo principium illud agens in eadem linea intellectiua est in qua est intellectus possibilis; bene ergo concludit ratio facta, quod datur intellectus agens per modum potentiæ superadditæ animæ intellectiuæ, ex eo, quod intellectus possibilis est potentiam superaddita animę intellectiuæ.

4 Quod vero huiusmodi principium agens specierum intelligibilium, quæ recipiuntur in intellectu possibili, debeat esse potẽtie dimanans ab anima intellectiua, & illi inhærens, & quod nõ possit esse principium separatum, ita vt neque obiectum ad extra, neque prima causa per se solam neque Ideę Platonicæ hoc nos sint præstare. Prob. quia obiectum da extra materiale est, ergo non potest causare speciẽ spiritualem in nostro intellectu pro hoc statu, vt late ostendi agendo de speciebus in communi. Ideæ Platonis falsæ sunt, & impossibiles, vt in logica demonstratum est lib. 3. quæst. 3. cum Arist. alias causa prima est causa vniuersalis, ergo assignanda est causa alia particularis ad effectum particularem causandi species determinatorum obiectorum; sic enim Deus disposuit naturas rerũ vt effectibus particularibus, cum sæ particulares assignatæ sint maximè ii sint effectus per se intenti à natura, & non per accidens (sicut contingit in his quæ ex putrefactione generantur) ergo cum alia causa particularis assignari non possit ad hunc effectũ causandi determinatas species intellectu possibili, nisi intellectus agens dimanans ab anima intellectiua illique inhærens, talis potentia necessario concedenda est, eo ipso ac conceditur in nobis intellectus possibilis.

5 Quod autem natura ipsa exigat, quod ab anima nostra vt intellectiua dimanet intellectus agẽs probat D. Thom. 2. contra gen. c. 76. quia intellectus possibilis, comparatur ad agentem vt materia ad artem, ergo vt ad agẽs formas sibi proportionatas, ergo vt ad potentiam coniunctam, nam si species essent à causa separata,

essent similes causæ, & per consequens improportionatæ intellectui possibili, qui est concretus materiæ ratione animæ, quæ eam informat. Tum etiam frustra essent sensus, & vnio animæ ad corpus, vt intelligat, si ex se non habet potentiam actiuam, quæ phãtasmata quæ sunt intelligibilia in potentia, faciat esse actu intelligibilia. Tum etiam anima cognoscitiua se mouet à se vt quando vult cognoscat, ergo debet à se habere potentiã qua eliciat species sine quibus non cognoscit. Tũ etiam de intellectu nostro verificatur, quod cognoscit per species abstractas à phantasmatibus, quia eius obiectum est quidditas rei abstracta à conditionibus materialibus, cum quibus est in phãtasmate, ac perinde neque potest species intelligibilis causari à phantasmate, ergo cum intellectus sit perfectè operaes in se, & à se, debet habere potentiam actiuam qua possit immutare, & illustrare phantasmata, & accipere proportionatas species, sicut anima vegetatiua ex se habet potentias quibus immutet alimentum, & in eius materia introducat propriam formam, & sic transmutet illud in substantiam alterius, quod enim conceditur animæ inferiori, superiori (& quæ est in operando, & in mouendo se à se ipsa perfectior) non debet denegari à natura, quæ perfectiori agenti, semper perfectiora, & magis actiua instrumenta concedit.

6 Quod autem si intellectus agens est facultas animæ nostræ sit tamen potentia realiter distincta ab intellectu possibili docent D. Thom. & Scotus locis suprà relatis, specialiter respondendo ad argumenta, & ratio est, quia actiuũ, & passiuum, agens & patiens, diuidunt ens, ergo non sunt idem realiter, sic arguit D. Thom. p. p. q. 79. art. 7. probans distingui intellectum à voluntate. Tum etiam. Intellectus possibilis assimilatur ab Arist. puræ potentiæ, & tabulæ rasæ, ergo ex se non habet actualitatẽ vllã, ergo intellectus agẽs distinguitur realiter ab illo, nam agere in actualitate fundatur, & non in pura potentia.

7 Contendunt aliqui intellectum possibilem simpliciter esse nobiliorem intellectu agente, & hunc esse solum, nobiliorem secundũ quid, quia intellectus agens non intelligit, neque cognoscit, vt probat latè M. Bann. p. p. q. 79. ar. 3. dub. 1. conc. vltim. cum tamen intellectio, sit operatio simpliciter perfectior in anima sensitiua, vt docet Ar. hic c. 8. & 10. ergo potẽtia cognoscitiua quatenus est intellectus possibilis, simpliciter est nobilior intellectu agente, qui nõ est cognoscitiuus, sed quia Arist. hic text. 19. absolutè affirmat præstabilius esse agere, quam pati, & intellectum agentẽ ideo esse præstantiorem possibili. Cui concordat D. Th. ibi, & q. vnica de anima art. 5. ad 10. & quæst. 8. de verit. art. 8. ideo absolutè etiam

etiam affirmo intellectum agentem esse perfectiorem simpliciter intellectu possibili, & licet non cognoscat formaliter tamen radicaliter cognoscit, quia est radix intellectus possibilis, & illi dat formã qua cognoscat, & sic omnia consonat; quod intelligere est perfectior animæ operatio, sed intelligere radicale perfectius formali

8 Arg. 1. contra concl. Sic se habet intelligibile, ad intellectũ sicut sensibile ad sensum, vt sensibile imprimat speciem in sensu, non est opus sensu agente; ergo neque vt intelligibile imprimat speciem in intellectu, est opus intellectu agente. §. Si dicas negari cõsequentiam, quia sensibile ex se est in actu, vt intelligibile, neq; ad extra, neque in sensu interno est intelligibile in actu, & ideo ponitur intellectus agens, vt faciat phãtasmata intelligibilia in actu; & non ponitur sensus agens, quia non est necessarius, de quo D. Th. p. p. quæst. 79. art. 3. ad 1. §. Contra est quod Aristot. vt fiant actu intelligibilia requirit lumen intellectus agentis, sicut requiritur in coloribus, vt actu videantur, sed hoc suadet, quod non requiratur intellectus agens, quia lumen non requiritur ex parte colorum, sed ex parte medij, at intelligibilia non mouent per medium, ergo sicut sensibilia si non moverent per medium, non exigerent lumen vt actu essent sensibiles colores, sic neque requiretur intellectus agens illuminans, vt phantasmata moueant intellectum possibilem, & imprimant speciem. Tum etiam lumen non est, quod causat speciem coloris, quamuis requiratur vt colores causent; ergo etsi exigatur lumen illud, tamẽ non indè sequitur dari intellectum agentem species, §. Resp. tamen non in omnibus quærendam esse paritatem in exemplis, *nam si* damus lumen solum requiri ex parte medij, ideo est, quia coloratũ, est in eodem genere materiali cũ visu, & ideo solum posita luce in diaphano medio, vt recipiat species, & deferat fit obiectum visibile complete non in se; sed vt per medium tendit in oculum, at phãtasmata, cum sint materialia, non sunt in eodem genere cum intellectu, & cum speciebus intelligibilibus, & ideo lumen intellectus agentis requiritur non quidem propter medium, sed, vt fiat obiectum actu intelligibile, & cum hoc nullo modo possit prouenire à phantasmate, fit ab intellectu agente vt à causa speciei, nã phantasma *in* se non influit, sed solum se habet vt exemplum vnde sumitur occasio speciei repræsentando quidditatem in specie intelligibili relictis conditionibus materialibus, quas directè repræsentabat phantasma. Vide D. Tho. 1. p. q. 79. art. 3. ad 3. vt emergenti obiectioni satisfacias.

9 Argu. 2. Si daretur intellectus agens esset possibilis eius actus, nulla enim potẽtia est possibilis, cuius actus sit impossibilis, sed

actus abstrahendi species à phantasmatibus est impossibilis, ergo. Prob. mi. nihil enim abstrahitur vel educitur ab eo in quo non cõtinetur; sed species intelligibili, quæ est spiritualis, contineri non potest in phantasmate corporeo, ergo nec abstrahi, &. Resp. non posse abstrahi abstractione phisica sicut forma à subiecto, in cuius potentia naturali contineatur phisicè; sic namque species illa educitur ex potentia phisica intellectus possibilis, qui comparatur ad agentem sicut materia prima ad agens, at posse abstrahi, abstractione & præcisione obiectiua; quatenus cõtinente phantasmate repræsentationem talis hominis singularis, intellectus agens causat speciẽ, quæ repræsentat quidditatem hominis præscindendo à singularitate talis hominis: excitatur enim ad hoc cognoscens, & hac supposita excitatione intellectus format speciem similem phãtasmati, non in singularitate, sed in humanitate præcisa, nam phantasmate determinatur obiectiua virtus illuminatiua & abstractiua intellectus agentis, vt docet D. Th. q. vn. de anim. ar. 5. ad 6. & 2. contra gen. c. 77. & ibi Ferr.

10 Arg. 3. Intellectus possibilis ex se habet vim formandi species intelligibiles (siquidem ex præconceptis potest aliam tertiã formare, sicut hoc cõceditur imaginatiuæ, quæ est potentia inferior) ergo frustra ponitur intellectus agens, distinctus realiter à possibili, nam natura compendio gaudet, & horret multiplicare, quod est superfluum. Tum etiam si daretur talis intellectus agens distinctus esset vitalis, seu haberet opus vitæ, sed non habet, quia impressio specierum non est quid vitale in intellectu possibili, ergo neque impressio actiua erit vitalis. Tum denique non esset ratio cur non maneret in anima separata cum tamen certum sit ibi, nullũ actum habere, ergo in hoc statu non datur intellectus agens distinctus à possibili, &. Resp. posse intellectum possibilem ex præconceptis speciebus tertiam formare, quia facilè est inuentis addere cum iam sit constitutus in actu, at non posset primas species in se causare, quia ad illas est in pura potentia, quę nõ reducitur in actu nisi ab existente in actu, & ideo ponitur agens necessariò distinctũ ab illa pura potentia, estq, instantia in imaginatiua, quæ non a se, sed ab obiecto habet primas species, quamuis ex illis possit formare tertiam. Ad 2. Resp. quod etsi acceptio illa passiua nõ sit vitalis, tamen actiua, quę est ab intellectu agente, actione virtualiter transeunti, & formaliter immanenti, vitalis est sicut in generatione phisica cõtingit, præterquãquod etiã receptio vitalis est inchoatiuè. Ad 3. nego nõ manere intellectũ agentẽ in anima separata, vt ornantem, vel nõ habere etiã actũ iuxtrã dictas species remanentes, vt cõnotãt specialia phan-

phantasmatã, vt sic fiat clara intellectio, quod docet D.T. q. de anim. ar. 15. & 3. p. q. 9. art. 4.

## QVÆSTIO XIX.

*An Phantasmata sint causa instrumentalis specierum intelligibilium, & intellectus agens sit causa principalis, & quo modo illustret phantasmata, & abstrahat species?*

1 ADuerto primo, quod quidditas rei non continetur actu repræsentatiuè in phãtasmate, est enim substantia rei sensibile per accidens, & ideo ex vi luminis intellectus agentis, deriuati in phantasma (quod est idolũ repræsentãs obiectum phãtasticum) non potest apparere in actu quidditas cum præcisione à conditionibus indiuiduantibus, sicut ex luminis apparet color vt actu visibilis quia reluceat, vt sensibilis à visu odor, & sic cum phantasma solum repræsentet accidentia visibilia, non potest fieri, quod ex illustratione intellectus agentis ipsum phantasma obiectiuè possit causare sui similitudinem in specie intelligibili, vt repræsentet quidditatem communem, communitate, & abstractione negatiua præscindendo à conditionibus indiuiduantibus, quod perdoctè notat M. Ioan. à S. Th. hic q. 10. art. 2. difficult. 2. & habere præoculis, oportet pro his quæ dicenda sunt. Ex quibus constat quod illud phantasma, semper est intelligibile in potentia, & nunquam in actu redditur intelligibile, quia nunquam mutat suam repræsentationem.

2 Dicendum 1. Intellectus agens causa principalis est speciei intelligibilis, quæ est spiritualis in essendo, & vniuersalis in repræsentando, quidditatem rei, absque conditionibus materialibus, indiuiduantibus: quæque recipitur in intellectu possibili, & ex eius potentia educitur virtute intellectus agentis. Sic D. Thom. q. 10. de verit. art. 6. ad 7. *Quod in receptione specierum, intellectus agens se habet vt agens principale, & primum.* Et 2. cõt. gent. cap. 76. Et ratio est, quia illius effectus, qui est species intelligibilis, aliqua causa principalis debet dari intra intelligentem, sed non est alia nisi intellectus agens, quia phantasma cum sit inferioris generis materialis, & corporei, non potest esse causa principalis: alias intellectus agens non ad aliud ponitur, nisi ad causandas huiusmodi, species, & illæ in ordine, & entitate non excedunt perfectionem intellectus agentis: Ergo ipse est causa principalis earum.

3 Dicendum 2. Quamuis intellectus agens, sit causa principalis vniuoca specierum quantum ad esse, non tamen quantum ad repræsentare. Prob. prima pars, ex verbis D. Th. hoc lib. 3. ad text. 16. in fine. *Comparatur intellectus*

*ctus agens, vt actus respectu intelligibilium, in quantũ est quadam virtus immaterialis actiua potens alia similia sibi facere, scilicet immaterialia*; ergo eatenus saluatur intellectũ agentẽ esse actu, & formaliter talem, & communicare intelligibilibus esse secundum quod sunt in specie, quatenus est virtus actiua, immaterialis & spiritualis, sed esse speciei intelligibilis, & esse obiecti prout in illa, est immateriale, & simile illi esse quod habet in se intellectus agens, ergo talis intellectus est causa principalis vniuoca speciei intelligibilis secundũ esse spirituale & immateriale quod habet, sed quia vnũquodque est intelligibile, in quantum est in actu immateriali, & proportionato cum intellectu, sequitur quod intellectus agens faciat obiecta materialia intelligibilia in actu, quatenus facit quod esse materiale, quod habẽt in phãtasmate, muretur in esse actu immateriale; hoc enim facit intellectus agẽs, respectu obiecti motiui nostri intellectus, pro hoc statu quod facit lux respectu colorum; sed lux est, quę facit colores in actu proportionato, cũ visu &, eam sans lucẽ principaliter, facit colores in actu visibiles, ergo intellectus agens vniuocẽ causat esse immateriale specierum, & obiectorũ in illa: quia in se est immaterialis, & lux quædam spiritualis, quæ ex Doctrina D. Th. ibidem facile intelliguntur.

4. Secunda verò pars probatur. Esse repræsentatiuum speciei, consistit in assimilatione ad obiectũ repræsentatum; at species non repræsentat intellectum agentem per modum formalis similitudinis: sed obiectum sic repræsentat, nam species hominis, v. g. non est similis formaliter intellectui agẽti, sed homini; ergo intellectus agens non est causa principalis vniuoca speciei, secundum esse, repræsentatiuum, sed ad summum erit æquiuoca, sicut Cœlum quod causat lucem media quã color est visibilis in actu non est causa vniuoca speciei secundum quod repręsentat non cœlum, sed arborem coloratum. Vnde D. Thom. ibidem expresse docet, quòd quatenus intellectus possibilis recipit in se similitudinẽ determinatę naturæ, seu secundũ quod illa species informat intellectũ repræsentandũ determinatã naturã: *sic non est intellectus in actu*, vt causatiuus talis speciei secundum tale esse repræsentatiuum naturæ determinatæ. *Si enim intellectus agens haberet in se determinationem omnium intelligibilium, vt sic non cõpararetur ad illa, vt faciens ad factum, & non indigeret intellectus possibilis phantasmatibus sed per solum intellectũ agentem, & duceretur in actum omnium intelligibilium, quia sic intellectus nõ faceret intelligibilia, sed existeret in se, & esset ipsa intelligibilia*, at quando causa non est in actu determinato similis effectui causato non potest esse causa vniuoca eius, sed ad

sum-

summum est causa æquiuoca, quia causa vniuoca exigit quod effectus assimiletur causæ in actualitate, qua constituitur in ratione causæ: ergo intellectus agens non est causa vniuoca, sed æquiuoca respectu speciei intelligibilis considerata secundum esse repræsentationum.

5 Sed quia species non euadit similis phantasmati, in eo quod primo, & per se repræsentat, cum phantasma non repræsentet actu quidditatem rei, sed solum eius accidentia, & hæc non in vniuersali, sed in singulari: non potest dici, quod phantasma, autobiectum ad extra quæ sunt in genere rerũ materialium quod est valde inferius, causet principaliter speciem intelligibilem. ideo D. Thom. dicit quod phantasmata sunt instrumenta quæ determinant virtutem, & indifferentiam intellectus agentis, vt expresse docet D. Thom. citata quæst. 10. de verit. ar. 6. ad 7. & quod phantasmata virtute intellectus agentis, & vt illustrata eius lumine causant speciem intelligibilem, v.g. phantasma huius hominis, quatenus repræsentat eius propria accidentia per se, & quatenus quidditas hominis est sensibile eius per accidens causat speciem hominis, quæ repræsentat eius quidditatem non repræsentando conditiones singularitatis.

9 Dicendum 3. Phantasmata causant instrumentaliter speciem intelligibilem: sed virtute & illustratione intellectus agentis, in phantasmata deriuata hoc præstant. Sic expresse D. Thom. citata q. 10. verit. art. 6. ad 7. *Phantasmata se habent (respectu speciei) vt agens instrumentale secundarium, intellectus agens, vt verò agẽs principale & primariũ, & ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem vtriusque & non secundũ conditionem alterius tantum, & ideo intellectus possibilis recipit formas vt intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis, sed vt similitudines determinatarum rerum, ex cognitione phantasmatum.* Ex quibus sic arguo. Quoties aliqua causa æquiuoca, & indeterminata influit in aliquem effectũ determinatũ eget determinatione alicuius alterius causæ determinantis influxum causæ primæ indifferẽtis & æquiuocæ, sed intellectus agens, causat speciem repræsentatiuam determinatæ naturæ, per influxum indeterminatum, & æquiuocum, siquidem in se non habet intellectus agens determinationem ad vnam potius naturam, quàm ad aliam, ergo ad hoc eget aliqua causa inferiori determinãs, à qua determinetur eius influxus, sed hæc causa determinãs inferior nõ potest esse aliud quã phantasma, ergo à phantasmate determinatur. Tunc vltra, sed phantasma non concurrit ad formationem speciei, sicut causa materialis, sicut terra putrefacta cõcurrit cũ influxu Solis determinan-

nando ipsum ad generationem vermis. Tum quia non est materia ex qua educantur species. Tum quia non est materia circa quam operetur intellectus agens directè. Tum etiam quia aliquid relucet in specie quod est simile ipsi phantasmati: nempè quod sit hominis potius quam leonis: ergo ad hoc concurrit effectivè instrumentaliter ipsum phantasma hominis. Prob. conseq. nam licet quidditas hominis non repræsentetur actu in phantasmate; tamen in potentia est ibi & inchoativè, quatenus phantasma repræsentat propria eius accidentia, ergo phantasma concurrit instrumentaliter effectivè: quatenus species in aliquo est similis phantasmati, & in aliquo excedit, & quatenus phantasma habet actionem præviam determinando speciem ad repræsentationem hominis, & accidentium quæ sunt sibi propria, & habet actionem excedentem ex virtute derivata ab intellectu agente, quatenus ibi causatur repræsentatio quidditatis, in actu præscindendo à conditionibus individuantibus. Et sic omnia consonant.

7 Si inquiras an illa virtus derivata ab intellectu agente ratione cuius phantasma physicè instrumentaliter causat speciem intelligibilem sit corporea virtus, an spiritualis. Videtur enim quod debeat esse corporea, quia in subiecto corporeo recipitur, & videtur quod nó sit corporea, sed spiritualis, quia ad effectum spiritualem communicatur. §. Resp. cum D. Thom. in simili quæst. 27. de verit. art. 9. ad 6. proprie neque esse corpoream neque spiritualē, quia non est completa virtus, sed incompleta in genere suo, sed est virtus intentionalis, & ad incorpoream reduci, & sic optimè potest esse in subiecto corporeo, unde sicut motus potius dicitur ad ens, quam ens, quia ens de completo ente dicitur, cuius sunt differentiæ corporeum, aut spirituale, sic ea virtus ad causandam speciem spiritualem, sed in se neutrum est.

8 Dicendum est 4. quod cum D. Thom. sæpè docet 3. p. quæst. 11. art. 6. ad 3. pluribus alijs locis, quod prima principia intelliguntur ex lumine intellectus agentis, non est intelligendum quod aliquid influat intellectus agens in possibilem per modum virtutis tenentis se ex parte principij: sicut nec Angelus superior illuminans inferiorem, aliquid influit ex parte virtutis intellectivæ, sed solū ex parte obiecti quatenus faciendo obiecta intelligibilia in actu reddit ea intelligibilia immediatè, quatenus facit actu repræsentata hominem, cum suis proprietatibus, & cum repugnantia ad omnia quæ opponuntur essentiæ illius, & cum intelligibile in actu necessario moveat ad notitiā sui, inde fit quod ex illuminatione intellectus agē-tis reddantur intelligibilia prima principia.

9 Hu-

9 Hucusque quæ de hac difficili controuersia capere possum explicui; quod si oppositum aliquando insinuaui: in aliorum probabilibus sententijs procedebam: quod sæpè facit Aristot. antequã controuersias, in propria se de resoluat, vt notat non raro D. Thom.

10 Arg. 1. ad probandũ phantasmata non esse causam vere instrumentalem speciei intelligibilis, quia hoc non possent præstare, nisi virtute spirituali, cum effectus causatus spiritualis sit, & virtus spiritualis, non potest naturaliter inhærere in subiecto naturali, quale est phantasma, nam si hoc reperitur in sacramentis supernaturaliter, accidit, ergo non potest admitti, quod phantasmata sint phisica instrumenta ad species intelligibiles causandas, ℣. Respon. quod cum virtus est incompleta, etiam si sit spiritualis potest naturaliter recipi in corpore: sicut cũ Angelus mouet corpus, & est in illo communicat loco corporeo virtutem spiritualem incõpletam, vt in se producat vbicationem spiritualem, quod si in sacramentis virtus supernaturaliter communicatur, non ideo est, quia est virtus spiritualis incompleta præcisè, sed quia est supernaturalis. Similiter in igne inferni virtus ad torquendas animas supernaturaliter cõmunicatur, quia quod ignis detineat spiritũ extra vires naturales ignis est, nec ab aliquo agẽte naturali ei virtus ista communicari potest, vt producere speciẽ in intellectu possibili naturale est intellectui agenti medio phantasmate, quod colligatur intellectui possibile, & ex radicatione in anima habet habilitatem ad hoc, & ideo non mirum quod naturaliter possit recipere virtutem ad causandũ instrumentaliter speciem intelligibilem.

11 Argu. 2. Phantasma, vel concurrit ad formandum speciem intelligibilem, quatenus est ens, aut quatenus est repræsentatio sui obiecti: sed neutro modo potest concurrere instrumentaliter effectiuè ad speciem intelligibilem, ergo: prob. min. quatenus est ens nullam actionem præuiam habet in speciem, quia neque sic tangit eam, cum corporeum non tangat spirituale, neque tangit intellectũ possibilem, vt in ipsum agat educendo, & trasmutando, quia etiã est spiritualis, vbi autem aliquid non potest exercere actionem præuiam, non saluatur, quod si instrumentum phisicum hac enim ratione in schola Thomistica non admittitur instrumentum creationis, quia circa nihil nulla actio præuia saluari potest, cum tamen creatio ex nihilo producat ens; ergo phantasma non causat instrumentaliter speciẽ ratione suæ entitatis, neque hæc est eleuabilis ad hoc munus. Quod vero neque ratione repræsentationis, etiam cõstat. Tum quia esse illud repræsentatiuum est intentionale, ergo non causat causalitate phisica, sed

ad

ad ſummum intentionali, in quo genere non debet admitti efficientia, ſicut nec admittunt Thomiſtæ ſignificare effectiuè, quia ſignificatio eſt in linea intentionali obiectiua. Tum etiam alia via prob. Si ob aliquam rationē phantaſmata effectiuè inſtrumentaliter cauſarent ſpeciem intelligibilem, maximè quia aliquo modo aſsimilatur ſpecies phantaſmati, & cauſalitas aſsimilatiua effectiua eſt; ſed ad hoc ſufficit quod phantaſma concurrat, vt exēplar ad cuius aliqualem ſimilitudinem licet ſub ſuperiori modo eſſendi intellectus agens cauſet ſpeciem. Vel ſufficit, quod in genere quaſi cauſæ materialis diſponat, & determinet intellectum poſsibilem: vt potius hanc quam illam ſpeciem, & formam intelligibilem recipiat ex influxu indifferente intellectus agentis, ſicut ſufficit diuerſa diſpoſitio materiæ, vt ex influxu Solis potius mus, quàm aliud animal in hac parte terræ generetur. Vel ſicut eſſe hominem taliter effectū facit quod talis qualis vnuſquiſque eſt talis & finis videatur, ergo.

13 Reſp. quod phantaſma tā in eſſe entis, quam in eſſe repræſentatiuo concurrit vt inſtrumētum intellectus agentis ad formādam ſpeciem, nam cum ex natura rei continuetur phantaſma cum intellectu, hoc ſufficit ad contactū virtutis; ſicut vnio quam habet Angelus, cum loco ſufficit vt ex loco corporeo tanquam ex inſtrumento reſultet vbi ſpirituale in Angelo, etiam ſecundum eſſe repræſentatiuum concurrit effectiuè inſtrumentaliter in ſuo genere, & effectiue, quia obiectum mediū & ſignum, & ſi non habeat efficiētiam reſpectu ſignati, tamen habet efficientiam ad formandam ſpeciem ſimilem ſibi, vel inſtrumentaliter, vel principaliter effectiue, quia omne obiectum ex ſe habet vim efficiendi ſpeciem ſui, vt patet in obiectis ſenſuum exterorum, & ſic obiectum vt eſt repræſentatiuè in phantaſmate, habet vim cauſandi ſpeciem intelligibilem ſuppoſita eleuatione intellectus agentis, in qua ſpecie aliquid correſpondet actioni præuiæ phantaſmatis, nempe determinatio ad talem naturam, & aliquid eleuationi, nempe quod repræſentetur quidditas talis naturæ in communi. Ad Couſ. Reſp. non poſſe phantaſma concurrere ad formationem ſpeciei per modum exemplaris, quia exemplar non concurrit, neque influit niſi quatenus cognoſcitur ab artifice; ar intellectus agens non eſt cognoſcitiuus, ergo non poteſt aſſumere phantaſma, tamquam inſtrumentum exemplare ad cauſandam ſpeciem intelligibilem, ſed neque phantaſma poteſt tantum diſpoſitiuè concurrere, quia diſpoſitio debet recipi in ſubiecto, à quo educitur forma, at phantaſma non recipitur in intellectu poſsibili, ergo non eſt diſpoſitio eius, vt ab eo educatur ſpecies, quod ſi aliquid de-

derinatum à phantasmate recipitur intellectu possibili iam phantasma aliquid effectiuè causat in intellectu, & per consequens incidituir in absurdum, quod fugere contendit arguens.

## QVAESTIO XX.

*An supposito intellectu debeat necessario concedi voluntas in nobis, & an hæc realiter distinguatur ab intellectu?*

1 DAri in nobis voluntatem fides ipsa docet. Lucæ 2. *In terræ pax hominibus bonæ voluntatis*. & cap. 22. *Non mea voluntas sed tua fiat*, Ioan. 1. *Neque ex voluntate viri*, & docet etiã Arist. 3. de anima text. 54. Dam. lib. 2. de fide c. 27. & lib. 3. c. 14. & D. Tho. D. Athan. in lib. variar. qq. & D. Tho. 1. p. q. 19. ar. 1. & q. 59. artt. 1. & 80. ar. 1. & in contextibus.

2 Et prob. à prior. Potentiæ multiplicantur, & specificantur per obiecta secundum Arist. sup. lib. 2. tex. 33. sed bonum apprehensum per intellectum, per se est obiectum specificans appetitum intellectiuũ, ergo hoc ipso quod detur in anima intellectus potẽs apprehendere bonum, & conueniens naturæ intellectiuæ debet dari necessario voluntas, sicut eo ipso, ac datur sensus, seu æstimatio potens apprehendere bonum sensibile, datur appetitus elicitus sensitiuus. Vide pro hac ratione D. Tho. p. p. q. 8. ar. 2. & 1. contra gent. cap. 72. & Conf. rat. D. Tho. p. p. q. 19. ar. 1. Per intellectum apprehẽdentem bonũ actuatur intellectus tamquam per formam trahentẽ ad se, & allicientẽ ipsum intelligentem ad se, quia illud bonum est ipsi conueniens, ergo omne intelligens habet appetitum intelligibilem quo tendat ad habendum in se tale bonũ; prob. conseq. quælibet res ad suã formam, & perfectionem hanc habet habitudinem, vt si non habet tendat in ipsam, etsi habet eam quiescat in illa, & ideo materia naturalem appetitũ habet ad formam non habitam etsi habet illam quiescit in ea, etsi habet formam substantialem, & non habet formã, & perfectionem, accidentalem ipsi necessariam ad complementum, & perfectionem pariter est appetitus, & tendentia in non habitam talem formam, & quies si habeatur; ergo si per intellectũ habetur forma boni in apprehensione, debet consequi appetitus intellectiuus, qui dicitur voluntas quo tendat intelligens ad habendam illam formam in se, & in se, sic enim repræsentatur ab intellectu, vt bona, etsi consequitur illa forma per eamdem voluntatem quiescit intelligens, & complacebit in eius fruitione; datur ergo appetitus rationalis, seu voluntas eo ipso: ac datur intellectus consequutus ad animam intellectiuam.

3 Hinc

3 Hinc sequitur omnino repugnare quod detur substantia intellectualis, quæ non sit volitiua, quidquid sit an voluntas quæ esset propria passio impediretur à Deo quoad actualem resultantiam, hoc enim secundum non repugnare docet D. Thom. 1.2.q. 100. art. 4. ad 4. sed nostram sententiam tuentur cõmuniter Thomistæ. Ratio est, quia hoc ipso quod sit possibile obiectum, est possibilis potentia, sed hoc ipso quod substantia sit immaterialis, & intellectiua, est necessariò potens apprehendere bonum, & habere intra se bonum in apprehensione, ergo obiectum voluntatis, ergo non potest illi substantiæ repugnare inclinatio elicita in bonum apprehensum. Sicut eo ipso quod aliquid sit natura capax habendi bonum naturale implicat ipsi repugnare appetitum innatum, quia non repugnante obiecto non potest potentia repugnare ad tale obiectum. Prob. quia eo ipso ac apprehenditur bonum vt conueniens naturæ intelligibili, est volibile, & excitatiuum appetitus, ergo.

4 Si dicas non repugnare naturam intellectiuam putè speculatiuè & non practicè, at volitiuum solum sequitur ad practicam cognitionem boni, vt ex D. Tho. 1.2. quæst. 9. art. 1. ad 2. & 1. contra gent. cap. 72. constat vbi non ex quocumque intellectiuo, sed ex intellectiuo boni arguit D. Thom. dari voluntatem, ergo ratio hucusque data est nulla.

5 Sed contra hoc est, quod si detur substantia intellectiua debet non repugnare obiectum intellectus quod est ens sub communi ratione entis, ergo debet non repugnare, quod cognoscat ens sub omni ratione cognoscibili, ergo nõ debet repugnare quod cognoscat ens, vt conueniens suæ naturæ intellectiuæ, quod est cognoscere bonum practicè, quia bonum non habet, maiorem immaterialitatem quam ens, vt ens, sed potentia, quæ habet pro specificatiuo ens, vt ens habet ex se maiorem immaterialitatem, quam bonum, ergo non potest illi repugnare cognoscere rationem boni, & conuenientis, ergo implicat dari naturam intellectiuam putè speculatiuè, & non practicè, quia ratio cognoscibilitatis practicæ non consistit in alio, quam in cognoscere ens vt est bonum, vt conueniens intelligenti, seu naturæ intellectiuæ, ergo hoc ipso quod natura, sit intellectiua, practicè debet esse cognoscitiua boni, implicabit ergo dari naturam intellectiuam, quæ non sit volitiua, & per consequens dari naturam cui conueniat intelligere, & cui repugnet voluntas, & appetitus elicitus.

6 Dicendum vltimo. Voluntas est potentia animæ realiter distincta ab intellectu. Hæc conclusio satis cõstat ex dictis supra, in tract. de pot. animæ, & prob. distinctio potentiarum sumitur

ex

ex eo quod obiecta sint diuersi generis; sed verum & bonum quæ sunt specificativa obiecta diuersi generis, & ineæ: ergo intellectus, & voluntas, quæ ab his specificantur realiter distinguuntur. Vide D. Thom. q. 22. de verit. art. 10. & q. 23. art. 6. & opusc. 53. & 1. p. q. 59. art. 2. & 4. contra gent. cap. 19. & Capreol. in 1. dist. 3. q. 3. ar. 2.

7 Contra 1. concl. arg. 1. & specialiter contra rationem D. Thom. Voluntas non tendit in bonum, vt apprehensum, quia vt sic non desiderat illud, neque satiatur, sed tendit in illud vt est in se: ergo ex quo bonum sit forma apprehensa per intellectum non bene probatur, quod intellectuum sit volitiuum, prob. conseq. nam ex eo quod forma sit apprehensa, solum probatur inclinatio ad formam vt apprehensam, sicut in forma naturali; probatur inclinatio, ad formam in esse naturali, at ad formam in esse apprehenso non inclinatur voluntas, sed intellectus, cum forma vt apprehensa non sit perfectio faciens appetitum, sed solum sit faciens intellectum, cuius vltima perfectio consumatur in habendo formas rerum, sine materia trahendo illas ad se, ergo ratio illa D. Thom. nihil probat, §. Conf. modus quo probat D. Thom. fallax est, dicit enim proprium esse rerum naturalium, quod si non habet formam tendat in illam, etsi habet quiescant in ea, & inde probat, quod quia per intellectum habetur forma boni, datur appetitus intellectiuus, sed per intellectum habetur forma, ergo sequitur non dari appetitum ad eam inquirendam, vel si habita forma boni per intellectum appetitus debet inquirere formam, non bene probatur voluntas per intellectum.

8 Resp. quod per intellectum non solum proponitur forma boni, vt perfectio intellectus, sed vt conueniens toti naturæ si habeatur in se: & ideo non sufficit innatus appetitus intellectus, sed inquiritur, & probatur inde voluntas, quæ est vniuersalis inclinatio elicita naturæ rationalis, tam pro tota natura, quàm pro qualibet eius parte, quo modo etiam voluntas appetit ipsum intelligere, vt est perfectio intellectus, quia intellectus ex se habet solum appetitum innatum ad suam perfectionem, & de ratione naturæ intelligentis est habere appetitum elicitum respectu cuiuslibet boni, seu totius naturæ, siue etiam partium, §. Ad Conf. Resp. bene probasse D. Thom. nam sicut res naturalis dum caret forma, per inchoationem quam habet circa illam, per proportionem cum ea, inclinatur ad eam habendam, & mouetur ad ipsam: etsi habeat eam imperfectè, mouetur ad habendam perfectè. Sic dum forma bona, vt in re conueniens naturæ intellectuæ habetur per intellectum necesse est dari appetitum intellectiuū, quo intelligens inclinetur ad eam ha-

habendam, vt repræsentatur conueniens in re, & ic non est quies, donec in re sit consequuta, nisi sit talis forma, quod suum esse sit sui intelligi, & in hoc sit tota fœlicitas, quod in se cognoscatur, vt contingit in diuina essentia in cuius visione beatitudo nostra consistit, & tunc etiam quatenus habetur per fidem, imperfectè desideratur, vt habeatur perfectè per claram visionem, & cum videtur fruitur, & quiescit totus appetitus, quia repletur in bonis desiderium suum.

9 Argu. 2. Si ob aliquam rationem, daretur in nobis voluntas, maximè, quia debet dari specialis inclinatio totius suppositi; quæ sit diuersa potentia, vt ait D. Thom. 1. p. q. 80. art. 1. ad 3. sed hæc ratio est nulla, ergo Prob. mi. etiam in non intellectiuis datur inclinatio innata ad cõseruandum se tota, cum debita integritate, sicut & ad bonum totius vniuersi, ratione cuius ascendit aqua contra suam particularem inclinationem; & tamen illa inclinatio ad bonum totius, non est distincta potentia, ergo neque in intellectiuis debet dari, specialis potentia volitiua, quæ sit inclinatio ad bonum totius suppositi, §. Resp. D. Tho. non eo præcisè probasse voluntatem esse potẽtiam specialem superadditam, quia est inclinatio ad bonum totius suppositi, sed quia substãtia perfecta, qualis est intellectiua, debet prouidere bonum sibi, & toti supposito conueniens se mouendo, & sub speciali ratione boni apprehensi a se, & ideo debet esse specialis potentia; cum tamen inclinatio innata, etiam ad bonum totius suppositi, cum sit auctore naturæ mouente, & inclinante, non debeat esse potentia specialis.

10 Arg. 3. contra 2. concluſ. Sic se habet intellectio ad volitionem, sicut intellectiuum ad volitiuum, sed potest dari cognitio cui omnino repugnet volitio, ergo, & poterit dari intellectiuum, cui repugnet volitiũ esse. Prob. min. in casu quo Deus reuelaret alicui, sed denegaturum auxilium ad amandum bonum præcognitũ, vel ad exercẽdum actum cognitionis, circa tale bonum repugnaret tunc volitio stante cognitione, ergo §. Respon. quod in eo casu bonum cognitum esset per se volibile, & excitatiuum appetitus, vtpote cognitum tamquam conueniens intelligenti; si autem Deus reuelaret alicui se denegaturum auxilium ad amandum illud, tunc adhuc ex se, & ab intrinseco volibile, & cognosceretur, vt tale, & per accidens tantum, & ex suppositione, non amaretur de facto; sicut dicimus dari posse intellectum sine voluntate, si Deus vellet impedire dimanationem eius, sed non posset tale intellectiuum ex se non exigere illam, & esse volitiuum, sic in eo casu cognito bono ex se exigeret actualem amorem per se, quod si

Deus

Deus impediret amorem esset per accidens, & facta reuelatione etiam cognosceret intellectus per se exigere tale bonum cognitū quod ametur; & quod per accidens non amabitur. Vnde sic se habet intellectiuū ad volitiuū, sicut intellectio ad volionem quantum ad ea quæ sunt per se cōcedo, quantum ad ea quæ sunt per accidens nego, quia volitiuum solum dicit quod est per se, & radicem volitionis, quod nec per se, nec per accidens potest separari ab intellectiuo, at intellectio boni per accidens admittit non sequi volitionem; sicut volitiuum per accidens potest habere non sequi voluntatem. Alias Responsiones possunt adhibere Theologi à paritate eius cui facta est reuelatio de sua dānatione, dicunt enim in ea hypothesi posse hominem sperare & proponi beatitudinem, vt practicè sperabilem, quia impossibilitas illa ex suppositione est, & ab intrinseco quoad assequendam beatitudinem.

11 Arg. 4. cont. 3. concl. ex Durand. in 1. dist. 3. q. 4. Voluntas in ratione est: ergo est ratio ipsa, vel pars eius ergo, non distinguitur à ratione; & intellectu, nam quod in aliquo est, vt pars eius non distinguitur ex æquo ab illo, §. Resp. ex D. Th. q. 22. de verit. art. 10. ad 2. quod voluntas est in ratione non quatenus ratio dicit intellectum, sed quatenus dicit animam vt rationalis, & intellectiua est, vel potest dici esse in ratione, vt in subiecto quo, quia mediante intellectu dimanat voluntas ab anima.

12 Arg. 5. ad idem. Distinctio potentiarum oritur est distinctione obiectorum: sed verum & bonum, quæ sunt obiecta intellectus & voluntatis, non distinguuntur realiter, sed tantum ratione, ergo intellectus, & voluntas, non realiter, sed tantum ratione distinguuntur. Conf. 1. Actus voluntatis consequitur ad actum intellectus practici, sed vna potentia sufficit ad actus subordinatos; v. g. ad cognitionem entis realis, & entis rationis, ergo vna potentia sufficit ad intelligendum, & amādum. Confir. 2. Voluntas est potentia libera, ergo est idem cum intellectu prob. conseq. potentia libera non fertur in obiectum necessario, & ex impetu naturæ, sed ex iudicio (quod non sufficit esse in alia potentia alioquin omnes potentiæ hominis essent liberæ,) sed iudicium est actus intellectus ergo voluntas est idem cum intellectu.

13 Resp. ex D. Th. p. p. q. 8. art. 1. ad 1. & 2. sufficere distinctionem formalem, aut virtualem in obiectis, vt redū dett realis distinctio in potentijs, quia cum obiectū sit mensura non debet esse tanta distinctio in obiectis, sicut in mensuratis, de quo late supra cum de potentijs animæ, in communi ageretur. Ad 1. Conf. Resp. vnam potentiā sufficere si actus sint subordinati sub eadē ratione for-

formali, secus autem si consequutio solum dicat ordinem sub diuersis rationibus formalibus. Ad 2. sufficere quod potētia liberè reguletur à iuditio indifferenti, alterius potentiæ illi coniunctæ, & applicanti obiectum indifferēter propositum. Nec sequitur omnes potentias hominis fore liberas, quia non omnes regulantur iuditio indifferenti, neque obiectum illis proponitur indifferenter per tale iuditium.

## QVAESTIO XXI.

*An voluntas sit potentia simpliciter nobilior, & perfectior quam intellectus?*

1 VOluntatem saltem secundum quid esse nobiliorem intellectu nemo est qui dubitet, nam ad hoc sufficit, quod pendeat intellectus à voluntate tamquam à primo mouente, quoad exercitium, quo modo pendere intellectum à voluntate cum recta philosophia naturali & morali docet D. Tho. p. p. q. 82. ar. 3. & pluribus locis quos notat Bergom. in tabula V. intellectus, n. 199. Nec dubium est quod pro hoc statu sit nobilior intellectus in cognoscēdo ea quæ sunt infra nos, quia trahit res ad se, & de materialibus facit immateriales, cū voluntas feratur ad res, & nobilitatem suam amando terrena quasi amittat, & vilescat, quoad ea vero quæ sunt supra nos nobiliori modo procedit voluntas, quia amando Deū quasi in ipsum transformatur & Deum in se ipso attingit, at intellectus trahendo suppremа ad se ad modum rerum materialium ea cognoscit. & sic superiori modo sunt illæ in se quam in intellectu, at voluntas cum feratur ad bona diuina, vt sunt in se quasi elevatur & transformatur in ea. Sed quia iudicium potentiæ non est sumendum ex modo quem habet facta aliqua suppositione alicuius status, sed absolutē, ideo inquiritur an absolute & simpliciter intellectus sit nobilior quam voluntas.

2 Dicendum est 1. Pro hoc statu nobilior potentia est voluntas, quam intellectus comparatiuē ad obiecta immaterialia superiora nobis, qualia sunt Angelus, & Deus. Sic expresse D. Thom. 1. p. q. 82. art. 3. & q. 108. art. 6. & 2. 2. q. 23. art. 6. Ratio est iam insinuata, quia perfectio potentiæ sumitur ad obiecto, & à modo quo habet dū mouet: sed obiecta intelligibilia superiora, sunt in nobis imperfectiori modo quam in se respectu intellectus pro hoc statu, & eadem obiecta dum amantur sunt in se superiori modo quā fit volūtas trahendo ea ad suū esse & transformando ea in se, ergo nobiliori modo respicit obiectum quā intellectus: quod etiam probatur, quia nobilior est habitus charitatis, quā fides secundū D. Th. q. 22. de verit. ar. 6. Ad 1. secundo loco positū, non alia ratione

nē niſi quia fides attingit Deum trahendo illum ad ſe per ſpecies rerum ſenſibilium, & charitas fertur ad illum in ſe, ergo idem debet dici de intellectu pro hoc ſtatu reſpectu voluntatis facta comparatione ad obiecta, quæ ſunt ſupra nos.

3 Imo etiam in ſtatu ſeparationis voluntas perfecta eſt amando naturaliter Deum & Angelos, quā eos intelligēdo: quia vt docet D. Th. q. vnic. de ani. ar. 17. cognoſcit ſuperiora ad modum ſuę naturæ, & per ſpecies valde inferiores, at cum videt Deum in ſe perfectiori modo cognoſcit quam amat. Tum quia cæteris paribus, nobilior & abſtractior eſt modus intelligendi, quā amandi, quia ratio veri, abſtractior eſt quā ratio boni, ergo cum videt rem in ſe per ſpeciem propriam eius, & amat rem in ſe nobilior erit intellectus, quam voluntas. Tum quia beatitudo, in perfectiſsima operatione conſiſtit; ſed noſtra beatitudo non conſiſtit in amore, ſed in viſione Dei, vt probat D. Thom. 1. 2. q. 3. art. 8. ergo nec inde ſequitur, quod cū in ſtatu ſeparationis cognoſcit intellectus Angelos quidditatiuē ſit abſolutè perfectior, licet quidditatiuē eos cognoſcat tamen per ſpecies inferiori ordinis eos cognoſcit, cum tamē Deum videat ipſo Deo vnito per modum ſpeciei.

4 Dicendum eſt 2. Abſolutè & ſimpliciter intellectus eſt nobilior, & perfectior potentia quam voluntas. Sic D. Thom. innumeris in locis à Bergom. citatis in tabul. v. intellectus. Prob. rat. D. Thom. q. 22. de verit. art. 11. & in 3. diſt. 27. q. 1. art. 4. Maior perfectio potētiæ ſimpliciter talis deſumitur ex hoc quod eſſentialiter eſt perfectior ſi cætera ſunt paria; at intellectus ex ſuo eſſentiali cōceptu habet habere perfectionem intelligibilem in ſe trahendo, & poſſidendo eā, voluntas autem habet perfectionē aliorum, ſcilicet boni amabilis tendendo in illa, & per ordinem ad illud; & quaſi poſſeſſa ab illo, ergo ſi cætera ſunt paria, eſſentialiter, & ſimpliciter perfectior eſt intellectus voluntate: cum eſſentialiter ſit perfectius ſimpliciter habere perfectionem aliorum quā extra ſe tendere ad eam, ſed quaſi per accidens eſt nobilior habere perfectionem in alio quando eſt tanta perfectio illius boni, quod eſt ad extra: vt melius ſit extra ſe exire, & coniungi illi, quam in ſe habere diminutam perfectionem eius, & quaſi ſimilitudinem, vt coniungit cū pro hoc ſtatu intelligimus, & amamus, ea quæ ſunt ſupra nos.

5 Prob. 2. ratione D. Th p. p. q. 82. art. 3. Dignitas cuiuslibet potentiæ, ex dignitate obiecti deſumitur, ſed obiectum intellectus quod eſt verum, ex ſe eſt nobilius ſimpliciter obiecto voluntatis quod eſt bonum, ergo. Pro mi. illud eſt ſimpliciter nobilius in ratione obiecti, quod eſt immaterialius, & abſtractius, ſed verum eſt

simpliciter simplicius, immaterialius, & abstractius bono, ergo. Pro mi. nã ratio boni, abstractior est ipso bono, quia bonum dicit concretionem, ad plura, à quibus ratio boni abstrahit; at ratio boni, est vera; & sic bonum est vnum ex obiectis intellectus, quia per quod cõstituitur bonũ intelligere, attinet ad intellectũ (quod sive rũeriã est quoddã bonũ: hoc habet quatenus concernitur ad circũstantias aliquas cõuenẽtiæ, quã habet, hic & nunc respectu appetẽtis) ergo verum quod est obiectum intellectus, simpliciter abstractius, & immaterialius, est, & simplicius bono quod est obiectũ voluntatis, & tota ratio consistit in eo quod obiectum intellectus est quidditas omnium rerum, & etiam quidditas boni, quæ abstrahit ab existentia & per consequẽs ab omnibus alijs, at bonum cõcernit existentiam rei, quia hic solum dicit integritatem, & perfectionem, qua possit perfici appetitus & sic constat quomodo obiectus intellectus, sit simpliciter abstractius obiecto voluntatis.

6 Ref. Scotistæ. Primo falsum esse quod obiectum intellectus sit abstractius, quia intellectus capax est notitiæ intuitivæ, quæ non abstrahit ab existẽtia, & tamẽ perfectior est cognitio intuitiva, quam abstractiva, & voluntas etiam abstrahit ab existentia in simplici cõplacentia motiua 2. quod obiectum existens perfectius est quã, non existens, & ideo notitia intuitiua perfectior est, ergo si obiectum voluntatis existens est, & obiectum, primum intellectus abstractum sequitur ex nostra ratione, quod voluntas sit perfectior.

7 Contra 1. responsionem vrget, quod allqui nobiles Sotistę in hoc lib. cum Scoto docẽt intellectus non cognoscit directẽ singularia quãuis ea cognoscat expresse & distinctẽ, sed per accidentia, quia species causatur ab obiecto, non quatenus hæc; sed primo & per se, quatenus est natura specifica; sed quatenus natura specifica quidditatem solum dicit ergo obiectum per se primarium intellectus, vnde sumitur eius specifica tio quidditas est &, nõ existẽtia, quæ est terminus naturæ, vt singularis: at voluntas per se primo tẽdit in rem, vt singularem, & existentem, sic enim tantum mouet appetitum, ergo obiectum intellectum, per se specificans, abstractius est, quam obiectum voluntatis. Cum autem Thomistæ dicunt quod notitia intuitiua est nobilior abstractiua, loquuntur de illa cæteris paribus, quando scilicet vtraq; attingit rem in singulari, & sub existẽtia, & dicunt quod notitia abstractiua in absentia imperfectior est, & abscedior quã intuitiua eius, non enim loquuntur de notitia quidditatiua, hãc enim perfectiorem esse notitia rei singularis, sive sit abstractiua, sive intuitiua non dubitant, quia habet obiectum necessarium, & actua-

lius.

lius actualitate essentiali, ac notitia rei singularis, & existentis, siue præteritæ, siue præsentis habet obiectum contigens, & minorem actualitatem, quia existentiæ, & singularitas, accidit essentiæ & ideo cum hoc fiat quod primo attingitur ignobilius obiectum.

8 Contra 2. Resp. Oppono, quod si obiectum existens perfectius sit in esse rei, non tamen in esse obiecti, quiavt dixi ratio mouendi, non est ita abstracta, sicut quidditas boni, & rei existentis, at motiuum intellectus, est quidditas, voluntatis autem singularitas, & existentia, quia ratione huius terminat bonum appetitum efficacem, ergo semper manet inconcussa ratio D. Tho. quæ probat ex obiecto, intellectum esse perfectiorem.

9 Denique prob. conclusio, Ea potentia perfectior est altera, cuius aliquis actus perfectior est simpliciter actu excellentissimo, alterius potentiæ, cum qua comparatur, quia potentiæ explicãt suam perfectionem in actibus; sed in intellectu est visio Dei, qui est actus perfectior fruitione, & delectatione in Deo, quæ sunt actus perfectissimi, voluntatis, ergo. Nec amplius præmo hanc rationem, quia de illa latius agũt Theologi, Thomistæ 1.2.q.3.& 5. disputantes, an nostra beatitudo consistat in actu intellectus, vel voluntatis.

10 Aduerto tamen D. Tho. non posse notari inconsequẽtiæ, si dicit in 3. dist. 27. qu. 1. art. 4. & qu. 22. de verit. ar. 11. Voluntatem esse simpliciter perfectiorem intellectu, in via, & in linea potentiæ naturalis respectu obiectorũ, quæ sunt supra nos, simul docet, intellectum esse simpliciter perfectiorem voluntate, nam si quoad actus nobiliores, & in ordine ad nobiliora obiecta, est simpliciter perfectior voluntas, videtur quod absolute sit perfectior, & quod D. Tho. procedat inconsequenter; sed tamen nõ est inconsequens D. Th. quia nobilissimus actus est visio beata, & ex illo mẽsuratur tota ratio potẽtiæ, in ordine ad obiectum adæquatũ, & in tota sua linea, & hoc admittit, quod in linea determinata simpliciter excedatur, quia iste excessus simpliciter, quia est in determinata linea, eo ipso est secundum quid, respectu potentiæ adæquatè consideratæ, & quia ille excessus simpliciter non est ex modo tendendi intellectus in suum obiectum, sed quia sunt in obiecto, quod in se perfectius est.

11 Contra 1. concl. arg. 1. ad probandum quod ea, quæ sunt supra nos perfectiori modo cognoscimus, quam amamus, etiam cognitione naturali, & pro hoc statu. Nam Arist. 1. Ethic. c. 13. & 10. ethic. c. 7. & 8. aperte docet beatitudinem nostram in contemplatione altissimarum causarum cõsistere, & hanc esse perfectissimã actionẽ animæ, & ideo in illa cõsistere beatitudinẽ, & suprema fe-

licitatem, sed Aristot. non cognouit beatitudinem supernaturalem: sed solum eam, quæ est naturalis, & pro hoc statu (si fortè negauit immortalitatem animæ) ergo sentit quod cognitio eorum quæ sunt supra nos etiam via cognitionis naturalis: & pro hoc statu perfectior est quam amor. Confir. 1. Vita contemplatiua etiam in via est nobilior actiua, sed contemplatio ad intellectum attinet, & actio ad voluntatem, quia est ab bonum, ergo etiam in via nobilior est cognitio quam amor. Conf. 2. Etiam in via intellectus mouet voluntatem quoad specificationem licet moueatur à voluntate quoad exercitium, sed mouens est nobilius ex se moto, & mouere quoad specificationē, nobilior est modus mouendi, quam mouere quoad exercitium, ergo adhuc in via, & in ordine ad obiecta quæ sunt supra nos intellectus excedit simpliciter voluntatem, & solum exceditur ab illa secundum quid.

12. Resp. cum D. Thom. q. 22. de verit. ar. 11, ad 12. quod cum Arist. docet in contemplatione consistere beatitudinem naturalē viæ, & ipsam esse perfectissimam operationem, nomine contemplationis, non intelligit purè cognoscere, substantias superiores, & Deum auctorem naturæ, sed amando cognoscere, & cum transformatione per affectum virtuose viuendo; & sic nihil docet nobis contrarium. Consulendus est D. Thom. in 3. distin. 35. q. 1. art. 2. quodl. 3. in corp. & loco cit. ex q. 22. de verit. vbi refert S. Gregor. asserentem quod vita contemplatiua est Deū, & proximum diligere & per hoc patet ad 1. conf. Ad 2. Conf. Resp. cum D. Thom. ibidē ad 5. & 10. quod mouere quoad specificationem tūc, tantum, melius est, quā mouere quoad exercitium, quando propositio intellectualis obiectum ipsum in se ipso proponit: & tantum ostendit, quantum affectus capere potest, quia tunc sunt cætera paria, & sic mouere quoad specificationem, melius est quam mouere quoad exercitium; at in nostro casu minus ostendit intellectus quā voluntas capere possit, & imperfectiori modo, quia volūtas fertur in Deū vt in se pro hoc statu, & intellectus solū ex creaturis illum ostendit, & ideo non sequitur esse nobiliorem intellectum.

13. Contra vltim. conc. militant Scotus, in 4. dist. 49. & omnes eius discipuli, & prob. communiter, quia actus charitatis, & ipse habitus nobilior est fide, & lumine gloriæ, & visione beata, ergo voluntas nobilior est intellectu, quia nullus actus, intellectus est nobilior suppremo actu voluntatis. Tum quia Seraphin sunt perfectiores Angeli, qui præstāt in amore, licet Cherubin præstent in scientia, & in vi intellectiua. Tum qua illud est melius cuius oppositum est prius sed odium Dei est pessimum, ergo amor Dei est op-

ti-

timum. Denique libertas est maxima perfectio rationalis substantiæ; sed voluntas est potentia qua sumus formaliter liberi, non autē intellectus, ergo.

14 Resp. quod charitas perfectior est fide, sed non visione Dei, ob rationem sæpius traditam. Ad 2. quod denominatio Cherubin, & Seraphin sumitur ex cognitione, & amore Dei, quem habuerunt spiritus illi in via, & extra Deum, non autem ex visione beata, & fruitione beatifica (sic enim non excedunt Cherubin Seraphin in plenitudine scientiæ beatificæ) in via autem concedimus nobiliorem esse amorem cognitione. Vide D. Thom. 1. p. qu. 109. art. 1. & 108. l. 5. Ad 3. quod illud est optimum cuius oppositum est peius in his quæ habent contrarietatem, & oppositionem directam, concedo. In his quæ nō habent contrarium, nego, & lumen gloriæ non habent contrariū & ideo ex quo odium Dei sit peius, non sequitur, quod non sit melior visio Dei, quam amor qui opponitur odio. Sic Cajet. 2. 2. qu. 73. ar. 4. Respondet etiam Cajet. quod in esse phisice, peius est priuatio visionis Dei in qua consistit pœna damni, quā odium Dei; at in esse moris, nedum odium Dei: sed & quodlibet peccatum veniale peius est, quam carentia phisica diuinæ visionis; hic autem non agimus de rebus in esse moris cōsideratis, sed in esse phisico; sic Cajet. 22. q. 102. art. 3. ad 1. Ad vlt. negatur quod maior perfectio substantiæ intellectualis consistat in libertate, nam in Deo perfectio rem esse intelligimus, actum necessarium, quam liberum, & in nobis visio, & amor Dei in se actus necessarij sunt: & tamen sunt actus perfectiores, & cæteris paribus cum libertas voluntatis, radicetur in intellectu proponente indifferenter obiectum perfectius est liber intellectus, quam voluntas, licet sit formalius in voluntate libertas.

15 Arg. 3. contra rationem, quam ex D. Th. tradidimus; nam eo probat D. Th. intellectum esse nobiliorem simpliciter voluntate, quia verum quod est obiectum intellectus perfectius est bono, quod est obiectum volūtatis: sed hoc est falsum, ergo. Prob. min. aut sumitur verū & bonū, vt sunt vna res, & sic realiter, verum non potest esse nobilius bono, aut secundum rationem, vel relationem ad diuersas potentias; sed sic cum ratio perfectionis, seu nobilitatis, sit realis, & absoluta, non cadit maior perfectio in vero quam in bono, quatenus vnum est diuersum ab alio ratione, aut relatione, ergo ex nullo capite probatur intellectum habere obiectum perfectius, quā voluntas. Conf. 1. Ex quo aliquid sit abstractius, non sequitur quod sit nobilius, et hoc dato nō sequitur quod obiectum intellectus, sit abstractius, ergo nihil probat ratio D. Th, prob. antec. pro 1. part. nam

abstractio potest esse quia non attingitur tota perfectio rei, & verũ abstrahit à bono, cũ tamen bonum non dicat materiam, & imperfectionem ex se, siquidem in Deo repetitur bonis perfectissima. Pro 2. parte prob. nam vel verum abstrahit à bono secundum rem, & hoc est falsum, cum verum & bonum identificentur, aut secundũ rationem, & sic cum abstractio sit negatio quædam, non arguit quod abstractius eo ipso sit perfectius, ergo ex quo verum sit abstractius quam bonũ non sequitur esse perfectius obiectum. Cõfir. 2. ratio boni non est obiectum intellectus, vt distinguitur à voluntate, ergo male probatur inde quod obiectum intellectus sit abstractius. Prob. ant. ratio boni bona est & obiectum formale voluntatis, siquidem quodcumque attingit voluntas, sub ratione boni attingit, ergo rationi, seu bonitas, est obiectum voluntatis, ergo non intellectus, alias eadem ratio sub qua attineret ad intellectum, & voluntatem. Tum etiam obiectũ intellectus est ratio veri, sub qua nedum bonitatem, sed ipsum bonum attingit intellectus, quia nedum cognoscimus in quo consistat bonitas, sed etiam quod sit verum bonum, ergo ratio boni non est obiectum intellectus, & bonum obiectum voluntatis, neque in hoc potest stare diuersitas.

16 Ad hæc omnia Respondendum est, ex Caiet. 1. p. qu. 82. art. 3. & q. 16. ar. ad 3. Ad argum. igitur. Resp. Quod verum sumptum, pro ratione formali obiecti intellectus nobilius est bono formaliter, non autem identice, id est secundum formalitatem veri, distinctam virtualiter à formalitate boni, explicatur maior perfectio in illa entitate, quam per formalitatem, boni, & sic illa formalitas non est aliquid relatiuũ formaliter, sed fundamentaliter, nec est aliquid rationis, sed reale distinguibile tamen per rationẽ à formalitate boni. Ad 1. Conf. Resp. negãdo ant. pro 1. parte, ad prob. dico, abstractionem dicere recessum ab aliquo imperficiente & accessum ad aliquid perfectum: & sic solum verificari dictum. S. T. cum autem ratio veri dicat ex se recessum à materia, & à singularitate, a qua ex se non abstrahit bonum, ideo ex se ratio entis veri perfectior est quã bonum quod si in Deo ratio boni inuenitur, nihil ad rem facit, quia etiam ibi est ratio veri depurata ab omni imperfectione, & ratio veri, sicut prior est, ita etiam magis dicit de actualitate quantum ad explicitum, & ideo in specificando perfectior est quoad explicitum, ratio veri, quam ratio boni, bene ergo D. Th. procedit à priori probando perfectiorem esse intellectum quam voluntatem, quia ratio veri perfectior est quam ratio boni. Ad 2. partem Resp. quod verũ non abstrahit à bono sumpto per modum quidditatis, sed bono

quã-

quatenus dicit formalitatem specificatiui voluntatis: & hæc abstractio non est in re, sed secundū formalitatem virtualiter distinctam, secundum quam maior perfectio in specificando explicatur per verū, quod est obiectum intellectus, quam per bonum quod est obiectū voluntatis. Ad 2. Cōf. Resp. verum esse quod bonitas, & bonum sunt obiectum intellectus & voluntatis, sed diuersimode, nā specificat intellectum, vt dicit quidditate abstrahentem ab existentia, nam quidditas est tota ratio, intelligibilitatis, in quacumq; re intelligibili, at ratio appetibilitatis, solum est, quia existit in re, aut in spe non quia quidditas, nisi enim vt existens in re; aut in spe nihil appetitur, ergo ratio boni quatenus abstrahit ab aliquo quod concernit obiectum voluntatis, vt appetibile est obiectum intellectus, ergo abstractius est obiectum intellectus, quia attingit quidditatem boni, vt quidditas, & obiectum voluntatis minus abstrahit, quia nec bonū nec bonitatem respicit, nisi vt existentē in re, aut in spe, quidditas enim nisi existat perficere non potest appetentem.

## QVÆSTIO XXII.

*An sit in nobis liberum arbitrium & quid illud sit?*

1 DAri liberum arbitrium in nobis, & homines esse liberi arbitrij fides docet; Eccles. 15. illis verbis: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum, in manu consilij sui.* Quæ verba adducit D. Thom. 1. p. qu. 83. ar. 1. & ibi congerit alia plurima. Etiā statuitur nostra concio in Triden. sess. 6. can. 5. Vbi decernitur liberum hominis arbitrium per peccatum non fuisse extinctū, sed nos rem philosophice, vt ad nos attinet prosequemur. Constat ex Arist. 3. ethic. a. c. 2. vbi probat vitia, & virtutes esse in nostra potestate, & 9. met. cap. 3. potentias rationales, habere indifferentiam ad vtrumlibet docet. Sequitur que in hoc Arist. suum M. Platonem, quem refert Clem. Alex. lib. 5. stromat.

2 Et prob. homo agit ex iudicio indifferenti, per consilium & collationem, ergo liberè, nam iudicium indifferens proponit voluntati, bonum indifferenter, ergo bonum sic propositum excitat actum voluntatis liberum, & indifferentem, nam ab obiecto habet suū esse actus, ergo si obiectū indifferenter proponitur liberè agit voluntas humana, ergo in homine est liberū arbitriū, hoc enim nihil aliud est quam principium agendi libere. Conf. 1. argu. quo visus est S. Petrus contra Simonē Magum teste S. Clement. lib. 3. recognit. quo etiam vsi sunt Greg. Nissen. orat. de chatecum. cap. 31. Cicero lib. 2. de diuinat. & S. Th. loco citato ex 1. p. Sinō est liberum arbitrium, ergo fru-

frustra sunt leges, iniuste ponitur nocentes, & præmiantur virtuosi, sed Deus imposuit leges hominibus, iudicat eos iuxta legem, punit, & remunerat opera iuxta merita, ergo homo est liberi arbitrij, ma. prob. quia lex est regula dirigens in casibus in quibus potest esse error voluntarius, & peccatum. Si autem non est liberum arbitrium quo modo Deus iudicat mundũ? Inquit August. epist. 49. & Dionys. cap. 4. de diuinis nominibus, & nemo punitur nisi propter peccatum: peccatum autem adeo est voluntarium, vt si desit voluntarium, & liberum peccatum esse non possit, vt docet Arist. 3. ethic. cap. 5. & August. de vera, & fals. Relig. cap. 14. & lib. 1. retract. cap. 9. & lib. 9. cap. 18. ergo si Deus leges imponit, iudicat homines, punit & præmiat, certum debet esse, quod homines sunt liberi arbitrij. Confir. ratione quam D. Thom. quæst. 24. de verit. art. 1. euidentem vocat. Homo, mouetur à se cum indifferentia, quia non semper operatur eodem modo sicut bruta, alias etiam ex intentione finis eligit media, quæ non habent necessariam connexionem cum fine, iudicando tamen proportionem, ergo liberè agit, & ex se mouetur, ergo ex libero arbitrio agit.

3 Liberum arbitrium sic diffinitur à M. in 2. distin. 24. cap. 5. & 25. cap. 1. est *facultas voluntatis & rationis habens se ad vtrumlibet*. Vel vt alij dicũt *ad intelligendum vnum præ alio, & ad acceptandum, vel respuendum quod proponitur*. Definitiones istæ non indigent expositione: ex illis tamen deduci potest quod sicut deliberatio ita, & liberum arbitrium non est de fine, vt finis est, sed de medijs: ideoque de vltimo fine, vt tali non est deliberatio, quia proponitur sub adæquata ratione finis, & boni, solum autem potest esse deliberatio quoad exercitium amandi hic & nunc, aut suspendendi amorem; quia amor se habet quasi medium in ordine ad obiectum quod est finis, & cum sit actio creata, non habet plenam rationem boni: ideoque circa illam potest esse deliberatio; nomine autem vltimi finis pro hoc statu intelligimus beatitudinem in communi, & id quod modo proponitur, vt obiectum talis beatitudinis, in quo nulla ratio mali apparet, quodque necessitat voluntatem quo ad specificationem.

4 Tamen etsi ratio liberi arbitrij, saluetur in indifferentia ad bonum, & malum, non tamen per eam precisè saluatur: nam in Deo datur liberum arbitrium; & tamen non est huiusmodi indifferentia, quia hæc defectum supponit in principio quatenus ad malum potest determinari, sed sufficit quod sit indifferentia ad agendum, & non agendum, aut ad hoc & illud, quatenus nullus ex his extremis habet plenitudinem boni:

niratis, sed æque bene potest in eius oppositum voluntas tendere, & sic saluatur libertas, quam contradictionis, seu quoad exercitium vocant Theologi. Vide D. Tho. q. 24. de verit. art. 3. ad 2. Bergom. in tabul. V. liberum arbitrium, n. 11.

5 Sed ad probandum nõ dari in nobis liberum arbitrium, arg u. 1. Si daretur tolleretur infallibilitas diuinæ præscientiæ, & prouidentiæ hoc non est dicendum, ergo. Prob. mai. Si daretur liberum arbitrium, ergo posita præscientia, & prouidentia, ab æterno, quod cras amabo, potero non amare, ergo falli potest illa præscientia, vel si non potest falli, ideo est quia ego non possũ non amare sicut Deus præsciuit ab æterno. Nam si cras præsciente Deo me amaturum, non amarem, falleretur Deus in sua præscientia, ergo si ea stante præscientia possum nõ amare, potest Deus falli, ergo vel negandum est liberum arbitrium, vel præscientia æterna Dei non est infallibilis, ℣. Resp. negata sequela, nam cum Deus præsciat me libere amaturum, si per illam præscientiã tolleretur liberum arbitriũ, potius falleretur Deus, & ideo vt non fallatur, requiritur me ita amare cras, vt possim non amare, quia Deus scit me esse amaturum, ita vt possim non amare. Ad prob. dist. ant. possum non amare in sensu composito nego, in sensu diuiso concedo antec. & nego conseq. quia vt falleretur Dei præscietia, necessum erat, quod possem cõiungere non amorem cum præscientia amoris. Ad prob. im bibitam ibi concedo, quod si de facto non amarem cras falleretur Deus, quia iam componeretur oppositum præscientiæ cum ipsa præscientia, ergo si possum non amare potest Deus falli, dist. consequens si possum non amare in sensu cõposito cõcedo, si in sensu tantum diuiso nego, cum autem præscientia sit non solum speculationis, sed causalitatis, ipsa infert efficaciter id quod præscit, quo ad substantiam, & modum, & eo ipso quod præscit me amaturum cras libere, hoc ipsum causet vt amem libere, & non vt amem necessario, & sic relinquit in me, & conseruat liberum arbitrium, quo in sensu diuiso possim non amare, & amem infallibiliter: manente potentia ad non amandum, ita taliter, quod ea potentia non sit ad coniungendum amorem, cum præscientia amoris, sed ad non amorem secundum se: præscindendo ab hac suppositione diuinæ efficacis præscientiæ.

6 Arg. 2. Quanto virtus est magis coniuncta cum suo principio vniformi, & perfecto, magis vniformiter, & magis determinate ad vnum mouetur, vt patet in cœlo coniuncto cum virtute motrice, sed voluntas immediate mouetur à Deo tamquam mobile perfectum, ergo mouetur de-

determinatè, & non cum indifferentia liberi arbitrij. Tum etiã perfectior modus agendi est agere, cum determinatione ad vnũ, quia vbi est maior vniformitas in agendo, ibi est maior perfectio, sed homo est agens perfectissimum, ergò sine indifferentia mouetur ad finem, ergo sine libero arbitrio, ℣. Resp. quod moueri cum ea vniformitate contingit mobili perfecto ex coniunctione, ad suum principium, quando motus est actus imperfecti, at quando est actus perfecti, qualis est actus voluntatis, maior perfectio est moueri cum difformitate, & indifferentia, quia sic habet eminentiam ad plura, & magis assimilatur ad principium mouens, & difformitas non tam se tenet ex parte actus, quam ex parte obiectorum, quæ sic possunt attingi, & sic patet ad Confir. nã in motu perfecto voluntatis, attingere cum deliberatione finem per media, quæ ex se non determinant, nec necessitant maior perfectio est. Vide D. Th. p.p.q. 19. ar. 2. & 3.

7 Arg. 4. Operari deliberate, & ex libero arbitrio repugnat, ergo non est dabile liberum arbitrium. Prob. antec. operatio determinata debet esse ex principio determinato ad vnum, nam si maneat principium sub sua indifferentia, non poterit actio prodire, at liberum arbitriũ est principium indifferens, ergo repugnat operari ex libero arbitrio, ergo non datur, nam si daretur vt potentia operatiua deberet dari, ℣. Respo. negat. ant. ad prob. diſt. in. operatio determinata debet esse à principio determinato ad vnum, vel ex parte obiecti indifferenter propositi, vel ex parte sui principij concedo ex parte vtriusque nego mai. & diſt. min. liberum arbitrium debet esse indifferens ex parte iudicij concedo, ex parte influxus nego, & nego conseq. nam liberum arbitriũ à se ipso determinatur supposito concursu Dei: sed ex iudicio indifferenti, & manente potentia ad oppositum in sensu diuiso sublata vtique à Deo suspensione influxus in actum, & hoc non obstat indifferentiæ, quia stante determinatione tollente suspensionem, & potentialitatem actus primi, manet indifferentia ad oppositum, quia ex iudicio indifferenti, ad oppositum influit, & sic cum potentia expedita ad oppositum in sensu diuiso.

## QVÆSTIO XXIII.

*An liberum arbitrium sit potentia, vel habitus, vel an in vna potentia an in pluribus consistat?*

1 Dicendum primo, liberũ hominis arbitrium, neque est actus, neque habitus, sed est in linea potentiæ; sic D. Tho. p.p.qu. 83. art. 2. & in contextibus marginalibus. Quod non sit actus.

actus. Prob. quia cessante actu libero, non cessat liberum arbitriũ, semper enim homo potest libere operari, ergo liberum arbitrium non consistit in actum. Tum etiã. Si consisteret in actu eo actu trã sacto, homo amisisset liberũ arbitrium, sed transacto actu primi peccati Adami, nõ perdidit Adã liberum arbitrium, vt constat ex fide, ergo non consistit liberum arbitrium in actu, ℣. Quod autẽ non sit habitus. Prob. quia habitus, est determinate ad bonũ, vel malum; at liberum arbitrium est facultas indifferẽs ad bonum, & malum in nobis; ergo non cõsistit in habitu. Præterea non est habitus à natura inditus, quia hic ad vnũ determinat quod est contra rationẽ liberi arbitrij, neque est adquisitus, nam deberet adquiri per actus liberos, at actus liber ex libero arbitrio procedit, ergo nõ potest adquiri per nostros actus, sicut habitus adquisitus, ℣. Quod vero liberũ arbitrium sit in linea potentiæ. Pro. illud est liberum arbitrium, quo sumus domini nostrorum actuũ, sed hoc habet ex se voluntas, quæ est potẽtia, ergo liberum arbitrium est in linea potentiæ. Tum etiã. Liberum arbitrium nõ habet per quid excedat lineã potentiæ, nã excederet qua parte includeret iudicium indifferens, aut qua libertatem diceret, sed ex neutro ex his capitibus, excedit lineã potentiæ, nã intellectus, ex se potẽs est habere iudiciũ indifferẽs, & volũtas ex se potẽs est exercere actũ liberũ, ergo. Deniq; in anima nihil est nisi potẽtia, habitus aut actus, ergo si liberũ arbitrium, neq; est actus, nec habitus, erit potẽtia animæ.

2 Dicendum 2. Liberum arbitrium nõ est potẽtia distincta ab intellectu, & volũtate, sic D. Th. vbi sup. ar. 4. & in contextibus. Prob. liberum arbitrium non est circa finẽ, qui se habet vt principium in appetibilibus, sed est circa ea quæ sunt ad finem, sed in intellectu non ponitur diuersa potentia, ad ratiocinandum ab ea, quæ est ad ipsa principia, ergo neque in appetitiuis debet poni diuersa potentia ad deliberandum ab ea, quæ est ad finem secũdum se. Confir. quia eiusdem potentiæ est mouere, & quiescere in termino ad quem est motus, sed per liberum arbitrium mouetur homo ad bonum finis in quo quiescit, ergo liberum arbitrium non est distincta potentia a voluntate, quæ tendit in finem.

3 Dicendum 3. Liberum arbitrium dicit in recto potentiam voluntatem, quamuis per se supponat intellectum, & rationem in obliquo importatam. Sic D. Th. in 1. dist. 17. & p. p. q. 83. ar. 3. Et ratio est; quia natura cuiuslibet potentiæ per actus dignoscitur, sed proprius actus liberi arbitrii est electio, hæc autem est appetitus præconsiliati, secund. Arist. 3. ethic. c. 1. & D. Th. 2. 2. q. 13. art. 1. & hic solũ in obliquo dicitur actus intellectus, ergo, & potẽtia

elec-

electiua, seu deliberatiua, in recto est voluntas, in obliquo intellectus.

4 Contra 1. conclus. arg. ad probandum liberum arbitrium esse habitum. Nam sic vocat Bernard. lib. de lib. arbitr. Conf. liberum arbitrium dicitur facultas voluntatis, & rationis, sed facultas est facilitas, & habitus facilitas est, ergo lib. arb. habitus est. Confir. 2. facultas nominat aliquid permanens ref superadditum potentiæ, sed quidquid sic est superadditum voluntati, habitus est, ergo liberum arbitrium habitus est, ℣. Resp. ex D. Thom. locis supra citatis, quod ibi non sumit Bern. nomen habitus stricte; sed quatenus dicit habitudinem potentiæ volitiuæ ad obiectum circa quod est deliberatio. Ad 1. Confir. Resp. quod facultas quandoque solum dicit propensionem, & potestatem potentiæ, & sic sumitur in diffinitione liberi arbitrij, & ideo non dicit facilitatem habitus realiter superadditam potentiæ, sed solum quo admodum significandi, & sic ad 2. Conf.

5 Arg. 2. ad idem. Quod suscipit magis, & minus non est potentia, sed ad summum habitus, sed liberum arbitrium suscipit magis & minus: ideoque dicitur in homine post peccatum debilitatum, & in Angelis post confirmationem in gratia confirmatum, & perfectum fuisse in bono, ergo non est potentia, sed habitus. Confir. Potentia non perditur, nec separatur ab anima cum sit passio eius inseparabilis, sed secundum Augustin. in Enchirid. cap. 30. *Male vtens libero arbitrio, & se, & ipsum perdidit*, ergo, ℣. Resp. cum D. Thom. liberum arbitrium in se non suscipere magis, & minus, sed eatenus, dici quod debilitatur, aut perficitur, quatenus, aut multiplicantur, aut repelluntur impedimenta, vt afficiatur ad bene operandum 1. Ad Confir. dico liberum arbitrium non fuisse extinctum, aut deperditum per peccatum, vt decernit Trident. sess. 6. cant. 5. ex D. Thom. apud Bergom. in tabula V. libertas num. 12. sed Augustin. est intelligendus non de libero arbitrio, vt est facultas libera, sed quatenus, si subijcitur peccato non manet liber ab eius dominio, sed est seruus illius, vt docet D. Thom. p. p. quæst. 83. art. 3. ad 3. quia sic ad bonum perfectum non potest.

6 Arg. 3. contra 2. conclus. contra quam pugnat M. Albert. in 2. distin. 3. art. 6. & dist. 35. art. 1. & Herueł. quodl. 1. art. 1. Potentia exequutiua, est distincta potentia ab intellectu & voluntate, ergo etiã liberũ arbitriũ. Tũ etiã in linea intellectiua intellectus agens, & patiens, sunt duæ potentiæ realiter distinctæ, ergo etiam in linea appetitiua, voluntas, & liberum arbitrium erunt diuersæ potentiæ, ℣. Resp. disparem esse rationem, quia potentia exequutiua, dato quod sit distincta

cta, ideo est, quia vel est in subiecto distincto, nempè in membris motis à volũtate, vt exequuntur eius imperium, aut quia habet pro actu motum localem, qui est in distincta linea à bono, quod est obiectum voluntatis, at liberum arbitrium bonum respicit, & ideo nequit esse distincta potentia, à voluntate. Ad 2. Resp. D. Thom. loco citato ex 1. part. ar. 4. ad 2. & 3. quod intellectus mouet voluntatem, & ideo non datur voluntas agens, at in linea intellectiua, necesse est dari intellectum agentem, vt species faciat in actu, & eas imprimat intellectui possibili, & ideo non est idem, dato autem quod detur voluntas agens, non saluatur intentum argumenti, quia sicut idẽ intellectus possibilis tendit in principio, & ratiocinatur ex illis, sic eadem voluntas tenderet in finem, & deliberatet, circa ea quæ sunt ad finem.

7 Contra 3. concl. arg. 4. In diffinitione liberi arbitrij eodẽ modo ponitur voluntas ac intellectus, ergo vtraque potentia in recto constituit ipsum. Tum etiã Boerius in lib. de consolat. docet eatenus poni liberum arbitrium in Angelis, quatenus habẽt perspicax iudicium, & voluntatem. Vlterius secundum Arist. 6. ethic. cap. 2. liberum arbitrium, vel est appetitus intellectiuus, vel intellectus apetitiuus, ergo vel vtrumque est in recto; vel saltim indubitatum non est non esse in recto intellectum. Denique, quia liberum est in recto dicit voluntatem, qua arbitrium est, dicit intellectum, ergo vtrumque dicit in recto, §. Resp. ex D. Tho. q. 24. de verit. art. 5. ad 1. quod liberum arbitrium dicitur facultas rationis non immediate, sed mediante voluntate, & sic solum dicit in recto voluntatem. Ad 2. eodem modo dicendum est cum D. Th. ibi ad 3. Ad alias obiect. dico, Arist. suam mentem aperuisse 2. ethic. cap. 2. vbi nostram sententiam ponit, vt notat D. Tho. p. p. q. 83. art. 3. vel semper intelligendum est esse intellectũ, & arbitrium mentale, præsuppositiuè, & virtualiter quatenus non est in voluntate, nisi vt mota ab intellectu, & sic enodantur plura argumenta petita ab auctoritatibus D. Thom. asserentibus liberum arbitrium esse liberum iudicium.

## QVÆSTIO XXIV.

*An sola voluntas sit formaliter libera, & intellectus tantum radicaliter liber? & an possit necessitari voluntas, stante iudicio indifferenti intellectus?*

1 DIcendum est 1. Formalis libertas solum residet in voluntate, non autem in intellectu; sic (contra Durand. in 2. dist. 74. & partim contra Soncin. 9. meth. q. 18.) tuentur D. Thom. p. p. q. 83. art. 3. & 1. 2. quæst.

qu.6.art.1.ad 2.&.q. 17. art. 1. ad 2.Caiet.ibidem,Banu. ad qu. citatam ex p.p.dub.2. estque cõmune,apud Thomistas; Prob.libertas formalis consistit in dominio ad agendum, vel non agendum,& vt hoc, vel eius oppositũ velimus teste D.Tho.p.p.q.83. ar.3. & 4. & plurimis locis apud Bergom.in tabul.V.*libertas*, nu. 1.sed hoc dominium solum residet in voluntate,ergo.Pro.min. tum quia ipsa est primum mouẽs quoad exercitium, ergo in ipsa sola est dominium plenum ad agẽdum,& non agendum: alias etiã electio ad hoc, vel eius oppositum accipiendum, solius voluntatis est propria, & ideo D. Th. p.q.qu.82.art.1.ad 2.& qu. 22. de verit.art. 6.formaliter libertatem tribuit electioni,ergo dominium ad agendum, vel non agendum,ad hoc vel eius oppositum volendum solum residet in voluntate.

2 Dicendum 2. libertas formalis voluntatis originatur à iudicio intellectus indifferenter proponente obiectum, & sic radicatur in intellectu, sic D. Th. 1.2.q.6.art.2.& q.17.art. 1. ad 2.& qu.24.de verit.art.2.& ar. 6. in corp. & ad 4. vbi ait, *quod tota radix libertatis, est in voluntate tamquam in subiecto, sed est in ratione tamquã in causa.* Pro. eo. S. Clem.epist. 2. ad Iacob. Origen.lib. 3. perhiarc. & D. Thom.p.p.qu.83.art.1.probant liberum arbitrium esse in voluntate, quia in intellectu est iudicium indifferens, ergo quia sequitur libertas formalis voluntatis ex tali iudicio indifferenti, Cõf. in obiecto tamquam in prima causa,& radice continetur quidquid est in actu, sed intellectus est, qui ex natura sua proponit obiectum voluntati liberæ, ergo vt sit libera voluntas obiectum liberum,seu specificans actum liberum debet proponi; ergo indifferenter; nam si determinate proponatur, non erit libera voluntas, ergo libertas voluntatis pendet ab intellectu, vt à primo principio, & mouente quoad specificationem; ergo tamquam à causa, à qua originatur eius libertas,Confir. 2.ex eo nihil nolitum quin præcognitum(vt docent Arist.lib.3.de ani. tex. 50. & D.August.lib. 10. de Trinit. c.1.)quia pendet voluntas ab intellectus in volendo, tanquam à causa mouente quoad specificationem.sed eodem modo pendet ab illo in volendo libere, ergo cum mediante iudicio indifferẽti proponat obiectum, vt libere appetibile,fit consequens originari totam libertatem formalem voluntatis,a iudicio indifferenti rationis.

3 Dicẽdum 3. Implicat quod stante iudicio indifferenti proponente voluntati bonum indifferenter,voluntas necessitetur etiã à Deo circa attingentiam obiecti sic propositi,ita vt actus sit necessarius. Sic Bann. p. p. qu. 19. art.

art. 10. Aluar. de auxilijs disput. 125. M. Ioan. à S. Tho. quæst. 12. de anima artic. 3. & plures alij estque commune inter nostrates.

4 Et Prob. nam D. Th. q. 24. de verit. art. 3. in principio corporis, docet, quod modus libertatis, ex modo cognitionis dependet, at hæc dependentia essentialis est tãquam ab obiecto, ergo si iudicium proponens est indifferés repugnabit actum voluntatis esse necessarium &. p. p. q. 83. art. 1. ex eo probat à priori hominem esse liberi arbitrij *quia iudicium rationis, ad diuersa se habet.* Ergo indifferentia iudicij est ratio à priori inferens in volũtatem, & in eius actum libertatem, sed si stante tali indifferentia posset esse actus necessarius, non à priori colligeretur, cum stante primo posset non esse secundum, ergo. Confir. Implicat actum manere in sua specificatione, sublato eius specificatiuo: sed obiectum specificatiuum actus necessarij, est bonum determinate propositum, & obiectum actus liberi, est bonum indifferenter propositum (vel assignetur quodnam sit specificatiuũ actus liberi aut necessarij,) ergo stante iudicio indifferenti proponente obiectum indifferenter implicat quod actus voluntatis terminatus ad obiectum sic propositum sit necessarius.

5 Prob. vlterius, non aliter saluant Thomistæ, quod etsi physica prædeterminatio, efficaciter determinet voluntatem ad agendum potius quam ad non agendum, non tollit libertatem, nec necessitat ad vnum, nisi quia prædeterminat ad actum habentem obiectũ libere propositum, & ad actum procedentẽ ex iudicio indifferenti, sed si stante tali indifferentia Deus posset necessitare voluntatẽ hæc ratio esset nulla, quia non aliter posset Deus necessitare voluntatẽ nisi efficaciter prædeterminando ad actum amoris, v. g. ergo ne incidamus in hoc absurdum tenenda est assertio nostra.

6 Denique cum iudicio determinato proponente obiectum sub omnimoda ratione boni, v. g. cum Deus videtur in patria implicat in via Thomistica, quod amor obiecti sic propositi sit liber, quia actus liber non potest tendere in obiectum specificatiuè necessarium, ergo etiam repugnabit amorem, esse necessarium circa obiectum specificatiuè liberum, quatenus propositum per iudicium indifferens intellectus.

7 Contra 1. concl. arg. 1. Per intellectum sumus magis Domini nostrorum actuũ, quam per volũtatem, ergo intellectus est potentia magis libera formaliter quam voluntas, prob. ant. quia in manu intellectus stat quod bonum proponatur indifferenter, ergo magis est in intellectu dominiũ ad agendum, & nõ agendum: quã in voluntate. Conf. 1. Illud est liberum quod gratia sui est ex Arist. 9. meth. & illud est gratia

sui quod est independens: sed intellectus est magis independens: siquidem in primo actu voluntas pendet ab intellectu, & tamen intellectus in primo suo actu non pendet à voluntate, ergo. Confir. 2. Voluntate cõpetit libertas, in quantũ est rationalis ex 9. meth. text. 3. sed intellectus formaliter est rationalis, & voluntas non nisi per dependentiam, & participationem ab intellectu, ergo.

8 Respon. negato ant. ad pro. nego ant. quia intellectus ab obiecto omnino determinatur iuxta mania, quæ apparet illi, & ideo eo modo proponit, quo ipsi apparent, quia non habet potestatem quod bonum proponat vt malum si ipsi apparet bonum, sed hæc indifferentia in voluntate est intellectus autem necessario proponit, & sine dominio, sicut percipit esse obiectum, aut determinatê bonum, aut malum, aut indifferens, & totum dominium manet in voluntate formaliter. Ad 1. Confir. Resp. quod licet intellectus speculativus sit magis gratia sui quã voluntas, at practicus (in quo sensu esse gratia sui conducit ad libertatem) magis est gratia sui voluntas: & licet in primo actu intellectus non pendeat à voluntate, & voluntas pendeat ab intellectu, in neutro tamen actu est libertas, quia in neutro movetur a se agẽs, sed movetur ab auctore naturæ in præsenti autem ad saluandam libertatem formalem attendendum est ad eos actus in quibus a se movetur plene agens, & sic cum voluntas sit primũ movens quoad exercitium magis propter se est voluntas, quam intellectus. Ad 2. resp. quod potentia est libera in quantum est rationalis præsuppositinê, non autem in quantum est rationalis formaliter, & ideo ex quo intellectus, sit formalius rationalis quam voluntas, non sequitur quod sit formalius liber.

9 Contra 2. conclus. arg. 2. In Deo est verê & propriè liberum arbitrium, vt probat D. Th. p. p. quæst. 19. art. 10. & tamen non est indifferentia iudicij, quia scientia & notitia Dei omnino necessaria est & determinata, vt probat ibi, q. 14. art. 15. ergo libertas formalis voluntatis nõ originatur ex indifferentia iuditij. Confir. 1. Iudicium Angelorum inflexibile est, & determinatum ad vnum, & tamen in eis est libertas, ergo hæc non originatur, ex indifferentia iuditij. Confir. 2. primus actus voluntatis potest esse meritorius, & liber, vt patet in primo actu voluntatis Angelicæ, & tamẽ primum iudicium fuit omnino necessariũ, & determinatũ, ergo 3. Re. quod licet in Deo, in Angelo, & in primo iudicio non sit indifferentia, subiectiua ad esse vel non esse iudicij, vel ad hoc, quod mutetur iudicium, ex instabilitate, tamen obiectiuê proponitur obiectum indifferenter mouens voluntatem ad actum liberum amoris, & de hac indifferentia loquimur, quæ saltim in ratione di-

cta,

ctaminis proponentis obiectum indifferenter, saltim quoad exercitium necessario requiritur, & inuenitur in exemplis positis, vt sequatur actus liber in voluntate; sic quod licet cum finis proponitur non sit indifferentia iudicij electiuiui per modum liberi arbitrij, quia hoc solum inuenitur in iudicio regulante electionem, tamen est indifferentia quoad exercitiũ, sic enim proponitur finis, vt libere mouens ad intentionem, etiam si non sit libertas arbitrij in illo iuditio, vide ipsum D. Tho. vbi proximè.

10 Arg. 3. ad idem. Et si consilium indifferenter proponat obiectum, inquirendo multa media tamen iudicium regulans immediatè, electionem determinatam determinatum est, ad vnum estque quasi sententia, & conclusio determinata ad vnum, vt D. Th. p.p.q.85. ar. 3. in corp. & ad 2. alioqui volũtas nõ eligeret determinate nisi intellectus proponeret vnum determinate esse eligendum præ alijs, sed libertas liberi arbitrij maximè relucet in actu electionis, ergo libertas formalis voluntatis non exigit indifferentiã iudicij, ex qua origenetur, ℣. Ref. quod etsi illud iudiciũ ad vnũ præeligendũ determinate suadeat tamẽ semper proponit illud bonum, vt non adæquans voluntatem, & per consequens vt determinate eligendum liberẽ, & nõ necessariè, & sic sublata indifferentia suspensionis, seruat indifferentiam obiectiuæ libertatis cõsistentem in eo, quod medium eligendum, neque proponitur, vt summũ bonum, neq; vt necessariũ, simpliciter ad consequendum finem de quo est legendus D. Th. loco citato, & q. 29. de verit. ar. 2. & q. 6. de malo art. 1.

11 Contra 3. conclus. contra quam pugnat Suar. prologom. 1. ad lib. de grat. cap. 4. & alij etiam Thomistæ. Arguitur 4. Stante iudicio indifferenti potest Deus auferre quod in illo radicatur, sicut stante intellectũ potest Deus auferre voluntatem, ergo stante indifferentia iudicij, quod radicat libertatẽ ab actu voluntatis qui regulatur illo iudicio potest Deus auferre libertatẽ sed sublata libertate ab actu volũtatis, manet actus ille necessarius quia non datur medium, ergo stãte indifferentia iudicij, potest actus voluntatis esse necessarius. Conf. stante illo iudicio indifferenti, potest Deus necessitare voluntatem ad nõ operandum, ad hoc enim sufficit subtractio diuini concursus necessari ad operandum, ergo potest etiam necessitare ad operandum: prob. cõseq. non minus illud iudicium dictat operari libere, quam non operari libere (proponit namque obiectum cũ indifferentia quoad exercitium) ergo si stante iudicio potest voluntas necessitari a Deo, quoad nõ operari, ab extrinseco, poterit etiam ab extrinseco necessitari ad operandum.

12 Resp. instando. Stante visione beatifica potest Deus suspendere concursum ad actum necessarium amoris beatifici, & tamen non potest facere, quod amor Dei visi in se, sit liber, ergo etsi posita indifferentia iudicij possit facere quod non sequatur actus in voluntate, non autē quod si ponitur actus in voluntate sit necessarius, quia actus debet habere esse ab obiecto, ergo si obiectum specificat liberum actum prout indifferenter proponitur, nequit dari actus necessarius circa tale obiectum. In forma Resp. ad argum. concesso ant. nego cōseq. Ad Cōf. distin. antec. potest Deus tunc necessitare voluntatem necessitate negatiua, & suspensionis, cōcedo necessitate positiua, & quæ est propria actus voluntatis siue per modum omissionis, siue per modum positionis, nego. Ratio est, quia actum potest impedire, sicut quod homo existat potest Deus impedire, at supposito quod sit actus, non potest tollere eius essentiam, vel oppositum ipsi prædicamentum ponere, sicut semel conseruando hominem, nequit facere quod sit non rationalis; essentia autē actus sumitur ab obiecto, & obiectū indifferenter propositum per intellectū, est liberū obiectiuè, non ergo potest Deus facere, quod si est actus in voluntate, aut formalis, aut interpretatiuus, ille sit necessarius, si obiectum indifferenter proponitur.

13 Arg. 5. Ad idem. Deus potest necessitare voluntatem nostram, teste D. Th. q. 22. de verit. art. 5. quia hoc non repugnat, estque Dei proprium mutare voluntatem, quando voluerit, & quo modo voluerit, teste August. in Enchirid. c. 98. ergo potest eam mutare de libera in necessariam, etiam stante iudicio indifferenti, in intellectu, prob. conseq. nam ea stante indifferentia potest à Deo physica prædeterminatione ad vnam partem determinari negato auxilio sufficienti ad alteram, ergo necessitabitur. Prob. conseq. tunc enim necessitatur voluntas quando ita determinatur ad vnā partem, vt non possit proximè in alteram etiam in sensu diuiso, & est impotens in sensu diuiso quando caret auxilio sufficienti, dante posse ad oppositum, ℘. Resp. posse voluntatem nostram commutari de libera in necessariam, mutato dictamini, intellectus, de indifferenti indeterminatum & non alias, quod si stante iudicio indifferenti, Deus tollit auxilium sufficiens, ad alterum extremum, contradictionis, aut contrarietatis, tunc illud dictamen esset indifferens, materialiter, & formaliter determinatum, quia solum dictamen est indifferens formaliter quādo proponit possibili fieri à voluntate hic, & nunc & hoc indifferenter proponit.

QVÆ-

## QVÆSTIO XXV.

*Quæ indifferentia vtquiratur in voluntate ad libertatem, & an libertas sit denominatio extrinseca?*

1 DE ratione intrinseca, & constitutiua libertatis, non est in differentia ad bonum, malum; sed solum ad agere, & non agere. Sic expresse D. Thom. p.p.q.62.art.8.& 2.2.q.83. art. 4.& alibi. Estque communis sententia. Ratio est, quia libertas ex se dicit perfectionem, at indifferentia, & potestas, ad malum dicit defectum, & imperfectionem, ergo non est de ratione libertatis secundũ, & alias aliqua in differẽtia requiritur essentialiter ad libertatem, ergo hæc debet esse ad agere, & non agere. Confir. quia in Deo & Angelis confirmatis in bono saluatur libertas perfectionis, re, & lumen non est indifferẽtia, aut potestas, ad bonum & malum, ergo.

2 Hæc tamen indifferentia requisita ad libertatem ex parte actus voluntatis, est quod positis omnibus requisitis ad operandũ ex parte principij, sit potestas ad operandum si omittat libere operationem, aut ad non operandum si actu operetur; non ita vt operari, & non operari possit coniungere (hoc enim implicat) sed ita vt cum determinatione, ad actum, sic potentia ad oppositum & sic est posse in sensu diuiso, ac per consequens ad libertatem actualem, simultis potentiæ ad actum, & non actum requiritur, non autem potentia simultatis.

3 Dicendum 2. indifferentia requisita ad libertatem non est priuata, aut suspensiua, ita quod necesse sit, posse voluntatem manere suspensam ab agere, vel non agere, sed est actiua & dominatiur super actum & non actum, quia est circa obiectum non adæquans potentiam. Sic M. Ioan. a S. Tho. q.12. de anima, Ferrar. 1. contra gent. cap. 8. Serra 1. p. q. 83. art. 5. Ratio est, quia differentia priuata & suspensiua defectum dicit & obstat potius exercitio libertatis, cũ suspensio sit priuatio exercitij liberi, ergo non est de ratione libertatis hac potestas: nam potestas libera est ad exercitium liberum. Vide D. Thom. 1. p. q. 82. art. 9. & q. 9. de verit. art. 1. & q. 22. ar. 2 & 11. & 12.

4 Dicendum 3. libertas non est denominatio tantum extrinseca in actu, quatenus est à principio indifferenti, sed est denominatio intrinseca Ratio est, quia quod potentia habet in actu primo communicat actui secundo; vt parer in vitalitate, sed voluntas est intrinsece libera, & ab intrinseco, ergo actus secundus dimanans ab ea vt a principio libero liber est intrinsecè & ab intrinseco. Tum etiam actus ille essentialiter est tendentia in obiectum liberum,

ergo intrinsecè est liber, nihil enim magis intrinsecum est, quàm quod essentialiter, & per se alicui entitati competit.

5. Contra 1. concl. arg. 1. Quod omnis libertas exercitium dicit seu potentiã activam exercitij, ergo non solum est ad agere, & nõ agere, quia non agere exercitium non est, ergo essentialiter dicit indifferentiam, tantum ad contrarietatem actuum. Tum etiam libertas in actu primo diuiditur adæquate in eam quæ est contrarietatis, & contradictionis, ergo vtraq; dicit differentiam perfectiuam in linea libertatis, nã genus per differentias specificas perficitur; ergo de ratione libertatis, vt sic, est indifferentia, ad vtramlibet libertatẽ, sicut de ratione animalis est indifferentia ad rationale & irrationale, §. Ref. vel quod exercitium libertatis etiam per non agere saluatur: quia est exercitium contradictionis, suppositã aduertentia, tunc enim non est suspensio, sed à voluntate est indirectè, & interpretatiue ipsum non agere, vel si non datur pura omissio libera absque omni actu, exercitium contradictionis eius in obiecto, dicit non agere nõ subiectiue. dicit enim velle agere, aut velle non agere, & hoc solum dicimus esse de ratione libertatis, at libertas contrarietatis, ex parte obiecti, & subiecti, dicit extrema contraria, vt velle bonum, aut velle malum; & hoc dicimus non esse de ratione libertatis, non defectuosæ. Ad Conf. Respon. quod cum libertas contrarietatis, dicat defectum & priuationem saltim ex consequenti dicit etiã speciem libertatis defectuosam, quæ ratio defectus, ex ratione superiori non prouenit, & ideo ea diuisio non est strictè generis in species, sed speciei, in speciem perfectam, aut monstruosam. Ex his facile responderi potest ad ea, quæ cõtra secundam conclusionem obijci possunt.

6. Contra 3. concluſ. arg. 2. De ratione libertatis est indifferẽtia, at actus non est indifferens in se, sed solum respicit principium indifferens, quod principium extrinsecum est actui, ergo libertas solum est denominatio extrinseca in actu. Conf. posse operari non est aliquid intrinsecum in potentia, cum sit negatio tantum determinationis, ergo neque in actu est denominatio intrinseca esse liberũ exercitium talis potentiæ operãtis, sine illa determinatione. Cõf. 2. Potest idẽ actus absq; intrinseca mutatione transire de libero in necessarium, solũ mutato dictamine de indifferenti, indeterminatũ, ergo libertas, aut necessitas, non sunt denominationes intrinsecæ actus, alioqui non posset fieri illa muratio, sine intrinseca mutatione actus, §. Resp. quod de ratione libertatis actualis, quæ in actu reperitur non est indifferentia, sed solum esse actualem tendentiam in obiectum indifferẽter propositũ, circa quod operatur voluntas po-

potens non operari, & sic intrinsece connotat indifferentiam, & in se est intrinsece liber, etsi sit tẽ denti determinata. Ad 1. Confir. quod etsi ex parte potentiæ negatione explicetur ratio libertatis, in actu primo per non esse determinatũ ad vnũ, tamen reuera dominiũ, & perfectio est super actũ, quia ea indifferentia non consistit præcisè in suspẽsione, sed in eminentia, ad obiectum non adæquãs facultatem voluntatis, in ordine ad agendum. Ad 2. nego, antec. nam etsi mutatio dictaminis exigatur, tamen ipsa habitudo intrinseca voluntatis ad obiectum, in qua consistit actus mutari debet, & dato quod idem actus quoad entitatẽ possit transire de libero in necessarium manente eadem entitate, non tamen sine variatione modi intrinseci.

## QVÆSTIO XXVI.

*An saluetur vera libertas voluntatis, si hæc operetur, vt necessario determinata ad vnum, & solum non coacta?*

1 CVm voluntas in actibus elicitis non possit cogi, & tamen possit necessitari, si ex dictamine non indifferenti operatur, aut cum non potentia proximè expedita ad oppositum, inquiritur in præsenti, an vt actus voluntatis vere sit liber, sufficiat actum esse voluntarium, & spontaneum, & non coactum.

2 Dicendum est ad saluandam libertatem actus non sufficere esse spontaneum, & non coactum, sed necessario & essentialiter requiritur, quod sit à principio indifferenti ad opposita, & potente oppositum actus. Sic communiter Thomistæ & alij extra scholã D. Thom. estque D. Thom. in 2. ad Anibal. distin. 24. & p. p. q. 19. ar. 10. & q. 59. ar. 3. & q. 83. art. 3. & 2. contra gent. cap. 48. vbi & statuit in terminis nostram concl. & docet necessitatẽ opponi cum libertate actus.

3 Prob. ex diffinitione libertatis à nobis supra tradita ex Arist. 3. Ethic. c. 5. admissa à D. Th. q. 22. de veritate & p. p. q. 41. ar. 2. Libera est voluntas cum positis omnibus requisitis potest operari & non operari, saltim in sensu diviso, sed voluntas necessitata non potest operari, ergo non est libera. Vnde sequitur quod indifferẽtia non solum est de ratione accidentalis libertatis; qualis est in libero arbitrio electiuo, sed de ratione essentiali cum ea indifferentia essentialem rationem libertatis explicet, per eius essentialia prædicata. Tum etiam libertas essentialiter exigit dominum voluntatis supra suos actus, sed hoc dominum exigit essentialiter agere, aut non agere, absque determinatione, & necessitate ad vnum, vt docet D. Th. 1. contra gen. c. 61. & 68. ergo libertas essentialiter exigit, exclusionem necessitatis, & determinationis ad vnum.

Tum etiam, esse necessarium liberum, aut indifferentem sunt modi oppositi, & ex se incompossibiles. Si ergo actus, etsi spontaneus, & voluntarius est tamen necessarius, quomodo est liber, aut indifferens? ergo sicut nequit esse simul indifferens, & determinatus ita inquit, simul esse liber, & necessarius. Denique processio Spiritus Sancti, in sententia opposita, est spontanea, & non coacta, & tamen ex modo processionis, non potest dici libera; aut potens non esse, ergo non est idem esse actum spontaneum, & non coactum, ac esse liberum.

4 Prob. 2. actus liber non est à voluntate, vt natura est, sed vt voluntas, vt docet D. Thom. locis supra relatis, at actus procedens à voluntate, vt voluntas, non procedit ab illa, vt determinata, sic enim habet rationem naturæ, sed debet ab ea procedere, vt indifferens est; ergo actus liber præter non coactionem requirit indifferentiam ex parte principij, prob. mai. nam si vt actus esset liber non exigeret esse à voluntate, vt voluntas est, hæc non esset voluntas vt indifferens, posset esse leberum, quod est ab appetitu elicito non rationali, siquidem etiam, ibi est nõ coactio. Nec negaret D. Thom. qu. 2. de pot. art. 3. Spiritum Sanctum, non procedere à voluntate, vt voluntas, sed vt natura est, & hoc quia procedit ab illa quatenus est principium determinatum ad vnum, de quo vide D. Tho. 2. 2. q. de verit. art. 5. ad 6. & Caiet. p. p. q. 44. art. 2.

5 Prob. 3. Vt actus voluntatis sit liber vere, & propriè debet regulari, ex iudicio indifferenti, ex D. Tho. qu. 24. de verit. ar. 2. & in 2. ad Anibald. dist. 24. sed actus voluntatis procedens à voluntate, vt determinata ad vnum non regulatur ex iudicio indifferenti, ergo non est vere, & propriè liber, ℣. Si dicas tunc actum necessarium non esse liberũ, libertate accidẽtali, quæ requirit procedere ex iudicio indifferẽti, esse tamen liberum libertate essentiali, quæ hoc non requirit, sed solũ esse non coactum, quamuis iudicio ad vnum determinato reguletur. Contra est quod libertas secundum essentialem rationem distingui non potest à modo necessitatis, nisi in eo quod ex parte obiecti proposti per intellectũ sit indifferentia, si enim est determinatio, tunc obiectũ necessariũ est, sed ex obiecto sumitur libertas essentialis actus, ergo ex essentiali conceptu libertatis petitur iudiciũ indifferens. Præterea, D. Tho. cit. q. de verit. ad 3. docet, *quod indifferẽtia iudicii, est radix totius libertatis*, actus regulati, ergo tã essentialis, quã accidẽtalis libertas petit indifferentiam. At hæc ratio volũtarij, & spõtanei, indifferens, & superior est, ad necessitatem, & libertatẽ actus, vel saltem sicut subiectũ in accidentia diuiditur, voluntarium, in libe-

liberum, & neceſſarium, vt ex D. Thom. 1.2.q.6.ar.2. colligitur, & ibi frequenter Thomiſtæ, ſed liberum, quatenus diſtinguitur à neceſſario, non poteſt exigere iudicium determinatũ, ergo indifferens debet exigere. Denique non alia ratione dicitur à D. Tho. viſionem beatificam, non eſſe liberam, ſed neceſſariã, niſi quia regulatur, iudicio determinante omnino ad ſummum bonum, ergo requiritur indifferentia, ex parte iudicii ad libertatem; at ea poſita voluntas, vt principium indifferens operatur, ergo non neceſſario.

6 Contra reſolut. arg. 1. ex D. Tho. in 3. diſt. in. 12. q. 2. & 3. contra gen. cap. 138. vbi docet, quod neceſsitas libera à coactione, ex perfecta aduertentia proueniens non tollit meritum, ac perinde, nec libertatem, quæ abſque dubio requiritur ad meritum, quia etſi non relinquat poteſtatem ad malum, relinquit perfectum volũtariũ, ad quod ſequitur laus aut vituperium, vt ait D. Th. 1.2. q. 6. ar. 2. ad 3. ergo ex mẽte D. Th. cũ neceſsitate componitur eius libertas, §. Reſp. meutem D. Th. non eſſe quod omne voluntarium ſit liberum, & meritorium, ſed quod liberum ſupponat voluntarium perfectum; in quo etſi nõ ſit poteſtas ad malum, poteſt eſſe libertas perfecta, ex poteſtate indifferentia contradictionis.

7 Arg. 2. *naturalis neceſsitas, libertati non repugnat*, ex D. Tho. quæſt. 10. de po. art. 2. ad 3. & qu. 22. de verit. citata, & p. p. quæſt. 82. art. 1. ad 1. §. Reſpo. loqui de libertate ſecundum quid, quæ dicitur libertas à coactione quomodo ait libere procedere Spiritum Sanctum, non tamen poſsibiliter, ſed ex neceſsitate, qua ratione exponendus venit 1. p. quæſt. 41. ar. 2. ad 2. & qu. 16. de malo, art. vnic. ſicut in alijs locis exponitur, quod ſtante determinatione ad vnum quo ad finem, manet libertas, ad ea quæ ſunt ad finem, & ſic interprætari valemus D. Th. in 2. diſt. 25. qu. vnica art. 1. ad 4. & q. 24. de verit. art. 1. ad 20. Deus namque etſi in ſe ipſo viſus neceſsitet ad amorem ſui, abſque libertate, tamen vt ratio amandi creaturas, eſt ratio amandi eas libere. Vide etiam Caiet. 1. p. q. 82. art. 1. ad 3.

8 Arg. 3. à ratione. Voluntas tunc agit vt voluntas libera quando à ſe mouetur, & ex iudicio rationis, & non ſicut bruta ex inſtinctu; ſed cum quis videt Deum amat ex iuditio rationis, & ex meritis bonitatis, quæ eſt in obiecto, ergo libere, ergo libertas componitur cum neceſsitate actus. Confir. actus perfectẽ humanus, eſt ex perfecto dominio, vt ait D. Tho. 1.2. qu. 1. art. 1. ergo ex perfecta libertate, ſed viſio Dei eſt actus perfectiſsimẽ humanus, vt concedunt grauiſsimẽ Thomiſtæ, ergo eſt libera, §. Reſp. diſtin. ma. cum agit, & mouet ſe ex iudicio rationis indifferenti concedo, cũ ex iudicio

dicio omnino ad vnum determinato, vt contingit in amore beatifico, nego. Cuius rationem, tam in hac quæst. quam q. 25. reddidimus. Ad Confir. Resp. quod etsi demus perfectum dominium, & rationem actus humani in visione, & amore beatifico, neganda est tamen libertas, quia hæc supponit dominium indifferentiæ, vt ait D. Thom. 1. contra gen. cap. 68. & q. 24. de verit. art. 2. ad 3. & illi actus sunt cum dominio ad vnum, determinato, & sic solum perfectè voluntarij, spontanei, & non coacti; non tamen perfectè liberi, vt hic loquimur, §. Si instes, amorem beatificum esse perfectissimum: sed libertas est perfectio voluntatis, ergo si ille actus est perfectissimus, erit etiam liber. Respond. quod si cætera sint paria, actus liber est perfectior necessariò, quando necessitas provenit ex imperfectione, aduertentiæ, at si ex perfecta aduertentia boni proveniat, perfectior est actus necessarius, vt docet D. Thom. in 2. ad Anibald. dist. 24. & 1. p. q. 83. ar. 1.

9 Arg. 4. Si determinatio ad vnum tolleret libertatem, confirmati in gratia qui sunt determinati ad bonum, non essent liberi, sed hoc est falsum, siquidem in via merentur, ergo. Confir. Christus erat determinatus ad obediendum Patri, & tamen erat liber siquidem obediendo meruit, ergo. §. Resp. confirmatos in gratia, non esse ab intrinseco determinatos ad vnum, sed ab extrinsecò, profectos ne labantur, vt ait D. Thom. q. 24. de verit. ar. 9. & dato quod essent ab intrinseco determinati ad bonum sicut Christus quoad specificationem, non tamen quantum ad exercitium, quod sufficit ad meritum, Christus autem etsi posset non mori, absolutè considerata morte, & posset non obedire absolute considerato illo actu præcepto, non tamen reduplicatiuè, vt sub præcepto, & hoc sufficit ad libertatem, quia voluntas antecedenter, non est determinata ad vnum, sed consequenter.

10 Arg. 5. Sine dominio actus potest esse libertas, ergo sine indifferentia prob. ant. secundum D. Thom. 1. 2. q. 1. ar. 1. & q. 6. art. 2. ad 2. & 1. p. q. 87. per totam dominium solum habetur per liberum arbitrium, quod circa media versatur, ergo non circa finem; & tamen finem libere possumus amare, ergo ad libertatem, nec dominium actus, nec indifferentia requiritur. Idemque ostenditur in primo actu Angeli qui fuit liber, & non ex voluntate deliberata, siue per liberum arbitrium agente, §. Resp. quod deliberatio, & dominium stricte est tantum circa media, at ea quæ non est stricta, etiam est de fine, vt differtè docet D. Thom. citata q. 6. art. 2. ex 1. 2. & si circa eos fines ad quos libere fertur voluntas, deliberatio, & dominium est, licet nō strictum, sed hoc sufficit; quia sic

saluatur indifferentia, in dictamine, saltim quoad exercitium, vt contingit in primo actu Angeli, qua parte meritorius fuit.

11. Arg. 6. Si operari libere, & naturaliter sunt modi operandi oppositi, ergo voluntas numquam operatur libere, siquidem semper operatur vt natura, quia ipsa quædam naturae est, ℣. Resp. quod semper operatur natura voluntaris, etiam in actu libero, sed non reduplicatiue, vt natura, & sub modo agendi naturali, & ideo actus liber non potest esse naturalis, & necessarius, ex modo.

12. Arg. 7. Deus operatur libere, & tamen neque habet indifferẽtiam, quoad specificationem, quia non potest operari malum: neque, quoad exercitiũ, quia post quam habet actum amoris erga creaturam, non potest habere non amorem, cum non sit mutabilis Deus, neque antequam habeat amorem potest non amare, quia ille actus æternus est, ergo absq; vlla indifferentia, liber est, ergo indifferẽtia iudicij, & potestatis, in operando non requiritur ad libertatem. ℣. Resp. cum D. Tho. p. p. qu. 19. a. 3. quod vt Deus habuerit indifferentiam quoad exercitium, ad terminationem illius actus liberi, non requiritur quod ex suppositione amoris in sensu composito, possit non amare, aut odio habere creaturam, neq; quod tempore antecedenti, fuerit suspensus ab amore, sed solum quod prioritate signi habuerit indifferentiam, in sensuque diuiso ad non amandum, quia ex iudicio, indifferenti prouenit illa determinatio, & ex principio expedito ad non amandum, quod sufficere ad plenam, & perfectam, libertatem quæ omnem suspensionem excludit, docent communiter Thomistæ.

## QVAESTIO XXVII.

*Vtrum voluntas mouendo quoad exercitium potentias inferiores, aliquid intrinsecum imprimat, siue sit qualitas, siue sit motio, & quæ potentiæ subdantur tali motioni?*

1. QVando vna potentia mouet aliam ad actum, qui ab intrinseco excedit facultatem nouam potentiæ motæ, vt cum voluntas mouet intellectum, vt eliciat imperium efficax, aut cum intellectus mouet voluntatem, vt cum aliquo ordine, eliciat suos actus, certum videtur, quod requiratur aliquid determinatum à potentia superiori, in inferiorem, neque sufficere naturalem sympathiam, & colligationem: nam cum naturaliter sint colligatæ, & radicatæ omnes potentiæ in eadem anima, si ea colligatio sufficeret; quælibet illa potentia haberet ex se in rali subiecto operari, cum illo modo, quia pullulat ab anima, quæ est radix potentiæ superioris, & sic nõ indigeret intellectus electione effi-

efficaci, vt efficaciter imperet, ne que voluntas, indigeret actu intellectus, vt ordinate amaret media: si ergo potentia mobilis, requirit actum potentiæ mouentis, vt eliciat aliquem actum, cum modo excedente natiuam virtutem, quam habet vt resultat ex anima: sequitur exigere, quod potentia mouens, aliquid intrinsecum imprimat, & deriuet in potentiam inferiorem, vt eliciat talem actū de quo late Mag. Ioan. à S. Tho. q. 12. de anim. ar. 6.

2 Modo autem non sic procedit quæstio, sed solum inquirit, an voluntas, quæ est primum mouēs quoad exercitium respectu omnium potentiarum animæ, quæ eius imperio subduntur an inquā dum sic mouet, necesse sit, eis aliquid intrinsecum imprimere, & quid illud sit, in suppositā sympathia naturali, & radicatione in eadem anima sufficiat poni actum imperantem, in voluntate, vt illi obediant potentiæ mobiles, ab ipsa exequendo eius imperium, absque eo quod aliquid intrinsecum prævium deriuetur à voluntate, quo applicentur tales potentiæ, ad exercitium operationis, quam imperat voluntas.

3 Dicendum 1. Voluntas mouet quoad exercitium reliquas potentias, quæ eius motiori subduntur, aliquid intrinsecum eis imprimendo. Sic communiter Thomistæ quos refert, & sequitur M. Ioan. à S. Thoma, loco iam relato, & alij Thomistæ 1. 2. q. 9. a. 1.

4 Sic etiam D. Tho. dum 1. p. qu. 82. art. 4. docet: *Alio modo dicitur aliquid mouere per modum agentis, sicut alterans mouet alteratum, & impellens mouet impulsum* (quæ est motio effectiua physica) *& hoc modo voluntas, mouet intellectum, & omnes animæ vires*, vt Anselm. dicit in libro de similit. cap. 2. sed alterans non alterat aliud, nisi illi imprimendo aliquid, & similiter impellens imprimendo aliquid reale intrinsecum impellit aliud (vt in lib. physic. agendo de proiectis, & in lib. de gener. dictum est:) ergo voluntas mouēdo quoad exercitiū, reliquas potentias, aliquid reale physicum intrinsecum illis imprimit, quo applicet, & moueat eas, quoad exercitium. Prob. etiam ex celebri testim. D. Thom. 1. 2. qu. 56. vbi docet, quo modo vna virtus possit esse in duplici potentia; *quatenus vna mouetur ab alia, vel accipit ab alia per modum diffusionis, aut dispositionis*, sed diffusio vnius potentiæ in alterā, cum sit agentis, & efficientis, ita vt vna alia accipiat saluari non potest, si potentia mota, à mouente non accipit aliquid intrinsecum, & reale causatum à potentia mouente, & agente, siquidem efficere in alterum ita vt illud, in quod efficit aliquid accipiat verificari nequit, nisi aliquid intrinsecum de nouo causatum recipiat, ergo dum voluntas mouet quoad exercitium potentias inferiores, aliquid intrinsecum causat in illis.

5 Prob.

5 Prob. ratione. Volũtas est primum mouens quoad exercitiũ cæteras potentias, quæ illi subduntur, ergo est primum mouens effectiue, nam efficiens causa sola est, quæ ad exercitium rei, seu ad rem in exercitio tendit; ergo aliquid intrinsecum producit in potentijs motis, prob. conseq. non fiat mouens, & ageus effectiuè in aliquid, quin illud fit effectiuè motum, sed non fiat aliquid realiter & phisicè moueri ab alio, nisi aliquid intrinsecum accipiẽdo ab illo à quo mouetur, quia sic moueri est transire de potentia phisica ad actum phisicum, ergo voluntas mouendo quoad exercitium, potentias inferiores sibi, & subditas quo ad moueri, per aliquid phisicum, & intrinsecè, in ipsis receptum mouet eas quoad exercitiũ, vel si hoc non est verum, non saluabitur quod voluntas sit primũ mouens quoad exercitium, vnde & D. Thom. q. 22. de verit. art. 13. dicit hanc motionem *fieri per realem impressionem*, seu aliquid imprimendo. Confirm. si voluntas nihil reale intrinsecum causando in potentijs quas mouet quoad exercitium, eas moueret; sed solum per sympathiam, quatenus posito actu voluntatis, iuxta imperium purè extrinsecum eius, resultaret actio in potentijs inferioribus, quia voluntas radicatur in anima, ergo mere concomitãter, seu per modum conditionis, se haberet voluntas, & actio eius, vt resultaret actio in potentijs inferioribus, ergo non posset verificari, quod voluntas est mouens quod exercitium, quod est falsum nam actio communiter se habẽs, si nihil operetur in illam causam, & purè per accidens dicitur causa, & motiuum eius, vt latè probat D. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. quia se habet sicut conditio, sine qua non, & idem est de conditione ad agendum, quæ quidem neque vere causa est, neque motiuum.

6 Prob. 2. Eo modo mouet voluntas alias potentias quoad exercitium, quo charitas mouet alias virtutes ad agendum per imperium, quia vt docet D. Tho. q. 22. de verit. art. 23. & p. p. q. 82. art. 4. Eatenus volũtas sic mouet quatenus ad ipsam attinet attingere finem superiorem, & proprium totius suppositi; sed charitas mouet, & imperat alijs habitibus, v. g. fidei *relinquẽdo in ea aliquid intrinsecum*, vt ait D. Tho. q. 14. de verit. art. 5. ad 4. ergo, & voluntas mouet reliquas potentias, per aliquid intrinsecum, ℣. Con. 1. Si sufficeret ad hoc, quod voluntas moueret, quoad exercitium, & applicaret potentias inferiores, & illis vteretur, radicatio in eadem anima, & sympathia, ergo intellectus moueret quoad exercitium voluntatem ad operãdum; siquidem radicatur in eadẽ anima, & præcedit actio intellectus actum voluntatis, & posito actu intellectus practici resultat necessario actus in volũtate, esset er-

ergo intellectus primum mouens quoad exercitium, ipsam voluntatem, & per consequens moueret primo cæteras potentias quoad exercitium, siquidem etiam dicat eas *hic, & nunc* esse operaturas, sed hoc est absurdum, ergo.

7 Prob. 3. Voluntas non dicitur primum mouẽs quoad exercitium, quatenus sua actione immutat animam, quia hæc non immediate est operatiua, neque quatenus est inclinatio totius suppositi, quia neque hoc operatur, nisi medijs potentijs operatiuis, & mediante anima tamquam principio quo, sed dicitur mouens quoad exercitium cæteras potentias, & eas applicans, ergo ipsas debet immutare intrinsecè, vt verificetur eas mouere quoad exercitium. Conf. 1. Si vt aliquid diceretur mouere aliud quoad exercitium sufficeret actio, qua immutatur anima, & quod alia potentia radicetur in illa, ergo cum appetitus sensitiuus, radicetur in eadem anima in qua est voluntas, & sæpè sequatur voluntas passiones appetitus, sequeretur posse etiam affirmari, quod appetitus mouet voluntatẽ quoad exercitium: sed hoc est falsum, vt latè ostendit D. Tho. 1. 2. q. 10. art. 3. ergo, voluntatem mouere primo cæteras potẽtias quoad exercitiũ non saluatur per meram simpathiam, seu radicationem, si eadẽ anima, si nihil intrinsecum imprimit in potentijs inferioribus.

8 Dicendum est 2. Illud intrinsecum receptum in potentijs inferioribus medio, quo mouentur quoad exercitium à volũtate non est qualitas, sed motio quædã virtuosa. Prob. Tum quia huiusmodi motio quoad exercitium consistit in quadam applicatione, & vitu, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 16. art. 1. sed hæc motio quædam est, vt patet in applicatione ad locum: ergo. Tum etiam, quia D. Thom. 1. 2. qu. 6. art. 1. ait, *quod motio subiecti ex agẽte aliquo fit, & ideo ex hac parte voluntas mouet alias potentias*. En D. Thom. vocat motionem, id quo reddũtur motæ potentiæ inferiores à voluntate, & Prob. ea motio voluntatis non tribuit virtutem potentijs inferioribus, ad aliquid, quod ex se non possunt, sed solum habet facere, quod moueantur, ad suum imperium, & finem, ergo non qualificat eas in ratione principij, sed tantum intendit mouere, sed hoc optimè saluatur motione quadam virtuosa, id est, ordinante ad finem superiorem voluntatis, absque aliqua qualitate, ergo moueatur potentiæ inferiores à voluntate, sola intrinseca motione applicatiua, & virtuosa. Tum etiam. Si id quo mouet voluntas potentias inferiores esset qualitas, deberet spectare ad aliquam speciem qualitatis; sed ad nullam pertinet, ergo est motio; prob. min. qualitas cognoscitur per effectum quem præstat subiecto; sed id quo mouentur potentiæ

tiæ inferiores à voluntate, non præstat aliquem effectum qualitatis potentijs motis cum tamen præstet effectum motionis ergo. Prob. mi. non reddit potentias inferiores potentes, aut impotentes, neque habituatas, neque dispositas, quia dispositio in mobili est ad motionem, ergo non saluatur, quoad volũtas moueat quoad exercitium, per hoc quod disponat inferiores potentias, vt moueantur, neque est passio, aut passibilis qualitas, quia istæ sunt potius terminus motionis passiuæ, sed neque fiunt tales potentiæ figuratæ, aut formatæ, ergo illud intrinsecum non est qualitas, sed est motio quædam ad modum impulsus communicata, vt docet D. Tho. 1. 2. q. 9. ar. 1.

9 Si inquiras 1. quæ potẽtiæ subdantur voluntati tamquam primo moueri quoad exercitiũ? Respondeo apud omnes certum esse intellectum quoad exercitiũ cuiuslibet actus, qui non sit primus subdi motioni voluntatis, quoad exercitium, vt docet D. Thom. 1. p. q. 82. ar. 5. ad 3. Secundo. Resp. potentias vegetatiuas, quoad actum nutritionis, & augmentationis, non subdi per se imperio voluntatis, neque ab ea moueri quoad exercitium, vt docet ibi D. Thom. art. 4. nã per accidens, pendent à voluntate, quatenus applicat alimentum, vel distrahendo spiritus, quatenus attendo ad alia nimis intense impedit nutritionem, & augmentum, quæ omnia experientia innotescunt, nec alia egent probatione. Reliquæ autem potentiæ subduntur imperio volũtatis, quoad omnes actus, qui non sunt mere naturales, seu præuenientes aduertentiam, sic D. Tho. p. p. q. 81. art. 3. ad 2. sed est discrimen, nã corpus mouetur despotice ab anima, & sic infallibiliter mouetur, ab illa media voluntate, aut appetitu, & imaginatione, quando suis actibus præueniunt voluntatem, at reliquæ potentiæ animæ sensitiuæ, quæ sunt capaces alicuius libertatis per participationẽ, quæque reguntur appetitu sensitiuo potente resistere voluntati, quia politice monetur, & imperatur a voluntate non infallibiliter mouentur à voluntate.

10 Si inquiras 2. an voluntas se sola moueat potentias sensitiuas, an mediante appetitu sensitiuo? Resp. Regulariter mouere voluntatem corpus, & potentias sensitiuas mediante appetitu sensitiuo, vt mouente moto, sic D. Tho. p. p. qu. 80. art. 2. ad 3. Caiet. ibi. Et est consonum rationi, quia dũ sunt agentia subordinata, motio superioris, respectu inferioris infimi fit mediante agente inferiori medio: sicut, & cœli hoc præstãt, respectu mundi inferioris, & sphæra superior respectu inferioris, cui motioni comparat D. Thom. 1. p. qu. 82. art. 4. & qu. 22. de verit. art. 13. motionem voluntatis, ergo cum regulariter fiant motiones, secundum modum connaturalem,

lem, regulariter mouet voluntas quoad exercitium potentias inferiores, mediante appetitu sensitiuo, aliquando autem renuente appetitu sensitiuo, mouet potentias inferiores, ad aliquid, vt patet in martyribus, sic D. Tho. 1. 2. quæst. 10. art. 3. ad 3. quod etiam verum est, quoad potentiam loco motiuam, quod etiã docet experientia, in martyribus & libri Machab. testantur in illis celeberrimis Martyribus, qui extendebant manus ad scissionem, & linguam proferebant, gladio (renuente absque dubio appetitu) & sic conuincitur falsitatis sententia Conimbric. 4. ethic. quæst. 3. artic. 4. qui oppositum docent.

11 Inquires 3. An renuente voluntate possit appetitus sensitiuus, mouere potentias inferiores quoad exercitium? Respo. si voluntas sit impedita, vt in pueris, & amẽtibus, vel sit distracta, aut negatiuê se habeat, certum est quod appetitus sensitiuus sit tũc primum mouens, quoad exercitium sicut in brutis, at si renuat positiuê, appetitus inferior mouere non potest, quia cum voluntas sit agens principalius, cui magis subduntur potentiæ inferiores, quam appetitui sensitiuo cæteris paribus magis obediunt ex natura sua voluntati, quam appetitui sensitiuo, quod etiam experientia docet. Nec obstat, quod ipse appetitus resistat motioni voluntatis sæpe sæpius, nam, & si ipse appetitus, possit resistere tamen renuente voluntate, non habet vim, vt ipsi obediant inferiores potentiæ, quod si renuente voluntate, & vrgente imaginatione, & appetitu quandoque motus aliquos experimur membris inhonestis repugnantes legi mentis, hoc ideo est, quia illa membra nõ subduntur per se voluntati, sed de his. Vide D. Tho. 1. 2. q. 17. per totam.

12 Contra 1. conclus. arg. 1. Reliquæ potentiæ ex se habent completum principium agendi, ergo non possunt moueri ad agendum effectiuè, & per aliquid intrinsecum à voluntate; prob. cõseq. nam principium complete actiuum effectiuum, non potest pendere ab alio agente, etsi est actiuum complete, nulla entitate intrinseca indiget, vt agat, & exerceat suam operationem, ergo, ℘. Confir. Voluntas ex se solum agit volendo, at volitio est actio immanens, ergo nihil producit in alijs porentijs alias esset actio transiens. Nec sufficit dicere esse etiam virtualiter transeuntem, & formaliter immanentem, & sic posse aliquid intrinsecum imprimere in potentijs quas mouet. Nam si hoc esset verum, quælibet volitio hoc haberet, cũ non sit maior ratio, sed hoc est falsum, ergo nulla volitio est virtualiter transiens. Tum etiam nulla causa effectiua creata operatur naturaliter in distans, sed aliæ potentiæ distant à voluntate, v. gr.

pes,

pès, à cerebro in quo est intellectus, & voluntas, ergo. §. Resp. quod etsi demus nihil deficere illis potentijs, ad agendum, ex parte actus primi, deficit tamen aliquid ex parte applicationis, & ideó egent aliquo intrinseco de nouo impresso, dū mouentur quoad exercitium à voluntate, & posset dici aliquid deficere, etiam ex parte actus primi, per modum cõplementi, quia quod operentur ex fine boni vniuersalis totius supposiți, non habent, nisi ex participata virtute voluntatis, ideòque indigẽt, vt moueantur quoad exercitiũ intrinseca motione virtuosa, deriuata à voluntate. §. Ad Con. recta est respõsio tradita. Ad Replicã dico non cõuenire omni volitioni esse virtualiter trãseuntem, quia non omni volitioni cõpetit, mouere & imperare efficaciter potentias à se distinctas; & ideô solum volitioni, sic imperãti, & mouenti competit esse virtualiter transeuntem, & formaliter immanẽtem. §. Instant. quod voluntas, solum habet velle, & nolle; sed hoc non participant potentiæ inferiores; ergo nihil intrinsecum participant. Respon. quod nõ participant velle, & nolle; sed effectum volitionis, *quia potentiæ creati, non solum sunt principium actionis, sed effectus*, ex D. Tho. 1. p. q. 25. ar. 1. ad 3. §. Ad 2. Resp. quod volũtas vt imprimit & mouet non distat positiuê ab aliqua potentia informata ab anima cum sit illi coniuncta ratione animæ, & voluntãs non sic in loco; sed hoc dato dico quod mediãtibus potẽtijs immediatis, imaginatione, scilicet, intimante imperium voluntatis, (quamuis renuat appetitus, & non influat) suo ordine mouet voluntas vnam potentiã mediante alia, & sic potest voluntas mouere membrum distans, sicut cœlum mouet in terra aliquas eius partes mediis interiacentibus corporibus.

13 Arg. 2. Ad idem. Modus ille intrinsecus quem habet actus potentiæ inferioris in exercitio posterior est ipsa substantia actus; ergo prior est dependentia, quam habet talis actus à sua potentia elicente, quam dependentia, quam habet ille modus; ergo vt eliciat actum illum quoad substantiam non præsupponitur motio intrinseca in potẽtia, vt operetur; ergo neque quoad exercitiũ, per aliquid intrinsecũ receptum potẽtia inferior mouetur. §. Respon. vel illum modum non esse receptum in actu inferioris potentiæ; sed esse receptum in ipsa potentia, vt sit applicata ad exercẽdum substantiam talis actus, in exercitio. Vel quod sicut substãtia actus supponit eius substãtiã, sic etiam illa motio intrinseca potentiæ inferioris deriuata à voluntate supponit substantiã talis potẽtiæ; sed quia nequit talis potentia, actum quoad substantiam elicere, nisi in exercitio sit actus, prærequiritur potentiã illam esse in exercitio applicatã à volũtate

per illam intrinsecam motionem, vt actu in exercitio operetur substantiam illam actus.

14 Arg. 3. ad probandum quod vt voluntas moueat quoad exercitium inferiores potentias, nó requiritur aliquid intrinsecú, in eas determinari, sed sufficit connexio, & colligatio, in eadem radice animæ: vt ex vi sympathiæ resultet in potentia inferiori, actus ad quem contendit arbitrium, & imperium voluntatis, & prob. fici. Nam sola hæc sympathia sufficit, vt voluntas nequeat operari sine intellectu, neque intellectus sine sensu interno, neque sensus externus sentiat, aut tangat sine attentione sensus interni, vt constat in somnolentis, ergo sufficit etiam, vt potentiæ inferiores, non possint operari, sine imperio voluntatis. Tum etiam: Cœli superiores mouent inferiores, absque impressione alicuius intrinseci, per solam naturalem subordinationem, ergo idem erit de motione voluntatis respectu inferiorum potentiarum, &. Resp. hoc argumento P. Vazq. non magis probari in primis, quod voluntas moueat, quoad exercitium potentias inferiores, quam quod inferiores moueant quoad exercitium ipsam voluntatem, quod est falsum; ergo aliquid amplius debemus concedere, vt saluetur voluntatem, non esse conditionem, sine qua non operantur potentiæ inferiores, sed etiam esse primum mouens quoad exercitium, quæ motio est in genere agentis effectiui, quod genus, aliquem effectum intrinsecum productú, exigit in eo, in quo exercetur motio effectiua. Ad arg. ergo dico intellectum non mouere effectiuè voluntatem, sed solum finaliter, vt ait D. Tho. 1. 2. q. 9. art. 1. ideôque non mirum quod sine intrinseco effectu moueatur; sed sicut non mouet intellectus voluntatẽ, per solam sympathiam, sed per repræsentationem obiecti, & finis applicando obiectiuè ipsum voluntati, sic neque voluntas mouet quoad exercitium ex parte principij effectiui agentis, nisi efficiẽdo aliquid applicet principia actiua inferiora, idest potentias inferiores ad agendum. Idem est de alijs exemplis, non enim illæ potentiæ mouentur, ex sympathia, sed quia vna applicat alteri obiectum, aut cõmunicat spiritus vitales, & ideô intellectus nõ operatur sine sensu, neque sensus externus sine interno. Ad vlt. prob. Resp. negãdo, quod cœlum superius non imprimat impulsum in inferiores vt moueantur.

15 Arg. 5. Ad prob. quod actus voluntatis mouet quoad exercitium inferiores potentias, absque aliquo intrinseco impresso, eas intrinsecè determinando, ad operandum hic, & nunc. Quia Quia Angelus superior illuminat inferiorem, ad hic & nunc intelligendum, quod ante nõ intelligebat: tantum per actum superioris ordinatum extrinsecè ad inferiorem

rem, & idē est de quolibet Doctore docente discipulum, quatenus ordinare intelligendo exponit illi extrinsecè suum cōceptum; ergo & poterit voluntas, similiter determinare potentias inferiores, ad hic & nunc operandum, intimando illis per imperium intellectus suam determinationem, ℣. Resp. cum D. Thom. p. p. q. 107. artic. 1. quod Angelus sic illuminans inferiorem, & idem est de Doctore instruente discipulum, non facit hoc determinando effectiuè, seu per modum mouentis, quoad exercitum; sed solum specificatiuè mouendo ex parte obiecti, quod ordinate proponit, & sic dirigit extrinsecè, & determinat, non ex parte principij actiui, quoad exercitium, applicando virtutem actiuam discipuli, aut Angeli illuminati, quoad exercitium, sed supposita eius applicatione, & attentione mouendo specificatiuè: at voluntas non est primum mouēs quoad specificationem, (hoc enim est proprium intellectus) sed est mouens primum quoad exercitium in genere causæ effectiuæ, idcòque requiritur ad saluandum huiusmodi motionem, quod aliquid intrinsecum imprimat.

16 Arg. 6. Ad prob. Sufficere, quod voluntas sit inclinatio totius suppositi, vt determinando, & mutando illud per suum imperium, exequantur aliæ potentiæ, in eodem supposito, illud quod ipsa voluntas imperat. Nam dum voluntas impērat, & impellit inferiores potentias: anima & suppositum determinat, vt operetur quod imperat voluntas; ergo si determinat, vt influat radicaliter in potentias inferiores, vt sic operentur, sicut volūtas vult: ergo vt saluetur voluntatem esse primum mouens quoad exercitium hoc sufficit, neque requiritur alia impressio in potentiam inferiorem, ℣. Respon. negando quod hoc sufficiat, quia anima nō operatur immediatè, neque secundum eandem facultatem radicis, & ideò posita actione imperandi, non sequitur quod potentia inferior animæ sit in se determinata ad influendum, inferiorem, maximè quæ politicè obedit voluntati, sed requiritur impulsus in potentiam inferiorem, vt ipsa applicetur ad exequendum, quod voluntas mouet, quia voluntas non est primū mouens quoad exercitium respectu animæ, sed respectu inferiorum potentiarum.

17 Argumentis, quæ contra secundam conclusionem possunt fieri, facilè respondetur, tum ex dictis, in hac q. tum ex doctrina tradita in Phys. lib. 2. q. 15. de motione instrumenti à causa principali.

# APPENDIX

## De Anima separata.

FAteor hunc tractatum non directê attinere, ad hunc locum, in quo directê agitur de anima, vt est principium vitæ sensibilis; sed tamen indirectê attinere nemo inficiabitur, nisi contumax sit. Tum quia ab eruditissimis, hic pertractatur; Tũ quia in metaphisica fere nullus de hoc tractat, quamuis ibi sedem habeat, sed quia lib. Arist. scilicet 13. & 14. non absque magna, & ingenti disciplinæ metaphisicæ iactura, absumpti sunt, in quibus spoponderat de hoc docere hic instituitur præsens tractatio, à qua fraudare lectorem piaculum iudicarem. Plura pro dignitate conficiam, alia autem per summa capita attingam, non desiderio quidem fraudandi bonum Scholasticorum, conatum, & studium, sed coactus ne plus æquo intumescat moles huius Tractatus præcipuè cum prolixitas exosa adeò est huius tempestatis philosophastris.

## QVÆSTIO XXVIII.

*An status separationis violentus sit animæ rationali, an verò naturalis, aut præternaturalis.*

1 IPse titulus omnem aufert æquiuocationem, explicatio autem terminorum pendet ex dictis 2. Phys. q. 4. ideôque in præsentiarum non est superuacue repetenda.

2 Dicendum igitur: status separationis, neque naturalis est, neque violentus animæ, sed præter naturalis, & accidentalis, & conformis eius naturæ negatiuê. Sic communiter Thomistæ: sic Caiet. 1. p. q. 89. art. 1. vbi in corpore expresse docet D. Thom. nostram concluſ. Ban. ibi dub. 2. concluſ. 3.

3 Prob. Quia anima nostra & naturaliter habet esse forma, & etiam habet esse immaterialis, & esse infima in linea substantiarum immaterialium, & participare aliquem modum, ex ordine ad superiores substantias; ergo cum illæ substantiæ sint separatæ, & sic possint permanere, non erit contra naturam animæ nostræ, ille status absolutè, licet sit supra modum quem habet quatenus est forma incompleta, petens (si solum hoc attendatur) vniri corpori. Con. etsi moueri sursum sit naturale igni, quatenus talis natura est, tamen moueri circulariter ad raptum Cœli, & Lunæ, in cuius con-

concauo est, non est contra eius naturã, sed supra, & præter, quia hoc competit illi, secũdum quod participat de natura superiori, & quatenus est infimum, seu contiguum, respectu concaui Lunæ, quoad locum naturalem: ergo idẽ erit dicendum de statu separato animæ: quod non est contra, sed supra eius naturam, vt forma est habere statum separatum, qui proprius, est substantiarum complete spiritualium.

4 Contra nostram conclusionem plures sententiæ militant, prima asserit, adeo esse connaturalem statum separationis, respectu animæ, vt illi non sit naturalis, status vnionis ad corpus quin potius ibi esse violentam animã, quæ semper aspirat ad statum separatum. Sic Plato, Origenes, qui in supplicium dicunt fuisse animas infusas corpori, cum essent ab initio creatæ in statu separationis. Contra quos pugnat D. Thom. p. p. quæst. 118. ar. 3. & 4. contra gen. c. 79. & qu. vnica de anima art. 7. & 8. 2. sententia docet vtrumque statum esse naturalem animæ: siue per se primo, siue per se secundo: licet magis connaturalis sit status coniunctionis, sicut naturale est homini esse in vtero certo temporis curriculo, & eo exacto connaturale est extra vterum esse. Sic in primis Auicenna communiter relatus, Suarez lib. 6. de anima cap. 9. Rub. tract. de anima separata dub. 6. & insinuat Seneca epist. 102. ad Lucilium; Scotus in 4. distin. 49. qu. 2. & alij plures recentiores. Denique Ferrar. 2. contra gen. cap. 83. & cap. 94. Contendit statum separationis esse violentum, quod plurimis testimonijs confirmat, tã ibi, quam p. p. q. 118. art. 3. & opusc. compendi Theolog. cap. 152. & 4. contra gent. cap. 79. sed omnia illa testimonia exponũtur à Ban. intelligi debere de eo, quod est contra naturam particularem, & violentum secundum quid, non autem de eo, quod habet anima non vt est forma petens complementum compositi, sed quatenus est naturæ immaterialis, participans modum substantiarum immaterialium completarum, quæ naturaliter sunt separatæ.

5 Pro prima sent. arg. 1. ex D. Thom. p. p. q. 7. art. 1. vbi docet, quod forma limitatur, & cõtrahitur per materiam, & imperficitur, cum ex se habeat quãdam infinitatem, ergo anima rationalis per vnionem ad materiam limitatur, & imperficitur, sed omnis priuatio debitæ perfectionis, violenta est formæ, ergo status vnionis ad materiam violentus est animæ rationali, ℘. Resp. Caiet. ibidem, quod forma potest sumi dupliciter, aut secundum se, & absolutẽ, aut quatenus talis forma, primo modo limitatur per materiam, & quasi imperficitur, quia per hoc accipit esse incompletum, at secũdo modo perficitur, quia sic modo sibi accommodatior est, & operatur, & sic anima vt anima

est, perficitur vnione, ad materiam, sicut sumpta ratione formæ abstractê, quatenus dicit aliquid commune etiam Angelo, & per recipi in materia cõtrahatur, ad esse limitatius, & imperfectius, quam sit Angelus, qui est forma in recepta, & ex hoc habens quãdam infinitatem.

6 Arg. 2. ad idem ex illo Sapientia 9. corpus, quod *corrumpitur aggrauat animum, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, sed quod aggrauat, & deprimit aliquid, illi violentum est, ergo etiam status vnionis ad corpus est violẽtus animæ, ℣. Resp. in primis ex D. Th. 2.2.q.180.a.7.ad 2. quod ea aggrauatio animæ prouenies à corpore non est in ordine ad obiectũ animæ proportionatũ, & ad operationes connaturales, sed in ordine ad contemplationem supernaturalis veritatis, quã impedit corpus, & dependẽtia ab illo, & ideo non sequitur, quod anima, vt forma operatiua naturalis non vniatur naturaliter corpori.

7 Arg. 3. pro 2. senten. illud est naturale alicui, quod ex proprijs eius principiis dimanat, sed animam nostram esse separabilẽ, & immortalem, & corrupto corpore manere oritur ex eius essentiali, & intrinseca spiritualitate, & immaterialitate, vt demonstrat D. Thom. 1.p qu. 75. a.t. 2. & 6. ergo status separationis, est omnino connaturalis, animæ, & non præternaturalis. Conf. quod non conuenit ex participatione alterius, sed ex prædicatis essentialibus, & specificis, non est præternaturale, sed est naturale, at manere corrupto corpore prouenit in anima ex ratione specifica, qua intellectiua forma est, & rationalis, ergo ille status, non est illi præternaturalis, sed est omnino naturalis. Conf. 2. tam essentialiter habet anima esse spirituale, sicut habet esse incompletam, & formam, sed quia est forma incompleta naturale est ei vniri corpori, ergo quia essentialiter est immaterialis, & incorruptibilis, naturaliter competit ei post corpus separatam esse. Denique formæ corruptibili, naturale est corrumpi cum corpore, & non manere sine illo, ergo formæ incorruptibili, naturale est manere, & existere sine corpore.

8 Resp. Ex toto argumento conuinci, quod non est violentus status separationis, in anima, non autem quod sit positiue naturalis, quia licet ex quo est naturaliter immaterialis, & incorruptibilis, sequatur naturaliter resistere corruptioni, in statu separationis; at cum sit forma incompleta semper habet præternaturalitatem, si non est completa in toto composito, & sic naturale est ei non corrumpi in statu præternaturali, sed non quod ille status separationis sit naturalis illi, & hinc facile ad obiecta quilibet respondebit.

9 Arg. 4. nihil violentum est per-

pèrpetuum, & quod naturale nō eſt diuturnū eſſe nequit, ex Ariſt. 1. & 2. de cœl. cap. 3. & 5. meth. tex. 6. ergo ſi ſtatus ſeparationis non eſſet naturalis, ſed præternaturalis, eſſet perpetuus, ac proinde naturaliter exigeret reſurrectionem. Vlterius licet animæ ſit naturale vniri corpori, vt accipiat ſpecies ſibi commenſuratas, & proportionatas per ſenſus, tamen poſtquam eas adquiſiuit, & corpus ineptum redditur ad hoc munus naturale erit animæ ſtatus ſeparationis, in quo adquiſitis ſpeciebus vti poterit, ſicut naturale eſt homini, in vtero matris manere, donec coaleſcat corpus, quo ſuffi[illegible]enter compacto naturale eſt extra vterum, reſpirando manere, ergo ſimiliter, §. Reſp. Caiet. quod violentum verum eſt non eſſe perpetuum, at eſſe ſeparatum animæ, non eſt violentum, ſed præternaturale, & ideo non repugnat eſſe perpetuum, §. Si inſtes, quod eſt præternaturam, non poteſt eſſe diuturnius, quam quod eſt naturale, ſed eſſe in corpore pro breui tempore competit animæ, ergo eſſe extra corpus, non longo tempore conueniret, & ſic eſſet corruptibilis anima, ſi ille ſtatus non eſt connaturalis. Reſpon. tamen quod parum durat in corpore, per accidens contingit, quia corpus compoſitum eſt ex elementis contrarijs: at ſi per ſe haberet anima dominium perfectum ſupra corpus, & ceſſaret pugna, perpetuus eſſet ille ſtatus, ſicut poſt reſurrectionem, erit, quo poſito, diſtinguo, ſtatus præternaturalis, non eſt tam diuturnus, ſicut naturalis abſolute concedo, ſi præternaturalitas competat, ex participatione ſempiternorum nego. Sicut motus circularis in igne, diuturnior eſt, quam motus ſurſum, cum ergo ille ſtatus ſeparationis, competat animæ ratione conuerſionis ad ſubſtantias ſempiternas ſeparatas, perpetuus eſt, §. Ad Conf. Reſp. quod vſus ſpecierum, adquiſitarum, & earum quæ de nouo infunduntur animæ ſeparatæ, non eſt adeo perfectus ſicut in corpore, & ideo exemplū non tenet, quia homo natus reſpirat, & perfectius eſſe habet extra vterum; etſi appetit eſſe in vtero, vt maturetur fœtus, hoc exigit ratione materiæ, non eſſe completum, neque ita bene cognoſcit, & operatur ſicut in corpore, & ideo non eſt idem.

80 Arg. 5. Ex ſe perfectior eſt ſtatus animæ ſeparatæ, quam ſtatus coniunctionis, quia in hoc ſecundo ſtatu eſt independens à corpore, à quo pendet in ſtatu vnionis, ergo eſt magis connaturalis animæ, nam quod perfectus eſt, & poteſt competere alicui, naturalius eſt, ſeu conformius eius naturæ, §. Reſp. conceſſo antec. nego conſeq. & inſtando in motu circulari, ignis, qui perfectior eſt ex ſe, quam motus ſurſum, & tamen non eſt illi cōnaturalis, ergo ſimiliter in noſtro caſu, & ra-

tio est, quia si anima esset forma completa perfectius, & connaturalius illi esset, non dependeret à corpore; at cum sit forma incompleta perfectius est pendere à corpore, vt à compatte, vt sit in toto composito, quàm esse separatum.

11 Arg. 6. pro 3. sent. Tum ex varijs locis D. Thom. quos assignani, & explicui, num. 4. Tum, quia separatio animæ, & mors est illi violenta, ideoque anima quantũ potest resistit, ergo status separationis est etiã illi violentus, nã si fieri est violentum esse in eo statu violentum erit à fortiori, cum fieri sit propter esse. Tum etiam, quod est contra diffinitionem rei, & contra eius naturam, & violentum est, sed status separationis est contra diffinitionem animæ, scilicet *est actus corporis phisici*: ergo. Tum quoque anima quocumque modo consideretur, siue vt est incorruptibilis, siue vt est immaterialis, est forma incompleta, ergo naturàliter appetit compleri, & esse in corpore, & in composito, ergo status separationis, contra naturam animæ nostra est, ℣. Respo. quod mori est violentum animæ, quia viuere in corpore est illi naturale, & sic repugnat causis naturalibus mortem inducentibus, at semel incursa morte status separationis non est violentus, quia iam non est possibilis per naturam vnio, & alias ex se habet non corrumpi, in illo statu aliquo modo communicando, cũ substantijs superioribus, in illo statu: mori autem non per se ordinatur ad statum illum separationis, sed ad destructionem compositi, nisi esset in se incapax, ideo [illegible] sequitur, quod si mors, seu fieri separationis est violenta, sit violentus status separationis, quia status ille non sit per se ex morte, sed per accidens competit [illegible] mortis, & per se respectu animæ, quatenus in materialitate participat modum essendi perpetuum, & quatenus sic communicat cum substantijs completis separatis. Ad 2. Resp. statum illum separationis non esse contra diffinitionem, & naturam animæ, sed supra, cum enim ex debilitate corporis, non possit esse actu forma, adhuc manet ex participatione modi immaterialis, & ideo quod adhuc daret corrupta vnione, non est contra, sed præter seu supra, sicut moueri circulariter in igne quando in suppremo loco nõ potest ascendere sursum, & sic ad 3.

## QVAESTIO XXIX.

*Vtrum anima separata habeat innatam, & positiuam inclinationem ad corpus, & ad vnionem cum ipso?*

1 DIcendum est. Inanima separata manet appetitus naturalis ad vnionem cum corpore, quantum ad substantiam vnionis ex parte termini, sed non quan-

quantum ad modum, seu ita quod ille appetitus, sit naturalis quantum est ex parte principij actiui. Sic D. Thom. in 4. distin. 43. & q. 24. de verit. art. 3. Probatione D. Tho. nam pars formalis vbi cumque sit cum habeat esse incompletum, & est forma, & pars, ergo appetit esse completum in toto, ergo vnionem secundum se, & ex parte termini, consideratam, ergo in statu separato naturaliter appetit vnionem; (vide etiam D. Tho. opusc. 2. cap. 151.) ergo sicut elementum, si sit extra proprium locum appetit illum, sic anima separata naturaliter appetit corpus, sed quia neque in anima, neque in aliquo agente naturali, est virtus ad reunionem animæ quia à principatione ad habitū, non datur regressus per naturam, sit consequens hunc appetitum in natura animæ separatæ non esse ad vnionem, vt reunio est, sed absolute vt vnio, neque ex parte principij actiui, sed solum ex parte termini consideratam, ita quod si fiat etiam supernaturaliter, naturaliter vnietur corpori; ideoque ille appetitus non est efficax, quia consequi nequit per naturam, sed est ineffícax, & per modū aptitudinis, quod alijs terminis ex primit Caiet. 1. q. q. 76. art. 1. in fine comment. vnionem iteratam animæ in facto esse naturalem fore, supernaturalem autem fieri, & sic appeti, vt in facto esse non autem vt in fieri, sed hæc non discrepant à supra dictis, nam vt esset efficax appetitus, necesse erat, quod reti posset naturaliter ea reunio animæ ad corpus. Eo quod efficax appetitus non est ad vnionem secundum se, & quatenus potentia antecedenti non repugnat, sed ad vnionem exequibilem, secundum potentiam naturalem consequentem.

2 Accedit ad hoc, quod appetitus innatus non distinguitur ab entitate, & capacitate animæ, sed in statu separationis manet, eadem entitas, animæ, & capacitas ex se ad informandum corpus aptum, si fit agens à quo applicetur, insuper in eo casu perfectionem acciperet anima, manet ergo in ea appetitus innatus quā uis, & quia hoc non est possibile naturaliter fit ineffícax.

3 Si autem inquitas, an sit appetitus elicitus ad reunionem in eo statu? Resp. non esse appetitum absolutum, & efficacem; sed conditionatum, & ineffícacem, quia reunio nequit cognosci, vt possibilis, ex lumine naturæ, sed solum secundum se vt bonum cōgruum, & conueniens animæ. Supposita autem fide erit spes, & appetitus efficax.

4 Oppositum tuentur Scotus, in 4. dist. 43. & dist. 45. & ar. 1. Nihil perfectionis habere potest anima vnita corpori, quod meliori modo non habeat separata, quia species quas habuit à corpore, retinet, & insuper alias, quæ debentur, absque labore habendi, ex vi status separationis, alias habet

ber modum esset nobiliorem, & caret immersione materiæ, in qua habet imperfici, ergo naturaliter non appetit vnionem ad corpus. Prob. conseq. appetitus tendit ad bonum, ergo quod habet inamissibiliter maius bonum, non appetit naturaliter minus, quia minus bonum in conspectu maioris, malum est, & non bonum. Conf. Si anima separata haberet naturalem propensionem ad corpus, ergo violentus esset illi status separationis, sed ille status non est illi violentus, vt constat ex dictis qu. antec. ergo. Conf. 2. Sequeretur naturali ratione posse demõstrari possibilitatem resurrectionis, ex eo quod appetitus naturalis efficax non potest frustrari, sed hoc est falsum cum resurrectio carnis sit articulus fidei, cuius possibilitas sola fide cognoscitur, ergo.

5 Ad hæc omnia. Resp. cum Ferrar. 2. contra gent. cap. 68. & lib. 4. ca. 79. & 81. negãdo quod anima imperficiatur ex vnione ad corpus, quia est pars, & pars habet esse perfectius in toto, quam extra. Vnde habere species infusas in statu separationis, & non esse immersam materiæ; est maior perfectio secundum quid, sed non simpliciter, quia respective ad animam non est malum, sed maius bonum esse in corpore, & in toto composito, licet careat modo essendi separatim, & sit immersa materiæ. Ad 1. Conf. nego sequelam, quia cum illa inclinatio naturalis, & appetitus non sit efficax, sequitur statum illum non esse violentum simpliciter. Ad 2. Resp. negata sequela, quia cum nullum sit principium in natura inducẽs ad reunionem hæc non potest demonstrari: Vnde licet sit appetitus naturalis, non inde demonstratur possibilis reunio, quia nõ est efficax ad fieri vnionis, sed inefficax, & ad eam secundum se, & in facto esse, natura enim potius suadet à priuatione ad habitum non esse regressum per naturam, vt docet Arist. in posi prædicam, & late ostendit Socin. 10. meth. quæst. 19. Nec inde sequitur frustraneum esse appetitum illum, quia non est ad rem impossibilem secundum se, cum iam fuerit facta vnio illa ad corpus, sed solum est impossibilis ex suppositione, sicut in materia prima, est appetitus ad formam amissam, nec sequitur quòd status ille non sit perpetuus secundum naturam, (quia nihil violentum aut præternaturale, est perpetuum, vt docet Arist. 2. de cœlo text. 17. quia cum iste appetitus non fundetur in aliquo principio actiuo naturali, sicut in graui existente, sursum est appetitus ad centrũ fundatus in propria grauitate, sequitur quod ex violentia, aut præternaturalitate, status separationis animæ non possit colligi naturaliter non fore perpetuã, aut possibilem fore naturaliter resurrectionem mortuo ũ, de quo vide D. Th. q. 24. de verit. ar. 10. ad 2.

6 Pro

6 Pro sent. Suarij negante appetitum elicitum ad vnionem in anima separata arg. 2. Si esset talis appetitus, esset ad corpus amissum modo amissibili informandum: ergo posset abire in infinitum talis appetitus, ad rursus vniri corpori amissa vnione vsque in infinitum. Sed appetitus in infinitum abiens alienus est à ratione nostra, ergo non datur appetitus rationalis, & elicitus ad vnionem. Conf. appetitus elicitus non est ab anima, vt natura est, sed vt agit per voluntatem, qua ratione supra corpus eleuatur, ergo non appetit volũtas actu elicito vnionem ad corpus, quæ solum perficit animam, vt est forma corporis, & natura quædam incompleta, ℣. Resp. quod in eo statu anima separata solum appetit, quod ei deest, & ideo solum appetit determinatê vniri, quod vero si iterum separetur, iterum appetat vsque in infinitum non est absurdum. Sicut quod lapis extra centrum appetat illud, etsi rursus separetur, rursus appetat, & quod materia, appetat formam amissam, non est absurdum, cui si vniretur amissibiliter rursus esset appetitus. Ad Conf. quod voluntas est appetitus totius suppositi, & naturæ, & omnium partium eius, & ideo optimê valet appetere vnionem ad corpus, in statu separationis, etiam si vnio competat animæ, vt forma corporis est, & non vt voluntaria.

## QVÆSTIO XXX.

*An anima separata secum ferat species, & habitus huius vitæ, & potentias, & quænam ea sint quæ ex hac vita in illum vsque statum eam committantur?*

1 DIcendum 1. Nulla est potentijs animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, manent in anima separata, ac proinde nullus habitus, aut actus, entitas, aut accidens, in illis existens. Sic D. Tho. & tota eius Schola 1. p. qu. 77. art. 8. & in contex. margin. Sic etiam Scotus cum sua Schola, nã etsi fateatur, quod omnes potentiæ animæ rationalis, quæ sunt spirituales, & non organicæ identificantur cum anima ipsa, ac perinde remanent, cum anima separata: at potentiæ corporeæ, & organicæ, quales sunt illæ quæ deseruiunt animæ, vt vegetatiuæ, & sensitiuæ, ait Scotus non cum anima rationali, sed cum organo corporeo identificari, in quo ponit formam substantialem corporeitatis distinctam ab anima.

2 Prob. rat. D. Th. destructo subiecto, destruitur quidquid est in illo, sed omnes potentiæ animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, licet recipiant animam pro principio quo, tamen subiectantur in composito, & in organo corporeo; ergo non manent in anima separata: prob, conseq. nam separatio consistit in hoc quod destruatur vnio

vnio ad cōrpus, & per consequēs, quod destruatur substantiale cōpositum, & subiectum cui inhærent, tales potentiæ; ac per consequens nullus actus, aut habitus, aut accidens residens in huiusmodi potentijs, potest manere in anima separata, quia destructo subiecto destruitur quid quid in eo residet, ergo si in anima separata non manent illæ potentiæ, nihil in eis residens permanebit, sed tamen quia anima est principium actiuum *quo* resultantiæ talium potentiarum, manent virtualiter in anima separata tales potentiæ, quatenus manet principium sufficiens, vt resultent, si iterum ponatur vnio ad corpus.

3 Dicendum 2. Intellectus, & voluntas remanent in anima separata: sic D. Thom. locis citatis, & colligit ex Aristot. 12. meth. text. 17. & lib. 2. de anima text. 21. Vbi apertè docet Aristot. ea quæ sunt potentiæ operantes independenter à coniuncto, posse manere in separatione, & ratio D. Thom. est elata, quia intellectus, & voluntas non sunt potentiæ affixæ organo corporeo, nec per illud operantes, sed sunt in anima rationali, non tantum, vt in principio, sed etiam vt in subiecto, sed manente forma manent eius potentiæ, & manente subiecto, manet eius actus, quia sic manent omnia principia conseruatiua talis entitatis, ergo in anima separata manet intellectus & voluntas.

4 Sed quia magna difficultas est, an maneat intellectus agens: & habitus scientiæ adquisitæ, & species, & potentia loco motiua; de singulis est breuiter dicendum in præsenti.

5 Dicendum est 3. Intellectus agens manet in anima separata; hoc admittit D. Thom. 3. contra gent. ca. 45. & Ferrar. ibi & communiter Thomistæ, cum Bann. 1. p. qu. 79. art. 3. In nostra conclus. concordat Scotus, qui concedit intellectum agentem, etiam in Angelis, vt accipiant species à rebus; & idem affirmat de anima separata. Ratio conclusionis est, quia tam anima, quàm intellectus agens, sunt aliquid incorruptibile, & carent contrario, ergo manente anima separata, etiam debet manere intellectus agens, qui erat in via.

6 Dicendum 4. Species adquisitæ in via manent in anima separata. Sic D. Tho. expresse 1. p. qu. 89. art. 5. in corp. & in contex. Ea ratio est, quia tales species sunt spirituales, & carent cōtrario, ergo manente subiecto, non habent principiū, vnde corrumpantur, ergo manent in anima separata, species quæ hic fuerunt adquisitæ. Tum etiam in anima separata manet recordatio eorum, quæ hic gessit, iuxta illud Lucæ 16. *Fili recordare, quod recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Sed recordatio supponit, quod fiat iterata cognitio, per species reseruatas

in

in memoria: & non saluatur recordatio præteritorum si fiat ex vi specierũ de nouo infusarũ; ergo manẽt species intelligibiles adquisitæ in hac vita in anima separata.

7 Dicendum 5. Scientiæ hic adquisitæ cum suis actibus manent in anima separata; (& loquimur de scientijs naturalitas circa veritates naturales, vt præscindamus ab illa quæst. An Theologia, quæ secundũ aliquos, est scientia entitatiuè naturalis, & adquisita maneat in Patria.) Sic D. Thom. loco vbi proximè, & art. sequenti, & in cõtextibus marginalibus, qui plures sunt. Ratio est quia aliquod accidens potest solum corrumpi, aut per se, aut per accidens, per se quidem à contrario, per accidens à corrupto subiecto, sed nullũ ex his principijs inuenitur, vt scientiæ hic adquisitæ corrumpantur, in anima separata; ergo. Prob. in primis non possunt corrumpi per accidens, quia sunt in intellectu, & hic manet in anima separata, neque per contrarium, quia contrarium scientiæ est, aut obliuio, aut falsa argumentatio: sed neutrum contingit in anima separata; ergo ex nullo capite potest corrũpi scientia hic adquisita, quantũ ad habitũ prob. min. obliuio cõtingit secundum id quod est ex parte sensitiua, vt ad illum art. notat Caiet. sed in statu separationis, non est pars sensitiua; ergo ratione obliuionis, non accidet corruptio scientiæ, sed neque propter argumentationẽ falsam, quia ibi non intelligit anima cõponendo, & argumentando, sed ad modum substantiarum separatarum, vt ibi etiam notat Caietan. ergo. Ex quibus colligit D. Thom. quod huiusmodi scientiæ maneant in anima separata, quia manent omnia principia, scilicet, intellectus, habitus scientiæ, & species, ergo actus poterit esse, licet non quoad eundem modum, quo erat in via, quia tunc non cognoscit intellectus cõuertendo se ad phantasmata.

8 Dicendum 6. Manere etiam in voluntate habitus virtutum adquisitarum, & cum in voluntate solum sit iustitia in ordine ad bonũ ordinis naturalis, hic solus habitus manet, (nã de habitibus supernaturalibus, imò & de habitu ipso morali iustitiæ nõ est hic latè disputãdũ, sed vidẽdi sunt Theologi 1.2. q. 50. art. 6. & q. 67. per totã;) sufficit probare nostrã cõclusionẽ ex dictis, quia nec per se potest corrũpi habitus iustitiæ, ex vi separationis animæ, quia manet voluntas, quæ est proprium eius subiectũ: neque per contrariũ, quia manet voluntas inflexibilis, ex vi separationis, vt est videre ex pluribus testimonijs D. Thom. apud Bergomens. in tabul. v. *anima*, nu. 122. & 124. ergo non potest admittere actus contrarios, de potentia autem loco motiua, infra dicendum est latius, nam ea quæ residet in membris perire corrupto composito certissimum est.

9 Con-

9 Contrà 1.concluſ.arg.1.potentiæ animæ vegetatiuæ,& ſenſitiuæ non ſubiectantur in corpore,ſed in anima,licet ſuas functiones exerceant per corporea organa,tanquam per inſtrumenta,ergo manente anima remanebunt. Tum etiam,quia ſi ſeni darentur organa iuuenis æquè benè,ac iuuenis exercereret opera vitæ, quia potentiæ non ſeneſcunt, ſed inſtrumenta;ergo,quia ſunt illæ potentiæ ſubiectiuè in anima,& nõ in toto compoſito,& quia ſecundum Auguſtin. anima dolet per corpus, & in damnatis affectus appetitus ſenſitiui iram, & alia huiuſmodi admittit S.Dionyſius,§.Sed his facillimo negotio.Reſp.negando eas potentias vitæ ſenſitiuæ,& vegetatiuæ, in anima ſubiectari,non enim in illa, ſed incompoſito inhærent.Vnde ſi ſenex noua organa reciperet, etiam potentiæ inſtaurarentur:licet quãtũ eſt ex parte principij, quod habent in anima nõ ſeneſcant,& quidem anima dolet per corpus, quia pars eius eſt, non quia in ipſa ſit potentia ſenſitiua dolendi.Animabus autẽ,& Dæmonibus affectus ſenſitiui per methaphoram attribuuntur à Sanctis Patribus,teſte D. Tho. q. de anima art.19.ad 8. Vide etiã alia argumenta, apud D.Tho. in addit.ad 3.p.qu.70.artic.1.& in 4.diſtin.44.q.3.art.3.

10 Quia contra 2.concluſ. nihil vrget ideò arg.2.cõtra tertiam. Vbi eſt impoſsibilis actus ſuperflua eſt potentia,& à natura corrumpitur,(cum potentiæ ſint propter actus,)ſed in ſtatu ſeparationis,impoſsibilis eſt actus intellectus agẽtis;ergo nõ manet in anima ſeparata: prob.min. actus proprius intellectus agentis, eſt abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus:ſed ibi non manet phantaſia, vt dictum eſt, ergo impoſsibilis eſt actus aliquis proprius intellectus agentis,§. Ad hoc variæ Reſp.Philoſophi. Rub.qu.8.de anima ſeparat.num.108.Reſpon. manere intellectum agentem ſine actu,quia ſuppoſita eius neceſsitate in ſtatu vnionis,nã eſt de integritate animæ, & manet ad ornatũ,ſicut caſtitas,& aliæ virtutes erunt in animabus poſt reſurrectionem.Sed tamen hæc Reſponſio non placet,nam Theologi,qui cum D.Tho.eas virtutes admittunt in patria proprium illis actũ aſsignant, §.Reſp. M.Ioan.à S. Tho.qu.10.de anima, art.2.nullam ei propriam operationem aſsignando,ſed ſolum radicalẽ vim eius in anima ſeparata ex qua videtur dimanare intellectum agẽtem.Ad vero Caiet.3.p.q.13.ar. 9.Ferrar.3.contra gent. cap. 4. Bann. 1.p. q. 70. art.3. cum D. Thom.3.contra gent.cap.45.in fine, & q.de anim.art.15.ad 9. exiſtimant habere intellectum agentem ſuum actum in anima ſeparata,qui conſiſtit,in confortãdo,& illuſtrando ſpecies,quas retinet,aut de nouo accipit,modificando eas,& proportionando:

vt-

vnde sicut munus eius est, ex phãtasmatibus facere intelligibilia in actu pro hoc statu, ita etiam, est munus eius, species adquisitas in diuerso statu animæ fouere, & proportionare ad vsum propriũ illius status, & species de nouo infusas, quæ sunt superioris ordinis, & vniuersalioris, vt cum D. Tho. notat Caiet. p. p. q. 89. art. 5. in fine modificare ad vsum, & proportionem animæ, & hoc explicat D. Thom, & Thomistæ, dicendo, quod illustrat intellectum possibilem ad intelligendũ. Nec contra hæc vrgent, quæ in hunc modum dicendi obijcit Rub. & soluitur argum. negando intellectum agentem, in anima separata nullum habere actum.

11. Contra 4. concl. arg. 3. Ex vi separationis, (vt infra dicemus) infunduntur animæ species omnium cognoscibilium, ergo non conseruantur circa eadẽ obiecta species, quæ fuere in hoc statu adquisitæ. Prob. conseq. duo accidentia eiusdem speciei, & solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto; sed in eo casu illæ species essent eiusdem speciei, cum repræsentarent eadem obiecta, & per consequens essent solo numero distincta; ergo si infunduntur de nouo species, nõ conseruantur illæ, quæ hic fuerũt adquisitæ, &c. Resp. cum Caiet. vbi supra: concesso ant. nego conseq. ad prob. Concessa mai. nego min. ad cuius inclusam prob. dist. species, quæ repræsentãt idem adæquatæ sunt eiusdem speciei concedo, si idem altera adæquatæ altera inadæquatè, nego min. & cõseq. rũt enim diuersæ speciei, cũ ergo species à nobis hic adquisitæ ab obiectis, adæquentur cum illis, v. gr. quæ repræsentãt equũ, cum natura equi, & species infusæ animæ separatæ non adæquentur tali naturæ, (etsi illam repræsentent,) sed sint vniuersaliores, & sub ratione eminentiori repræsentent, non solùm naturam equi, sed alias, fit consequens speciem adquisitam repræsentatiuã equi, non esse eiusdem speciei, nec solo numero distinctam, à specie infusa, quæ repræsentat eumdem equum.

12. Contra 5. conclus. arg. 4. auctorit. Eccles. cap. 9. vbi dicitur: *Mortui nihil nouerunt amplius*, & infra, *nec opus, nec sapientia, nec ratio apud inferos*: sed apud inferos sunt animæ separatæ; ergo in eis, neque est cognitio, neque Sapientia; & idem est de alijs habitibus, intellectualibus Con. 1. Ex Paul. 1. ad Corin. 13. asserente, quod post hanc vitam *scientia destruetur*: ergo non manebit in anima separata. Con. 2. vbi est impossibilis actus est impossibilis habitus, sed in statu separationis, est impossibilis actus scientiæ adquisitæ; ergo, & habitus prob. min. actus proprius scientiæ adquisitæ est similis illis à quibus est scientia genita: quia omnis scientia, & habitus, inclinat ad similes actus his quibus est ge-

genitus, sed actus quibus gignitur scientia est per dependentiã, & speculationem phantasmatum: quæ erit impossibilis in statu separationis vbi non est phantasia; ergo. Con. 3. graui ægritudine obliteratur sæpè in nobis scientia ob eius immutationem: sed immutatio, quæ fit per mortem, & separationem est omnium maxima; ergo deperditur omnino scientia. Denique in hoc statu nõ possumus intelligere per species adquisitas si non adsit conuersio ad phantasmata; ergo à fortiori, neque in statu separationis, vbi erit impossibilis talis conuersio, in quo statu non erunt species maioris virtutis: sed scientiæ acquisitæ, in hoc statu speciebus adquisitis vtuntur; ergo si in statu separationis non est vsus talium specierum; nec erit vsus scientiæ adquisitæ; ergo non manet in statu separato.

13 Resp. ad argum. cum D. Hieron. ibi non loqui Sapientem ex propria sententia, sed potius impiorum, qui alijs in hac vita suadebant Epicureorum vitam, quia post hunc statum, neque est scientia, neque pœna, aut gloria; sed somnus perennis mortis. Vel cum Lyra intelligitur, de damnatis, qui nihil noscere, ratiocinari, aut sapere possunt, quod eis prosit ad leuamen, vbi perpetuo laborant, tenebris intellectualibus, & priuatione intelligentiæ Dei, & visionis ipsius. Ad 1. Con. Resp. eruditissime M. Bann. 1. p. qu. 89. ar. 6. Nobis sat sit referre Responsionem D. Thom. ibidem art. 5. ad 1. vbi ait loqui Paulum de scientia quantum ad actum, quem hic habet, quantum ad modum cognoscendi, per conuersionem ad phantasmata, non vero dicere euacuari, quantum ad habitum; vnde statim subdit, diuersum fore actum per illa verba, *nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut, & cognitus sum.* Ad 2. cum D. Thom. ar. 6. ad 3. quod scientia inclinat ad similes actus, ad eos quibus generatur, similes inquam quantum ad speciem, non autem quantum ad modum conuertendi se, aut nõ conuertendi ad phantasmata; hic enim modus sequitur modum essendi, quem habet anima coniuncta, aut separata, cum ergo actus quos habebit anima separata sint eiusdem speciei, parum refert, quod non habeant eundem modum intelligendi, per conuersionem ad phantasmata, vt maneat eadem scientia, quæ hic adquisita est. Ad 3. ex D. Thom. ibi art. 5. ad 4. quod ratio illa procedit de corruptione scientiæ, quãtum ad id quod ex parte virium sensitiuarum se tenet, sic enim debilitatur per ægritudinem, & sic deperditur per mortem, qua incursa anima non intelligit per conuersionem, ad phantasmata, & sic dicit Aristot. 1. de Anima, text. 66. quod corrupto corpore anima, neque reminiscitur, neque amat. Ad vltim. cum D. Thom. ibi

ibi art.6.ad 2.quod diuersus modus intelligendi cū conuersione, aut sine illa, qui non variat speciē actus scientifici, non prouenit ex diuersitate specierum, sed ex diuerso statu animæ intelligentis.

14 Contra ea quæ dicimus in 6.cōclus. videri possunt, quæ tradant diffuse Theologi, p.2.

## QVÆSTIO XXXI.

*An animæ separatæ ex vi separationis infundātur nouæ species, vel solum insint illæ, quas ex hac vita defert?*

1 EX vi separationis per se debetur animabus, quod habeant species; nam in illo statu, aliqua operatio eis debetur, cum viuant, sed non alia nisi vita intellectiua, cum ibi desint organa vitæ vegetatiuæ, & sensitiuæ; ergo species debentur, sine quibus intelligere non potest, at saltem pueri decedentes, in vteris maternis nullam habent speciem, adquisitā per sensus; ergo ad auctorem naturæ attinet eas ipsis infundere. Sed quo modo adueniant illæ species, & cuius rationis sint, & an infundantur, etiāsi anima species secum ex hac vita deferat, vel an possit eas denuo acquirere in eo statu difficile est, & breuiter explicandum; *non enim licet pro dignitate immorari, quibus semper moles tomi intumescens formidini est, & terrori.*

2 Dicendum est 1. Animæ in statu separationis, nō possunt adquirere nouas species ab obiectis ipsius. Sic D. Tho. 1.p.q.89.art. 1.ad 2. & cōmuniter Thomistæ. Prob. si anima separata adquireret species de nouo in statu separato, hoc faceret medio intellectu agente, sed mediante illo non potest eas adquirere ex obiectis, sed ad hoc indiget sensibus externis, & internis medijs quibus deputentur ab immaterialitate, quam habeat obiecta materialia in se, alioquin frustra anima vniretur corpori, ad cognoscēdum, & accipiendū species sibi cōnaturales, & proportionatas; ergo. Con. ex vi separationis accipit anima modum essendi, similem Angelis, modum ergo operandi: sed Angeli non accipiunt species à rebus; ergo neque animæ separatæ.

3 Dicendum 2. species quas de nouo accipit anima separata non dimanant, ab ipsa, sed infundūtur ab auctore naturæ animæ: sic etiam communiter Thomistæ. Prob. Tū ex D.T. 1.p. q.89.art. 1.ad 2. & art.3. & sæpē alibi docente, *ex illustratione diuini luminis, deriuari species illas in mētes animarum separatarum.* Tum quia si hoc esset, cōtineret anima eminenter obiecta, quorum species ab eius essentia dimanarent; ergo naturalissimum esset, vt sic cognoscere; & cum iste esset perfectissimus modus, violenter infunderentur, & colligaretur corpori, vt mendicaret species, cum dependentia à phantasmatibus,

& necesse est vera sententia Platonis, & Origenis, quam quæst. 28. expugnauimus.

Dicendum ergo est infundi à Deo eas species, quia cum anima separata ex vi separationis, pertineat ad statum, in quo non cũ creaturis corporeis, sed cum incorporeis debet agere, necessario habet species non à rebus corporeis acceptas; sed à Deo, quæ repræsentent non connotatiuè, sed directè, & quiddicatiuè spiritualia, & etiam materialia modo proprio statui substantiarum separatarum; ergo ex illustratione diuini Luminis.

4 Contra 1. concluſ. arg. 1. ex Scoto. Intellectus agens ad præsentiã obiecti materialis, in phãtasmate habet virtutem eliciendi speciem; ergo etiam in anima separata habet virtutẽ ad præsentiã obiecti materialis, vt eo mediante eliciat speciem: nihil enim habet obiectum in phantasmate, quod eminentius non habeat in se; ergo si vt est in phantasmate, potest intellectus agens abstrahere speciem ab illo, etiam poterit eam abstrahere, sine phantasmate eliciendo speciem ab obiecto in se. Con. 1. in statu separato debitũ est animæ cognoscere, & potest in eo statu habere species, quibus cognoscat; ergo debitum est illi eas adquirere medio intellectu agẽte. Con. 2. obiecta immaterialia ex se proportionata sunt cũ intellectu separato; ergo possunt imprimere speciẽ sui in intellectu animæ separatæ; ergo frustranea est infusio. Con. 3. Potest obiectũ ad extra sensibile, absquẽ interuẽtu sensus agẽtis producere speciẽ sui in sensibus externis, quæ habet esse intentionale, neque exuperat obiecti materialis ad extra imperfectionem; ergo multo minus repugnabit, quod obiecta spiritualia se ipsis, sine interuẽtu intellectus agẽtis, causent species intentionales in intellectu animæ separatæ, cum minus distet esse intentionale speciei ab obiecto spirituali, quam ab obiecto materiali.

5 Resp. Concesso ant. negata conseq. nam obiectum materiale in phantasmate habet esse depuratum, & magis proportionatum formaliter, quam in seipso, vbi licet cõtineat modum quẽ habet in phantasmate, ad remote, & virtualiter cõtinet, & nõ formaliter, vt requiritur ad hoc quod ex eo possit elici species ab intellectu agente, & potest infiari in quolibet agẽte creato, qui habẽs virtutẽ ad aliciendam formam à materia dispositã, non tamen habet potentiam, ad aliciendam ipsam à materia indispositã. Ad 1. Con. Concesso ant. & 1. conseq. nego, quod ex quo debita sit cognitio, debeat posse accipere species à rebus, sufficit enim quod eas naturaliter infundi exigat ex illustratione diuini Luminis. Ad 2. nego obiecta materialia ex se, esse proportionata, cũ intellectu animæ separatæ, in agendo, quia ne-

nēquēunt illabi mētibus earum, illaberentur autem, si educerent ex earum potentia species repræsentativas sui quāuis daremus habere proportionē in esse entis. Ad 3. Resp. negata cōseq. Tū quia nō sequitur in sensu externo absurdū illa plus, sicut in nostro casu, tum quia vniuersalitas, quam ex natura rei exigit species spiritualis in repræsentando excedit vim, cuiuslibet substantiæ spiritualis, at limitatio, quam habet species materialis sensuum non excedit actualitatem obiecti materialis.

6 Arg. 5. contra 2. concluſ. ex Fōſec. 2. meth. cap. 1. q. 7. ſect. 7. ad 6. Satis probabile eſt ſpecies intelligibiles emanare ab intellectu, & ſubſtantia Angelorum ex vi ſuæ creationis, vt tenet Capreol. in 2. diſtin. 3. & Caiet. 1. 2. q. 50. art. 6. & inſinuat D. Thom. p. p. q. 54. ar. 3 ad 1. & q. 55. ar. 2. ergo etiā dimanāt ab intellectu animæ ſeparatæ ex vi ſeparationis. Prob. cōſeq. tūc enim habet modum intelligendi ſimilē Angelis; ergo ſimiler proprietates, ℈. Reſp. negato antecedenti, nec D. Tho. vſquā hoc affirmat, ſed ſolū Angelos ab initio connaturaliter habere à Deo, quaſi congenitas, & infuſas ſpecies totius vniuerſi, non autē per dimanationem, quod grauiſsime Thomiſtæ affirmant, ſed dato ant. negatur cōſeq. quia cū anima ſit forma incompleta, nec in gradu completo conueniens cum Angelis non habet ſubſtantiam, quæ radicaliter poſsit præcontinere ſpecies omnium rerum, tāquam proprias paſſiones, ſicut ſubſtantia Angelica.

## QVÆSTIO XXXII.

*De cognitione, & modo cognoſcēdi animæ ſeparatæ.*

1 MVlta, & valde difficilia inuoluit titulus quæſt. quæ breuius, quam par erat euodanda ſunt, ne grauemus lectorem, grauitate voluminis, ſed quia omnibus, quæ hic inquiruntur facem præfert Angelicus Doctor, breuiter colligemus, quæ docet otio legentium deſignantes loca, vbi vberius hæc omnia pertractantur.

2 Dicendum 1. Anima ſeparata, cognoſcit. Prob. anima ſeparata habet proprium ſibi modum operādi, ſicut habet propriū modū eſſendi, quia vnūquodque operatur, in quantum eſt in actu. Vnde & Ariſt. li. 1. de anima, tex. 12. & 13. affirmat, quod ſi anima ſeparata operationem, non habet non continget ſeparari: ſed propria, & per ſe operatio animæ, & ſubſtātiæ immaterialis eſt cognoſcere & amare; ergo. Pro hac cōcluſ. ſtat S. Hieron. Epiſt. ad Pamach. vbi ridet aſſerentes animas infantium poſt mortem, adhuc in Lymbo ad modū glirium immobiles torpētesque, & quaſi ſomno ſopitas permanere, & S. Damaſc. refert Henric. quodl. 6. q. 8. vide D. Tho. p. p. q. 89. art. 1. & q. de de Anima, art. 15. imō anima dū

separatã est semper est in actu cognoscẽdi, quia semper est in actu vitæ, & nõ habet aliã vitã, nisi intellectiuam; ergo semper intelligit.

3 Dicendum 2. Anima separata intelligit per ordinem, & conuersionem ad phantasmata, sed per conuersionem potius ad substantias separatas. Sic D. Thom. vbi supra, & quidem anima separata est à phãtasia, & ab instrumentis animæ sensitiuæ, in hoc enim consistit separatio, ergo non intelligit per cõuersionẽ ad phãtasmata. Quod autem intelligat per conuersionem ad substantias separatas completas, & in quo hæc conuersio consistat difficilius est, sed prob. diuersus status in modo essendi infert distinctum modũ operãdi, sed status coniunctionis inducit in anima modũ intelligendi, per conuersionem ad sensibilia phantasmata; ergo modus essendi separatus infert modũ cognoscendi per conuersionẽ ad substãtias separatas: hæc autẽ cõuersio ad superiora in intelligẽdo sicut cõmunis est Angelis, vt docet D. Th. ar. 1. cit. q. 89. ita & animæ separatæ debet cõtingere. Naturale nãq; est imperfecto cõuerti, ad perfectũ in operando, & ab eius influxu confortari; ideô enim ordinata sunt omnia in vniuerso, vt inferiora per superiora regãtur, & in cognoscẽdo illustrẽtur; sed anima est in infimo gradu substantiarum separatarum completarum; ergo intelligit in illo statu per conuersionẽ ad illas, à quibus accipit illustrationem: sicut intellectus agens hic secundũ aliquos illustrat phantasmata, aut intelligibilia in actu. Explicatur, Deus imprimit species animabus in statu separationis mediantibus Angelis, quia naturale est perficere inferiora per superiora; ergo illæ species manẽt cũ ordine & dependentia à substantijs Angelicis superioribus; ergo inclinant ad intelligendũ cũ subordinatione, & conuersione ad substãtias illas separatas. Et ad hoc mouetur anima, quatenus in illo statu fit actu cognoscens se per se ipsam; & sic cognoscit suã imperfectionem, & dependentiam, & sic conuertitur ad substãtias perfectiores, à quibus videt deriuari suum complementum, & species, quibus informatur cum magna confusione in repræsentando, & cum magna dependentia à substantijs perfectioribus.

3 An autem hæc conuersio tribuatur ab intellectu agente in quo scintillat participatio perfectionis substantiarum superiorum quatenus est actus in linea cognoscitiua, sicut iuuat & illustrat phãtasmata, vt sint intelligibilia, & inclinat intellectum possibilẽ pro hoc statu, vt intelligat per conuersionem ad phãtasmata; res difficilior est, quam possit à nobis in præsentiarum diffiniri, cum stringamus breuitate: partem affirmãtem tuentur aliqui, nec videntur à vero aberrare.

4 Dicendum 3. Anima sepa-

rata

rata intelligit modo Angelico, neque componendo, neque diuidẽdo, sed simplici intuitu. Sic Caiet. 1. p. q. 89. art. 5. Bann. ibi art. 1. dub. 1. & fauet D. Thom. citat. art. 1. p. p. & 3. contra gent. cap. 48. in fine, & q. 24. de verit. art. 11. in fine, vbi docet intelligere animam separatam modo Angelico. Et ratio est, quia modus operãdi sequitur modum essendi; ergo si animæ separatæ habent modum essendi Angelicum, independentẽ à materia, etiá habebunt modum operandi independentem à motu & tẽpore, ergo indepẽdentẽ à discursu, ergo qua ratione à phantasmatibus non dependet eadem non discurrit, quia discursus oritur ex eo, quod intellectus procedit in statu vnionis de potentia ad actũ, quia ex se est, sicut tabula rasa, in qua nihil est depictum, cum ergo in statu separationis intellectus sit factus in actu per species omnium quidditatum sequitur, quod sine discursu veritates penetret, vt eas cognoscat. Præterea perfecta diffinitio secundum Aristot. 2. post cap. 2. tex. 12. est demonstratio positione differẽs; vnde cum intellectus, pro hoc etiam statu inuestigauit per discursum, omnes rei causas potest absque discursu simplici intuitu per modum diffinitionis, seu diffinitiuè diffinitione perfectá simplici iudicio iudicare veritatem mediatam, rãquã in termino viæ intellectualis, & discursus existens; sed status separationis, ex natura sua est status termini, secundum vitam intellectualem in quo communicat, in modo essendi, cum Angelis; ergo absque discursu poterit res per causas cognoscere.

5 Dicendum est 4. Anima separata, solũ habet, ex vi talis status cognoscere quidditates confusè, & nõ distinctè, si non illustretur lumine superiori. Sic D. Tho. 1. p. q. 89. art. 1. 3. & 4. & q. vnic. de Anima, art. 18. & 20. *Animam separatam (ait) non cognoscere rerum quidditates, nisi in quadam confusione, & vniuersalitate, sicut cognoscũtur res in principijs vniuersalibus: vnde de omnibus naturalibus cognitionem habet nõ certam, & propriam, sed communem, & confusam.* Ratio est, quã tradit Bann. 1. p. q. 89. art. 1. dub. vnic. quia status ille separationis est prẽternaturalis animæ separatæ, & vniuersaliores sunt species, & sine ordine ad phantasmata cognosci; ergo & modus cognoscendi: est prænaturalis, & excedens; ergo quamuis ex se illud lumen, & ille species, inclinent in cognitionem perfectam, ex defectu tamen proportionis, & cõnaturalitatis, subiecti non ita perfectam, & claram exprimunt cognitionem, sicut si Angelo inferiori species Angeli superioris infunderentur, non ita perfectè, neque distinctè cognosceret, sicut cognoscit speciebus sibi proportionatis, & minus vniuersalibus, vt docet D. Th. 1. p. q. 55. art. 3. qua etiã ratione, nec Dauid armis Saul indutus ita per

fectè poterat ambulare, & operari, quia arma illa corpus procerum magis exigebant. Vnde fit quod neque per species, quas anima in hoc mundo adquisiuit ita perfectè cognoscat, sicut in hac vita, quia nō est ibi vsus accōmodatus, neque conuersio ad phantasmata, & hinc apparet quo modo vnio animæ ad corpus sit illi naturalis, & propter bonum animæ, & ad melius operādum in quantum est intellectiua, & quo pacto status separationis sit illi præternaturalis, quia non ita benè potest intelligere, nam si illi statui esset debitus perfectior modus operandi, qua ratione vniretur, & indigeret composito; de quo D. Thom. q. 19. de verit. art. 1. ibi vidēdus.

6. Dicendum 5. Quod species infunduntur à Deo animæ separatæ: cum maiori, aut minori vi ad cognoscendum magis, vel minus distinctè, vel minus, aut magis cōfusæ, quatenus magis viget vis intellectus agentis. Sic D. Thom. q. de Anima, artic. 15. ad 9. asserens *quod anima separata per intellectum possibilem recipit species effluentes à substātijs superioribus, & per intellectum agentē habebit virtutem ad intelligendū.* Ratio est, tum quia intellectus agens non est otiosus. Tum quia cum intellectus possibilis, ex se sit, sicut pura potentia vitalis, ex se debet habere principium actiuum ad recipiendas species sibi commensuratas ad vsum.

7. Contra 1. concluſ. (quia de fide est, vt latè probat Ban. 1. p. q. 8. 9. art. 1. dub. 1.) Nemo ex Catholicis opponitur, imò neque ex Ethnicis, qui fatentur immortalem esse animam, & de facto manere separatam post mortem, plura opponit Bann. loco citat. plura etiam D. Thom. ibi art. 1. & q. de Anima, art. 15. & q. 19. de verit. art. 1. quæ nō vacat expedere modo, & arg. 1. ex artic. 1. de Anima tex. 66. *Interiori sensu corrupto, & ipsum intelligere corrūpitur.* Sed per mortē corrumpitur interior sensus; ergo & intelligere, ergo animæ post mortē non intelligūt. Con. intelligere est actio cōiuncti, sicut ædificare, aut texere, ex 3. de Anima, tex. 67. sed morte perit compositum, ergo & facultas intelligēdi. Tum denique anima separata, nec potest vti speciebus hic adquisitis: tū quia potuit nullā adquirere, si infans intra vterū obijt: & data acquisitione vsus esse non potest, quia illæ repræsentant, cum dependentia à phantasmate, & non alias, nec possunt denuo adquiri post mortē, quia non mouetur, tunc intellectus ab obiecto externo, cum non sit phātasia, vt probat D. Thom. q. 14. de verit. artic. 1. nec sit maior ratio cur ab hoc quā ab illo obiecto incipiat moueri, cum non sit sensus determinans; nec necesse est à Deo infundi species, quia est actus liber in Deo, à quo suspendere potest; ergo non debetur animæ separatæ ex vi status aliqua cognitio.

8. Ref-

8 Respon. Mentem Arist. esse quod corrupto sensu corrũpitur intelligere in coniuncto, cum dependentia à phantasmate, non autem illud intelligere obitum animæ separatæ, & sic etiam loquitur in 2. testimonio, cum enim anima coniuncta non sit principium quod operandi, ipsum intelligere coniuncto attribuitur, tãquam principio quod: at in statu separationis sit anima semipersona (vt inquit Caiet.) & sic iam intelligit sine cõiuncto, licet modo præternaturali. Ad vlt. Resp. quod si anima deferat secum species, potest illis vti sine phantasmate, modo præternaturali, quod habet ex modo essendi, vt quod, cum tamen in hac vita fieri non posset ab illa, quia coniunctum erat principium quod, & sine dependentia sensuũ non poterat cognoscere, etsi non deferat species Deus ex suppositione tenetur, si seruat modum connaturalem animæ infundere species; & ideô ex vi status debetur cognitio animæ in illo statu, licet miraculosè possit non intelligere Deo suspendẽte influxum specierum.

9 Arg. 2. contra 3. concluſ. & partim contra 2. probãdo aniniam separatam cum discursu, & sine illo posse cognoscere, quia anima secundum suam vltimam differentiam est rationalis, & discursiua: ergo hoc etiam habet in statu separationis. Sicut ibi conseruat suam vltimam differentiã. Præterea anima separata specie distinguitur ab Angelo in essendo; ergo & in modo operandi, ergo in cognoscendo per compositionem, & discursum. Vide D. Thom. 1. p. q. 75. art. 7. & in contextibus. Denique species hic adquisitæ remanent cum intrinseca habitudine ad phãtasmata à quibus eliciuntur; ergo sine illis non possunt deseruire ad vsum cognoscendi. ℣. Resp. quod anima est discursiua essentialiter, sed non pro omni statu, sed pro statu cõnaturali exacto vnius actionis, & hoc sufficit, vt specie distinguatur ab Angelo, qui in omni statu est substantia tantum intellectiua, & nõ discursiua in ordine ad verum naturale. Species autem adquisitæ dicunt illam connotationem ad phantasmata, vt necessariam ad vsum, quatenus anima est in corpore: non autem vt est anima separata, sic enim illę species sunt principium operandi, sine dependentia à phantasmate corporeo.

10 Arg. 3. contra 4. concluſ. Tum quia modus cognoscendi animæ separatæ est absolutè perfectior; ergo clarior, & minus cõfusus, quam modus cognoscendi animæ coniunctæ. Sicut motus circularis ignis, etsi præternaturalis sit, est tamen multo perfectior, & perfectiori modo exequatus, quam motus sursum, qui omnino est ignis naturalis. Con. 1. Species infusæ à Deo repræsentãt quidditates etiam spirituales, & vsque ad rationem indiuiduam: at si anima separata non posset

cognoscere quidditatem, vsque ad vltimam determinationem frustra infunderentur à Deo species, sic repræsentantes determinatè; ergo animæ separatæ medijs illis speciebus cognoscunt quidditates determinatè, & distinctè, non solũ secundũ rationes vniuersales, sed etiam secundum rationes determinatas specificas, & numericas. Con. 2. Deus, vt author Naturæ infundit species illas animæ separatæ, quatenus sunt debitæ illi statui suppositæ separationi; ergo illæ species non sunt improportionatæ animę; ergo non potest probari ex eo solum confusè cognoscere quidditates, quia illæ species sunt excedentes, & improportionatæ. Denique anima separata suppositā cognitione cõtuita, appetitum habet cognitionis claræ; hoc enim apperere cõnaturale est cuilibet cognoscenti; ergo capax est cognoscendi res clarè, & distinctè per illas species, at non per discursum; ergo vel datur appetitus in aliquo statu ad impossibile naturaliter, vel dicendum est, quod per illas species semper cognoscit anima separata clarè, & distinctè quidditatis vnico intuitu.

11 Resp. tamen (etsi quanta sit difficultas in re obscura satis ex obiectis appareat) quod status ille absolutè perfectior est: sed nõ animæ, quæ est infima in genere intelligentium, & ideò esse præternaturalem, & imperfectum modum cognoscendi per species, & modum substantiarum separatarum. Nec instantia motus circularis ignis aliquid confert; nã eo ipso, ac rapidus est, & per raptum cœli mouetur, & non per se cognoscitur non determinari à se, neque determinatè moueri à se ignem, sic neque cum omnimoda distinctione, & determinatione cognoscit anima per species infusas, quia cognitio est motus à se, & cũ illic conueniat secundum statũ præternaturalẽ, non elicitur perfectè, & distinctè ex parte cognoscentis. Ad 1. Con. Resp. eas species ex se repræsentare distinctè, sed quia vnũquodque recipitur, ad modum recipientis, & ad perfectum vsum requiritur cõnaturalitas inter recipiens, & formam receptã, fit consequens non penetrari ab anima separata; nam etsi cognoscat quidditates secundum gradus determinatos, vsque ad rationem indiuiduã, cũ quadam tamẽ confusione cognoscit, sicut cum à lõge videmus indiuiduum hominis. Nec inde sequitur frustra infundi, quia ille status vtrumque petit, & quod species ex se sint perfectæ, & quasi Angelicæ, & quod anima deficiat in vsu, & penetratione earum à perfectione Angelica. Ad 2. Respon. quod cum ille status sit præternaturalis, ad auctorem naturæ attinet infundere species excedẽtes, quæ quoad vsum non omnino proportionentur cum intellectu animæ. Ad vlt. Resp. pro eo statu

non

non esse appetitum efficacem, in anima separata ad cognoscendum quidditates, nisi in confusione illa, quia nec amplius debetur illi, nec est capax clarioris notitiæ, quia cum ex se sit forma corporis, nota est vti illis speciebus, iuxta naturam intellectus agentis, qui lumine valde debili eas illustrat, & facit apparere confusè, quæ in illis speciebus distinctè repræsentantur; nam lumen illud disponit intellectum animæ separatæ ad receptionem specierum earum, & ad vsum accommodatum animæ pro illo statu, vt ad modum recipientis in actu repræsentent intellectui. Pro tota hac responsione expende per otium doctrinam Caietan. 1. p. q. 89. art. 4.

## QVÆSTIO XXXIII.

*Quodnam sit obiectum proportionatum intellectus animæ separatæ, & ad quæ obiecta materialia attingenda possit extendi, & quo modo? & an anima separata sit diuersæ speciei ab Angelo?*

1 AGgredimur pertractare rem inter omnes, quæ in Philosophia pertractari possunt fortassis difficillimã, & quæ plura torsit ingenia, quã pro dignitate percurrere, & absoluere in animo nõ est, quia opus esset multis, si id tentaremus, sat fuerit summis, vt aiunt, labris prægustasse, alijs relinquentes penitiorem discussionem, quia vrgemus strictis libri limitibus, sensim increscentis, plus quam liber.

2 In primis reijciendæ sunt variæ sententiæ, quæ à veritate sunt extorres, Georgij Veneti in opere de harmon. Mundi, cant. 3. tom. 3. cap. 2. asserẽtis animas essentiali nobilitate Angelis antecire, ac perinde obiectũ proportionatũ intellectus earũ, in separatione esse nobilius abstractius, vniuersalius obiecto specificatiuo proportionato intellectus Angelici, quod per bonã consequentiã ex eius primo placito consequitur. Sed eius absurdam sententiã satis ample refellunt Conimbr. disp. 1. de anima separ. art. 7. & Ioan. Arbor. lib. 1. Theosoph. c. 2. ex illo Paulad Hebræos 2. ex Regio vate vbi loquens de Christo in quantũ homo, ait *Minuisti eũ paulominus ab Angelis*, quod verũ non esset, si nobilior esset anima secundũ esse naturale. Nec valet recursus ad alias trãslationes, cum hæc ex decreto Trident. præferenda sit ad dogmata confirmãda. Præterquam, quod imperfectior est substãtia incõpleta, quã completa; at anima nostra in linea substantiæ immaterialis incompleta est, completa autem substãtia Angelica; ergo imperfectior, vel non perfectior, & cum ex immaterialitate substantiæ sequatur perfectio, & amplitudo intellectus, & obiectũ per se inspectum sit consequens limitationem esse

in

intellectum animæ separatæ, & inspicere obiectum specificativum, & proportionatum magis limitatum.

3 Etiam est reijcienda sentẽtia Scoti in 2. distin. 1. q. 6. S. Bonauen. ibi in 2. part. dist. ar. 3. q. 1. & Alens. & Origen. quem refert D. Thom. 1. p. q. 75. ar. 2. asserẽtiũ animas esse eiusdẽ imperfectionis specificæ cum Angelis, vel saltim intellectum esse eiusdem specifici obiecti; etsi entitatiuê sint diuersę speciei. Sed tamẽ esse diuersæ speciei quoad entitatẽ suã animã, & Angelũ docet D. Tho. 1. p. q. 75. art. 7. & cum illo Thomistæ, & alij plures extra scholã D. Th. vidẽdique sunt cõtextus, vnde plures, & efficaces rationes elici poterũt. Et probat in argumẽ. *Sed contra* auctoritate Dion. ca. 7. de diuin. nominibus, vbi distinctum specie modũ cognoscendi connaturalem assignat Angelis, qui nõ de visibilibus cõgregant cognitionem diuinorũ. Cum tamẽ animæ connaturaliter habeant ex visibilibus cognoscere inuisibilia, & hac ratione naturaliter exigant corpora. Tũ etiã, vel Angeli sunt compositi ex materia spirituali, & forma, vel sunt pure spirituales, vtroque modo necesse est, specie distingui ab animabus; ergo. Prob. min. nam si sunt pure immateriales, nõ datur diuersitas numerica intra eamdem speciem, nisi per ordinem ad materiã; ergo si sunt formę omnino separatæ, neq; inter se, neq; cũ anima possunt esse eiusdẽ speciei; si autem sunt compositi, cum materia illa sit incorruptibilis, & non quantitatiua, non possunt esse eiusdem speciei cum homine, qui est compositum corruptibile, & in materia quantitati subiecta; sicut hac ratione cœli, & sublunaria non sunt eiusdẽ speciei; ergo neque formæ qua constituũtur Angelus, & homo sunt eiusdem speciei, cum forma sit principium quo composita diuersificantur specificê formaliter.

4 Nec contra hoc obest, quod Angelus, homo, & anima conueniunt in vltima differentia intellectui; ergo sunt eiusdem speciei; ergo solum possunt differre penes hoc quod anima ordinatur ad corpus, estque illi vnibilis, quod non habet Angelus, sed hoc non arguit, nisi discrimen accidentale, qua corpus est extra essentiam animæ; ergo. Resp. enim ex D. Tho. p. p. q. 75. art. 7. ad 2. quod esse intellectiuum non dicit vltimam differentiam, sed gradus, sicut esse sensitiuum. Vnde ex quo Angelus, & anima conueniant in esse intellectiuo, non sequitur cõuenire in vltima differẽtia specifica. Ad 2. quod licet corpus non sit de essentia animæ, tamen ordo, & aptitudo vnibilitatis ille est essentialis, & hoc sufficit, vt specie distet ab Angelo, vide alia argumenta, q. de anim. ar. 7. apud D. Thom.

5 Quod autem dato, quod anima, & Angelus differant specie, etiam

etiam intellectus debeant specie differre, ne dũ in ratione proprietatis, verum in ratione principij intellectiui, & per ordinem ad obiectum. Prob. quia intellectualitas sequitur à priori ab immaterialitate, vel reddant rationem, cur Deus sit summe intellectiuus, si ea non est, quod sit summe immaterialis; ergo si essentia animæ est distinctæ immaterialitatis specificæ ab Angelo, etiam intellectus, qui est proprietas erit distinctæ intellectualitatis ab intellectualitate intellectus Angelici, sed intellectualitas dicit principium capax attingendi obiectum, & coaptationem cum illo; ergo obiectum specificatiuum, & proportionatum debet esse distinctum specie, cum enim sit diuersum proportionabile, id quod cũ illo proportionatur diuersum debet esse, v.gr. si capacitas est, vt duo, non potest capere proportionate quod est vt tria. Vide D. Thom. p.p.q.75. art. 7. ad 1. & q. de anima art. 7. ad 4. Ex quibus concordari poterant varia loca D. Thom. quæ accumulant Conimbric. q. de anima separ. q. 1. art. 7. His positis.

6 Dicendum est 1. Licet specificatiuum essentiale, & extensiuũ animæ coniunctæ, & separatæ sit idem cum specificatiuo intellectus Angelici, quatenus continetur Deus clarè visus sub vtriusque specificatiuo, tamẽ specificatiuum proportionatum, (vnde distinctio specifica secundum esse proprium, & naturale intellectus, debet sumi, quia sic non includit rationem potentiæ obedientialis.) specificatiuum inquam proportionatum animæ separatæ, & Angeli, specie differũt. Sic Caiet. 1. p. q. 70. ar. 3. Nazar. 1. p. q. 12. ar. 1. cõt. 1. Ratio est, quia vt ex dicẽdis constabit, licet omne eius naturale: quantum ad quidditatem sit specificatiuum Angelici intellectus, & animæ separatæ, tamen modus attingendi, est diuersus, quia omnia intelligit anima separata ad modũ suæ naturæ: sed hæc est diuersa specie à natura Angeli; ergo modus attingendi, & proportionandi obiectum diuersus est specificè, vbi autem ratio proportionandi obiectum diuersa specie formaliter est, proportionatum obiectum formale debet esse distinctum specificè; ergo. Tum etiã quia quidditas entis naturalis, vt confuse attacta est obiectum intellectus animæ separatæ: at eadem quidditas vt distinctè attingibilis, est obiectum intellectus Angelici; ergo lumen sub quo attingantur obiecta est diuersum; ergo cum lumen sit ratio specificandi, vt patet in scientijs: sequitur non solum modum, sed etiam rationẽ specificam formalem sub qua esse diuersam respectu vtriusque intellectus. Quibus si addas non esse improbabile, quod etsi oculus noctuæ, & aquilæ habeant idem obiectum extensiuum, habent tamen diuersum obiectum proportio-

tionatũ. Ex eo quod docet Arist. quod intellectus noster se habet ad notissima naturæ, sicut visus noctuæ ad lumen Solis, fiet inde quod cum distinctio specifica, inter oculos noctuæ, & aquilæ solum sumatur ex diuersitate luminis, & penes habere oculos, ex natura sua visuos lucis; confusæ aut obscuræ, aut claræ, & distinctæ: etiam hoc pariformiter sufficiet, vt obiectum formale, & proportionatum animæ separatæ, & Angeli sint diuersæ speciei; & quamuis plura assumamus in hoc fundamento, quæ egent probatione, tamen ex dictis quæst. ant. & ex dicendis in hac quæst. liquida fient, & probari facilè poterunt.

7 Dicendum est 2. Obiectum proportionatum intellectus animæ separatæ est quidditas omnis entis naturalis, imperfectè, & cõfusè cognoscibilis. Sic D. Thom. 1. p. q. 89. art. 3. Caiet. Ban. Serra ibi. Prob. sic se habet anima separata, ad cognitionem confusam, sicut Angelus ad distinctam, quia est substantia incompleta, & imperfecta in linea purè immaterialis, sicut Angelus est substantia purè immaterialis perfecta, sed Angelis debetur infusio specierum, qua possint attingere omnẽ quidditatem naturalem, perfectè, & distinctè; ergo animæ separatæ debentur species à Deo infundendæ, quibus possit attingere confusè omnem quidditatem entis naturalis; non enim differunt in obiecto, sed in modo, sicut non differunt in pura immaterialitate, sed in modo, hinc colligit Caiet. *Quanta solicitudine vacandum sit in hac vita scitis rebus*, quoniam anima nostra, *non nisi hic perficitur* in scientijs rerum, quia cum sit anima nostra infima inter substantias cognoscitiuas, non nisi speciebus valde articulatis, quales in hac vita gaudet, cognoscit distinctè, sicut nec rusticus intelligit per principia altissima, quæ sapientibus sunt notissima, & ideò eget exemplis de articulatione, vt etiam docet D. Thom. q. de Anima, art. 15. & 18. vnde & Hieron. dicebat *discamus in terris quorum scientia permaneat in Cœlis*. Ad hoc ergo dicimus intellectum agentem deseruire in anima separata, quatenus medijs speciebus quas in hac vita impressit intellectui possibili, quasque in separatione confortat, & illustrat dearticulat species infusas vniuersales, & sic anima cognoscit quidditates sibi correspõdentes, & infusas. Vnde pueri Lymbi, qui ex hac vita nullas species abstraxerunt, nimis confusè cognoscent quidditates rerum.

8 Dicendum 3. Anima separata cognoscit Deum euidenter abstractiuè, quoad an est, quatenus Deus est auctor naturæ, estque primum ens immateriale intellectiuum, iustus, bonus, vltimus finis naturæ. Sic communiter omnes Catholici. Prob. quia naturale est intellectui per effectus cognoscere causas, & quia hoc po-

poteſt anima in hac vita, vbi ſolum percipit effectus materiales, magis diſtantes à Deo: ergo à fortiori hoc poterit in ſtatu ſeparato, vbi effectus immateriales cognoſcat, & licet cognoſcat quidditates cõfuſe; tamẽ ex illis manifeſtiſsimæ oſtenditur Deus, & ideò ex illis manifeſtè, & euidẽter poteſt cognoſcere Deum auctorẽ naturæ abſtractiuè, & quoad an eſt.

9 Dicendum 4. Anima ſeparata Angelos per ſpecies de nouo in inſtanti ſeparationis infuſas quidditatiuè, ſed confuſè cognoſcit, alias autem animas ſeparatas perfectè, & diſtinctè abſq; ſpecie ſuperaddita, at ſe ipſam per ſe, & abſque ſpecie aliqua ſuperaddita cognoſcit quidditatiue. Sic D. Tho. p. p. q. 89. ar. 2. & in cõtext. Caiet. Bann. ibidem. Singula autem probat D. Thom. Nã Angeli ſuperiores ſunt, & perfectiores anima ſeparata; ergo non poteſt eos per ſe quidditatiuè cognoſcere; ergo eget ſpeciebus ſuperadditis, vt eos cognoſcat quidditatiuè, ſiquidẽ in hac vita ſolũ cõnatiuè eos cognoſcebat; ſed ſi illæ ſpecies ſunt excedẽtes aliquo modo proportionẽ intellectualitatis animæ; ergo confuſè eos cognoſcit per illas ſpecies. Quod autem perfectè cognoſcat alias animas ſeparatas per ſe ipſam abſque ſpecie ſuperaddita. Prob. nam quod cognoſcat naturaliter eas, probat D. Thom. in argum. *Sed contra* citatæ q. ex 1. p. & q. vnic. de Anima, ar. 18. ad 10. ſecũdo loco ex textu Lucæ 16. vbi dicitur diuitem, & Abraham, & Lazarum, cognouiſſe. Quod vero clarè, & abſque ſpecie ſuperaddita. Prob. quia illæ animæ non excedunt in immaterialitate, & perfectione ſpecifica; ergo clarè cognoſcuntur, alias ſunt eiuſdẽ quidditatis ſpecificæ; ergo ſi per ſuã eſſentiã cognoſcit ſe ipſam, abſque ſpecie ſuperaddita, etiã cognoſcet alias animas ſeparatas, quantum ad quidditatem, ſiquidem in ea ſunt perfectè ſimiles, eſto quantum ad rationes indiuiduas, egeat, aut ſpecie, aut modo ſuperaddito, vt vult Caiet. ad illum art. vnde ſicut vnus Angelus, alios cognoſcit, abſque ſpecie ſuperaddita, quantum ad rationem genericam, ex Doctrina D. Th. 1. p. q. 56. art. 2. ad 3. quia in ea ratione ſunt æquales, idem erit dicẽdum de animabus, quãtum ad rationem ſpecificam, ob eamdem rationem.

10 Quod autem Anima ſeparata ſe per ſuam ſubſtantiam cognoſcat, abſque ſpecie ſuperaddita. Prob. à ſimili Angelorum, qui ſe per ſuas ſubſtãtias cognoſcunt, vt docet D. Thom. p. p. q. 56. art. 1. ſed animæ ex ſeparatione habent modum eſſendi, & cognoſcendi, ſimilem Angelis; ergo. Et inſuper prob. eo enim in hac vita non ſe cognoſcit anima per ſe, neq; quidditatiuè, ſed per ſpecies rerũ materialium, quia vt docet D. Th. 1. p. q. 87. art. 1. Ex Ariſt. 3. de Anima, tex. 15. Anima eſt in potẽtia intelligibilis, ſed ex vi ſeparatiõ-

nis

nis sit particeps modi essendi substantiarum separatarum; & sit anima actu intelligibilis, ergo se per seipsam poterit cognoscere.

11 Dicendum 5. Anima separata cognoscit distinctè, & directè singularia, non quidem omnia, sed ea ad quæ determinatur, aut per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, aut naturalem habitudinem, aut per diuinam ordinationem. Sic D. Thom. 1. p. q. 89. art. 4. & q. de Anima, art. 15. & 20. & q. 19. de verit. art. 2. Caiet. & Bann.

12 Quod anima separata cognoscat aliqua singularia directè, & distinctè. Prob. quia cognoscit ea per species infusas à Deo, quæ non sunt abstractæ à phantasmatibus, ac per consequens non abstrahentes à singularitate, & solum connotantes illa indirectè, sed directè repræsentantes quantum ex se est omnia singularia cõtẽta sub ratione quidditatiuè specifica; sed tamen, quia Angeli per species illas, quæ sunt à Deo, vt causa tam essentiæ, quàm singularitatis, penetrando eas perfectè percipiunt, quidquid in eis continetur repræsentatiuè: anima tamẽ imperfectè vtitur illis speciebus; ergo non penetrat omnia singularia, quæ in ipsis continentur repræsentatiuè; ergo indiget aliqua determinatione; vt aduertat ad determinata singularia, & ea cognoscat per speciem illã à Deo infusam, sed ratio determinans est, vel præcedens cognitio, vel alia quæ in conclusione sunt ẽnumerata. Cuius rationem reddit Caiet. quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, & iuxta eius dispositionem determinatur ad specialem effectum; ergo vt species illa determinatè singularia repræsentet animæ requiritur, quod ex illis enumeratis capitibus sit disposita, & quasi determinata. Tum etiam ex natura rei debet species esse medium ad cognoscendum ea, quæ ad statum pertinent animæ, sed ea omnia exponuntur in illis Capitibus enumeratis in conclusione; ergo ex illis tãtum oritur cognoscere determinata singularia.

13 Inquires, an hæc singularia cognoscantur, ab anima per species quas detulit ex hac vita, an tantum per species de nouo infusas? Resp. Caiet. non cognoscere singularia, per species hic adquisitas, quia non cognoscit ea per abstractionem, vt ait D. Tho. pluribus locis, sed per infusas species. Sed licet hoc verum sit quãtum ad cognitionẽ directam, tamen inde non probatur, quod indirectè non possit aliqua singularia cognoscere per species in hac vita adquisitas, nõ quia tunc possit, ad phantasmata conuerti, sed quia ex hac vita manent determinatæ ex vi præcedentis cognitionis, ad aliqua singularia. Sic enim cum proprietate verificatur illud, Lucæ 16. *Fili recordare quod recepisti bona in vita tua.* Recordatio enim non verificatur, si non

sit

sit per speciem habitam, in hac vita; nam si per nouam speciem, & notitiam fiat, non est recordatio; sicut si ego speciē amissem euentus præteriti, & Deus mihi reuelaret, non verificaretur, tunc me recordari, quod non displicet Caiet. 1.p.q.79.art.6. in fine.

14. Dicendum tandem, Anima separata ex viribus naturæ secluſa reuelatione, aut ordinatione diuina, non cognoscit, quæ aguntur in hoc mundo. Sic D. Thom. 1.p.q.89.art.8. & ibi Caiet. Bann. Serra, & prob. ex illo Iob 14. & 21. *Siue nobiles fuerint Filij eius, siue ignobiles, non intelliget*, quod de animabus separatis, intelligit. S. Gregor. ad intentū nostræ concluſ. lib. 12. Moral. cap. 14. & probat, quia vita spiritus longè est, à vita carnis, & diuersus conuictus, & communicatio lōgè diuersa; ergo ad naturam illius status nō pertinet cognoscere, quæ in hoc mundo aguntur. Idem tenet August. lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 13. Et suadet duplex ratio, si animæ separatæ cognoscerent, quæ hic aguntur, tristarentur de aduersis casibus suorum, vel eorum quæ in fama, & honore, ad eos pertinent, vel lætarentur, de secundis successibus, sed hoc est falsum, hac enim ratione dicitur Isaiæ 39. quod Ezechias gratias egit Domino, quia prorogabat mala, quæ imminebant populo post mortem Ezechiæ, & in præmium bonorū operum Ioſiæ dictum est illi 4. Reg. 22. *Non videbunt oculi tui omnia mala quæ ego inducā super locum hunc.* Quasi per separationem animæ, excipiendus esset à tristitia, quam tot calamitates populi causare possent; ergo. Tū etiam quia animæ illæ segregatæ sunt ab hac vita, vt ex D. Greg. ostensum est, ergo non attinet ad eas cognoscere omnia quæ hic geruntur; prob. conseq. nam ea solum singularia cognoscunt naturaliter, quæ ad eas attinent, vel ex suo statu, vel ex diuina ordinatione: diuina autem ordinatio, & prouidētia ordinaria, potius animas separata à notitia, & conuersatione huius vitæ, quam eas huic vitæ permiſceat.

15. Sed contra 1. concl. arg. 1. Ex Scoto in 2. dist. 1. q. 6. cui consentit Ferrar. 2. contra gent. c. 94. & nonnulli Thomistæ quatenus asserunt, quod etsi in ratione proprietatis differant specie, intellectus Angeli, & animæ, siue separatæ, siue coniunctæ, tamen conueniunt specificè, in ratione potentiæ, quia habent idem specificatiuum, & probant sic. Quia obiectum proportionatū vtriusque intellectus, est omne ens naturale; ergo est vnum, & idem. Conſ. non repugnat vnitas, specifica passionum, cum diuersitate specifica naturarum; ergo ex quo Angelus, & anima differant specie non sequitur intellectus distare specificè, in ordine ad obiectum; Prob. antec. nam diuersa entia, & naturæ gaudent eisdem specie

Fals

passionibus ẽntis. Con. 2, potentia visiua hominis, & equi sunt eiusdem speciei, etsi illæ naturæ sint specie diuersæ; ergo similiter.

16 Resp. obiectum vtriusque intellectus esse quidditatem omnis entis naturalis, sub diuersa ratione formali sub qua, concedo; sub eadem, nego: cum ergo obiectum, vt obiectum est non sumat vnitatem formalem, ex ratione quæ, sed ex ratione sub qua; fit consequens, quod obiectum connaturale, & proportionatum, intellectus Angeli, & animæ separatæ sint diuersę speciei, & ratio sub qua; ideô est diuersa, quia motiuũ est propria substantia, quæ est inferioris immaterialitatis, in anima, & Angelo; nam in anima est incompleta, & in Angelo completa, & modus tendendi in ens refusus in obiectum est specie diuersus; nempê, quia in anima est confusus, & sub ratione vniuersali, in Angelo distinctus, & sub rationibus particularibus attingés quidditates entis naturalis. Vel dato habere idem obiectum genericũ, non specificum; quia attingibilitas quidditatis entis naturalis, patitur modos specificandi specie diuersos, intellectus autem Angeli, & animæ in ordine ad obiectũ extensiuum cõsequitur ad eorum naturas, vt sunt vnum, ideſt, quatenus substantiæ sunt creatæ, & immateriales, at in ordine ad specificatiuum proportionatum cõsequuntur ad proprias differentias, quia istæ vt sic etiam sunt intellectiuæ proprio, & peculiari modo sibi cõnaturali. Ad 1. Con. Resp. non repugnat vnitas passionum, in diuersis naturis, si sint ab illis secundum quod sunt distinctæ formaliter, nego; si sint ab illis quatenus sunt idem formaliter, & diuersæ materialiter, concedo; passiones autem entis non consequuntur ad naturas, vt diuersæ sunt secundum rationes differẽtiales, sed vt sunt vnum in ente maximê in sententia Scoti, adstruentis vnitatem vniuocationis in ente; sed in nobis sufficit quod sint ab ente, quatenus est vnum proportione in omnibus naturis, & hinc patet ad 2. Conf. nam potentia visiua in homine, & equo sunt à natura secundum diuersitatem gradus specifici; sed solum secundum genericum vitæ sensitiuæ, in qua sunt vnum, at in passionibus consequutis ad proprias differentias, nemo admittet vnitatem in risibilitate hominis, & hinnilitate equi.

17 Arg. 2. contra 2. concluſ. contra quam militant Conimbr. Scotus in 4. distin. 45. q. 2. & alij Neoterici cum Suar. quatenus asserũt species, quibus vtitur anima separata esse eiusdem rationis cum illis quas hic adquisiuit, & per consequens cognoscere per illas naturas sibi proportionatas distinctê, & clarè. Et prob. quod anima separata nõ tendat in quidditates rerum materialium, tanquam in proprium specificatiuum sub diuersa ratione ab Angelo, id;

ideſt, ſub ratione vniuerſali, & nõ ſub ratione diſtincta, vel prouenit ex parte animæ, quia eſt minoris immaterialitatis ſpecificæ, quam Angelus: vel prouenit, quia ſpecies inſuſæ ſunt diuerſæ rationis ab acquiſitis per quas nata eſt anima diſtinctê attingere obiecta diſtinctê, ſed ex nullo ex his Capitibus prouenit: ergo. Prob. mi. etiã Angelus infimus eſt diuerſæ immaterialitatis ab illa, qua gaudet Angelus ſupremus, & tamen illum cognoſcit clarê, & cõprehenſiuê, ſecundũ aliquos Thomiſtas: ergo etſi anima ſit diuerſæ immaterialitatis ſpecificæ ab Angelis, poterit eorum quidditates attingere, clarè & diſtinctê, & ſimiliter omnia alia quæ ſunt infra Angelos in rerũ natura. Maximè cum ſupremum infimi attingat infimũ ſupremi; ſed Angelus infimus omnia attingit diſtinctê; ergo anima. Quod autem hoc non proueniat ex ſpeciebus, quia ſunt diuerſæ rationis ab adquiſitis. Prob. quia connaturaliter ſunt debitæ omnibus animabus in illo ſtatu, & perfectiores, quam adquiſitæ; ergo inclinant ad perfectiorem operationem; nam naturæ, & Dei perfecta ſunt opera; ergo per eas cognoſcit anima obiecta ſibi proportionata diſtinctê.

18 Reſp. ex vtroque capite prouenire, quod anima ſeparata cognoſcat imperfectê, & incomplete, quia habet ſtatum imperfectum, quia eſt pars incompleta, & non eſt in toto, & ſic ſpecies illæ, illi ſunt improportionatæ: ac Angelus infimus habet eſſe completum, & in eodem gradu cum Angelo ſuperiori, & ſic poteſt illũ comprehendere, licet tõ ita perfectê, & clarè, ſicut ſupremus ſe ipſum comprehendit. Ex quo autem anima attingat infimum ſupremi, non ſequitur, quod ita perfectê cognoſcat, ſed potius, quod eadem cognoſcat, ſed cum deficientia. Quod autẽ ſint cõnaturales illæ ſpecies illi ſtatui ex ſuppoſitione, & ſecundum quid, ſicut non arguit, non eſſe ſtatum illum præternaturalem, ſic nec officit, quod ſpecies illæ non ſint improportionatæ: ac perinde, quod anima perfectê vti valeat illis. Dei autem opera, etſi ſint perfecta ex parte Dei, poſſunt tamẽ imperfectê recipi in ſubiecto defectu proportionis, & ſic fateor eas ſpecies prout à Deo eſſe perfectas, ſed vt in intellectu animæ ſeparatæ receptæ, non explicant totam perfectionẽ quoad vſum, & ideô cognitio ex illis elicita, ab anima diſtincta non eſt, & inſtatur in monſtris, quæ quidem Deus cauſat cõcurſu perfecto, ſed ex indiſpoſitione ſubiecti defectuoſa euadit natura eorum.

19 Arg. 3. contra concluſ. 4. (nã tertia certa eſt apud omnes, qui cum D. Hieron. exiſtimant non ſicut Glires torpeſcere animas in Lymbo, ſed cognoſcere.) Anima ſeparata eſt pura potentia, in genere intelligibilium; ergo non cognoſcit ſe per ſuã ſub-

ſtantiam, abſq; ſpecie accidentali ſupperaddita; nam cum ſit eadem vnita & ſeparata, ſi vnita eſt pura potentia, & nõ cognoſcit ſe per ſe ipſam, vt docet D. Th. p.p. q.87.art.1. neque ſeparata poterit ſe per ſe ipsã cognoſcere. Cõ. 1. Vt aliquid intelligatur non ſufficit, quod ſit præſens intellectui ſecundũ eſſe reale, ſed inſuper requiritur, quod ſit præſens ſecundum eſſe intentionale, (hac enim ratione color in pupilla exiſtens non cognoſcitur ab oculo, quia non eſt præſens intentionaliter, & ideô nõ eſt præſens intentionaliter, quia nõ eſt in illo per ſpeciẽ ſuperadditã, in qua ſit forma coloris, ſine materia, ideſt, ſine realitate, & eſſe naturali, quã habet in ſe:) ergo ſi anima ſolum eſt præſens per ſe realiter, intellectui animæ ſeparatæ, & non eſt ibi per ſpeciem ſuperadditam, non erit intẽtionaliter præſens intellectui, nec poterit intelligi.

2o Reſp. quod vt elegantẽr oſtẽdit D. Thom. tum p.p.q.89. art.2. tum q.de Anima, art.17. anima hoc ipſo quod ſeparatur habet modum eſſendi, ſimilẽ Angelis, & ſic fit in actu intelligibilis; per ſe etiam non eſt in ordine puræ potentiæ intelligibilis; ſicut accidẽtia Euchariſtiæ ex vi ſeparationis habẽt modũ eſſendi per ſe ipſa, licet ille modus in illis accidentibus ſit ſupernaturalis, in anima autem præternaturalis, & ideô abſque ſpecie ſuperaddita poteſt à ſe ipſa intelligi. Ad 1. Con. nego, quod eſſe naturale reale impediat intelligibilitatem intentionalem, ſed ſolum materialitas quoad entitatem, aut quoad modũ, alias Deus nõ poſſet ſe ipsũ intelligere, ſine ſpecie ſuperaddita, qua in ſe habet eſſe reale nãturale; anima autem vnita eſt actus materiæ, & ideô habet modũ materialem informando, ideôque per ſe ipſam intelligi non poteſt à ſe ipſa, at in ſtatu ſeparationis, iã facta eſt quoad modum, etiam forma ſine materia, ideôque eſt præſens ſuo intellectui intentionaliter, & ſic etiam eſt per ſe ipſam intelligibilis, vnde ſi ſic eſſet præſens, & poſſet illabi intellectibus aliarum, etiam poſſet ſine ſpecie intelligi; ſed ob ſuam limitationẽ nõ poteſt eſſe intime præſens, ideôque eget ſpecie infuſa ſuperaddita vt ab alijs intelligatur Nec eſt idem de colore exiſtente in oculo, cum enim ſit materialis ea præſentia impedit cognitionẽ, quia ibi eſt forma cũ materia, ſed in noſtro caſu non eſt ſic.

21 Arg. 4. contra 5. concluſ. Anima ſeparata in primis nõ cognoſcit directẽ explicitẽ ſingularia, per ſpecies adquiſitas in hac vita quas ſecum defert, vt admittit D. Tho. ſed neque per infuſas; ergo nullo modo. Prob. min. ſpecies illæ in confuſo repræſentãt quidditates, vt ex 1. & 2. cõcluſ. conſtat; ergo multo minus ipſa individua, quæ dicunt rationem magis determinatã, §. Huic argumen-

mento Respondetur D. Thom. p. p. q. 85. art. 4. ad 2. quod eo per illas species possunt distinctè cognosci aliqua singularia, quia anima separata habet aliquã determinatã habitudinem ad illa, vel per præcedentem cognitionem, vel per aliquam affectionem, vel per diuinam ordinationem, ℣. Sed contra quod species illæ ex se indeterminatè repræsentãt, illa autem determinatio, hoc supposito non dat illi nouã repræsentationẽ; ergo sicut egrè intelligitur, egrè etiã satis sit argumento. Tũ quia etiã posset fingi illis modis determinari species adquisitas, ac perinde singularia nõ cognosci ab anima separata per species inditas. Con. Eo ipso quod anima separata, non cognoscit singularia per sensum nõ est maior ratio, cur per illas species cognoscat aliqua quã omnia; sed nõ omnia cognoscit; ergo nulla cognoscit.

22 Ad argum. benè ibi. Ad replicam cum D. Thom. q. 19. de verit. ad 2. & 3. Resp. quod species illæ quantum est ex se repræsentant omnia singularia, quia sunt à Deo impressæ, quatenus in se cõtinet, & causat quidditatem, & singularitatẽ omnium rerum, sed non repræsentant actu intellectui illius animæ, quia improportionato modo sunt in illa, & hoc ipso quod determinetur anima per illas habitudines, & determinationes, ad percipiendam repræsentationem illorum singulariũ actuat ea species intellectũ, quatenus est sic determinatus, quia vnũquodque recipitur ad modum recipientis, & actuat secundum recipientis capacitatem. Ad 2. non posse idem fingi de speciebus adquisitis, quia illæ nũquã directè repræsentarunt singularia, quia repræsentabant per abstractionẽ ab illis: at species inditæ non sic, sed per participationem Dei, singularia repræsentant, de quo lege D. Tho. citat. art. 2. q. 89. p. p. & q. vnica de Anima art. 17. & 20. Ad Con. nego non esse maiorem rationem cur aliqua potius quam omnia singularia cognoscat anima separata per illas species, quia vt inquit D. Thom. ad 3. citat. ar. 2. non est æqualis ratio, cum habeat habitudinẽ determinatã ad aliquã quam nõ habet ad omnia.

23 Contra vlt. concl. arg. 5. Nisi animæ separatæ cognoscerẽt, quæ hic agũtur non haberent curam de illis, sed habent curam de illis, quæ hic aguntur; ergo. Pro. min. ex verbis Diuitis relat. Lucæ 16. *Habeo quinque fratres mitte Lazarum, vt testificetur illis, ne illi veniant in hunc locũ tormentorum*; ergo animæ separatæ curam habent de illis, quæ hic agũtur, ℣. Resp. D. Th. p. p. q. 89 art. 8. ad 2. negata mai. nos enim curam habemus de animabus defunctorum, & tamen non cognoscimus quid agatur in alia vita. Vel dist. Si nõ cognoscerent, vel per suã naturã, vel per alios, scilicet Angelos, aut dæmones, aut animas, quæ hinc migrãt, cõcedo,

quod non haberent curam in speciali, qualiter de fratribus curabat diues; si præcise ex se non habeant notitiam, nego; nam ad curam gerendam, vndequaque habeatur notitia sufficit.

24 Instant Scotistæ cum Scoto in 4. dist. in. 45. q. 2. Rationem ob quam animæ separatæ nõ cognoscunt, quæ hic aguntur, non esse quia sunt segregatę in aliã vitã; sed quia accipiunt species à rebus & distant à nobis, & ideô nec speciem, nec notitiam habent, sed nec accipiunt species à rebus, nec distantiam situalem impedire notitiam animæ separatæ elegantissime demonstrat D. Thom. citat q. 89. art. 7. legatur ibi & q. de Anima art. 20. ad 2.

## QVÆSTIO XXXIV.

*De motu locali animæ separatæ.*

1 NON est hic accuratè inuestigandũ, an anima separata, sicut & Angeli, sint in loco per operationem, an tantum per præsentiam substantialem ad locũ, & an moueri ad diuersa loca, penes diuersum operari, in varijs locis cõtingat; supponimus enim ex materia de Angelis, substantias intellectuales non esse in loco, nisi aut per actionem, aut per passionem, neque hic operosius hoc inculcandum est.

2 Dicendum est primo, non est improbabile, quod anima separata non habeat virtutem naturalem, ad mouendũ se de vno loco in alium. Hanc conclusionem, quam esse Thomistarum fatẽtur, & irrident recentiores, contra nostram Scholã, & acribus lemmatibus eam ferunt. Recentior quidam ridiculam appellat, pulsatque Thomistas illo directio, quod more cõchiliorum saxis adhærentium immobiles permanere animas cogimus, quod incredibile est, & speciem habere rediculi sibi videtur. PP. Conimbricenses causantur esse iniurios animæ, & velut statuam quandã immobilem affigere, cadaueri suo, vt olim Prometheum Caucaso perpetuo alligarunt prisci incussant etiam, quod manus demus Durand. in 1. dist. in. 37. q. 2. & Pico Mirandulano, q. 1. apologetici, & Herbeo vbi Durand. q. 1. art. 2. asserentibus animam Christi, non descendisse motu locali ad inferos sua substãtia, sed sola virtute causando in SS. PP. effectum seu perfusionem lucis, & lætitiæ, & tradendo dæmones, & damnatorum animas horrore replẽdo. Triumphum sibi decantant quidam etiam Scotistæ proclamantes, in hoc Thomistas, nec ratione fulciri, nec vlla apparentia potuisse suadere suas phantasias, ideòque oppositum apud omnes Philosophos præualuisse, imô nec D. Thom. hoc figmentum vnquam insinuasse.

3 Sed his sapiẽtibus in Christo locum dantes, & redentes pro-

contumelijs gratias stultitiam patimur nostram, vt eorum sapientia gloriemur, dū tamē absque vllo liuore, in vinculo pacis permanētes, quæ ad veritatē indagandam, & inueniendam conducere valent, in medium proferamus.

4. Præfixa ergo conclusio. Prob. ex illo Lucæ 16. *Factū est autē, vt moreretur mēdicus & portaretur ab Angelis in sinū Abrahæ, mortuus est autē dives, & sepultus est in inferno.* Vbi vt vides neque Lazarus se mouit, vt progrederetur in sinū Abrahæ, sed peruectus est ab Angelis, neque dives subijt in infernū à se ipso, sed sepultus est à dæmonibus, vt ostēderetur, quod sicut ad sepulchrū nō progreditur cadauer, sed ab alijs deportatur, sic neque dives abijt, sed deportatus est: at in his, quæ ratione naturali nō constat, & solum diuinandi locus restat securior modus asserendi est, qui sacris litteris conformior est; ergo si ex textu sacro solum constat animas separatas deportari localiter, non autem eas à se moueri, hic est conformior asserendi modus.

5 Maldonadus in præfatum textum Lucæ, hinc nō posse à nobis deluni efficax argumentum, sed nimis argutam esse nostram intelligētiam, neque enim verbū illud *portare* accipiēdū est graue promoueri ab alio, sed pro *ducere*, sicut de Christo dicitur, *in manibus portabunt te*, &. Sed hæc Respōso argutiā, quā in nobis redarguit, absque dubio subire cogitur; nam Chrisost. in Cathena D. Th. tāquā onus portasse Angelos animā Lazari serio affirmat, ait enim *nō sufficerat ad portandū pauperem vnus Angelus, sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant*, gaudeat *vnusquisque Angelus tantum onus tāgere libenter talibus oneribus prægrauantur, vt ducant homines ad regna Cælorum.* Videat ergo P. Maldonado nostras argutias eas à Chrysost. & D. Thom. in Cathena aurea approbatas.

6 Prob. ratione. Substantia spiritualis, quæ se moueret localiter, dicit ordinem, vt fit in illo termino ad quem mouetur: sed anima separata non habet ex natiua sua virtute, talem ordinem ad aliquem locum adquirendum hoc modo; ergo nō habet vim se mouendi localiter; Prob. min. ordo substantiæ spiritualis, non est ad locum, seu ad corpus in quo possit esse, nisi vel sit in illo, tanquam forma in materia; vel tanquam moto, sed ordinem formæ non potest habere, nisi ad propriū corpus à quo iam est separata; ordinem autē motoris, non potest habere ad aliquod corpus, quia nullum potest mouere, vt ex dicendis concluſ. seq. ex D. Thom. constabit; ergo.

7. Dices: ergo anima separata ex se nullum vendicat naturalē locum, ac perinde nullibi erit naturaliter: ac per cōsequēs, ne-

que in Cœlo, neque in Inferno, neque in Lymbo, quæ sunt absurdissima, & fidei dissona satis, ſ. Resp. quod sicut Angelus nullibi operãs, vel nullibi religatus per aliquã passionem nubilli est, quia locus, seu esse in loco necessario committatur quanta corpora; nõ autem spiritus, & ideô, si non esset hic mundus visibilis, & corporeus creatus, sed solum esset Deus, & Angeli, nullibi essent, sic anima separata ex se nullibi est, at cum vel propter merita, vel demerita ei locus deputatur, tũc est ibi, aut per passionem religata, vt cũ est in Purgatorio, Lymbo, aut Inferno, vel virtute diuina in Cœlo Empyreo, & ibi est aliquid operando circa illud præstãtissimũ corpus cœleste, de quo agere nõ est nostri instituti. Vel, Ie autem, quod substãtiæ separatæ, aut Angeli necessario exigant locum in quo sint est non trascendere imaginationem; quamobrẽ seruata fide, quod de facto animæ separatæ in loco sunt, aut per religationem, & passionem, aut per operationem, saluãtur oprime, quod careant virtute naturali ad se mouendum localiter.

8 Ex quibus etiam sequitur, animam Christi Domini, verè, & propriè descendisse ad inferos, sed virtute supernaturali, quatenus beata fuit, non autem virtute præcise naturali, neque hoc negauit reuera Durãd. in 3. dis. 22. q. 3. Cum fateatur se ignorare modum quo descendit, & scire, quod virtute naturali nõ poterat localiter moueri. Vnde, & D. Th. 3. p. q. 2. art. 2. ad 3. docet quod motu simili motui Angelorum descẽdit; nam & si natura animæ sit longè inferior natura Angeli, tamen per gratiam vnionis, & gloriam consequuta est anima Christi motu Angelico moueri localiter. Vide Caiet. ibi art. 2.

9 Prob. vlterius: Anima separata solum habet intellectum, & voluntatem, sed istæ potentiæ ex se sunt immanẽter operatiuæ, non autẽ immutatiuæ extrinseci coporis; ergo anima separata non potest moueri localiter, cum motio ista media immutatione operatiua debeat fieri, & hanc nequeant exercere circa corpora. Nec obest, quod Angeli, & si solũ gaudeant his potẽtijs possunt moueri localiter. Tum quia sunt formæ completæ, & ideò non habent determinatum corpus circa quod debeant solum operari, anima autẽ est forma incompleta habens immediatum ordinem ad corpus, & mediante illo circa alia corpora extrinseca operatur. Tum quia Angeli, vtpotè substantiæ complete superiores, ex se habent gubernare, & perficere mundum inferiorem, ideôque eorum intellectus & voluntas vim habẽt mouẽdi corpora extranea, & immutandi ad hoc loca; anima solum habet ordinem ad regendum proprium corpus, & gubernandum illud, & essendi, ibi non tanquam motor, sed tanquam forma, &

so-

solum habet esse in alijs, vt motor, mediante corpore à se informato, tanquam instrumento à natura assignato ad omnes motus, non ergo se sola habet mutare loca, aut moueri localiter.

10 Dicendum 2. Probabilius est, quod anima separata habet virtutem se mouēdi localiter ad aliqua determinata, sic Soto in 4. dist. in. 45. Abul. in cap. 25. Matth. q. 772. Serra 1. p. q. 117. art. 4. Io. a S. Thoma q. 12. de Anima art. 2. & to. 3. in 1. p. tract. de Angelis, disp. 20. art. 1. nu. 2. (oppositū autē solū insinuatur à Caie. 3. p. q. 52. art. 2. vbi dicēdo quod gratis cōcedit à se moueri animā separatā, insinuat oppositū esse tenēdum) immerito ergo recentiores ex schola PP. Iesuitarū & Scoti, absolutè proferunt hanc conclusionem esse cōtra Thomistas, cum nullum in particulari nominēt, & alias tot graues DD. Thomistæ eam tueantur, & qui oppositum insinuant non improbabiliter proccedant supponendo, quod spiritus est in loco per operationem, quod esse probabile negare non possunt.

11 Hanc autem concluſ. esse probabiliorem in via D. Thom. suadet, quod eam inuenimus ferè expressam absq. glos. 3. p. q. 52. a. 1. ad 3. vbi docet *Animā Christi descendisse ad inferos, eo genere motus, quo Angeli mouētur*, ergo illam tribuit absolutè animæ separatæ. Tum etiā quia in 4. dist. 45. q. 1. a. 1. quæstiun. 2. *proprium & connaturalem locum assignat animabus separatis*, & q. 26. de verit. ar. 1. quod *vnio ad corpus, tāquā forma, vel tanquam motor, est naturalis animæ*: sed quando terminus est naturalis, etiam est naturalis motus, quia possibilitas & cōnaturalitas finis arguit possibilitatē, & cōnaturalitatē mediorū, & ideò quia vnio ad centrum est cōnaturalis grauibus, etiam moueri ad illud est illis naturale; ergo etiam animæ separatæ adest virtus naturalis, vt se moueat ad aliquē locum superiorem, aut inferiorem, secundum dignitatem suæ subsistātiæ, vt tenet D. Thom. loco citato ex sententia rij. Nec sibi contrarius est D. Thom. cum docet inter miracula numerandū fore, quod animæ nō glorioſe veniant ad nos, quia stat optimē quod moueri ad aliquē naturalē, & determinatum locum sit naturale animæ. Sicut lapidem moueri in centrum, & tamē sic miraculum moueri ad nos, absque dote gloriæ, ratione cuius quodlibet corpus est subordinatum animæ, sicut esset miraculosum lapidē se mouere, ex loco connaturali in loca extranea, si hoc non faceret ad replendum vacuum, ideòque D. Thom. non repugnat nostræ conclusioni.

12 Et suadet ratio, quia potentia loco se mouendi oritur ex agnitione, & appetitu, vt docet Aristot. 2. de Anima cap. 11. sed animæ separatæ habent appetitū, & cognitionem circa varia loca,

quæ ex diuersis motiuis, posse appetere absque ratione negabitur; sine vt coram communicent cum aliquo Angelo, sive cum alia anima loco segregata, si operatur in alijs locis; ergo & virtutē se loco mouēdi, & hæc ratio, quæ efficax est, & suadet, absque efficaci fundamento posse negari huiusmodi motum animabus separatis, hæc inquam ratio pro nunc sufficiat.

13 Dicendum 3. Animæ separatæ non habent virtutem naturalem, ad mouenda alia corpora localiter. Sic D. Th. p. p. q. 117 art. 4. & q. 16. de malo, art. 10. ad 2. Capreol. in 4. dist. vlt. Caiet. Ban. ad citat. ar. exp. p. Et prob. ratione D. Tho. Anima ex se non habet vim motiuam, nisi respectu corporis, quod informat, sed separata nullū corpus informat; ergo nullū potest mouere: mi. & cō. seq. patet ma. prob. quia si in corpore mēbrū aliquod aridum fiat, ita vt amittat informationē, nulla ratione potest moueri ab anima, sed si ex se haberet vim mouēdi corpus à se non informatū, non esset cur eam tūc exerceret, circa tale membrum quod non informat, cum impediat sæpē animam in debitis operationibus; ergo.

14 Dices esse disparem rationē, quia informatione, & media vnione alligata est anima corpori informato, vt extra illud non exeat, nisi per mortem, & cū alias maneret membrum non informe, tum animatam deberet habere vniouem motoris ad illud membrum, sequeretur ergo animā esse extra propriū corpus ad quod est diffinita vnione informatiua, quod est absurdum: at absoluta à corpore nō est illi alligata; ideōque poterit vniri cuicūque corcorpori, vt motor. Præterquam quod anima duo habet, & esse formā, & esse spiritū, primo modo fatētur aduersarij, solū posse mouere corpus à se informatum: at in statu separationis, iam non habet exercitium formæ, sed solū spiritus; ergo poterit mouere corpora, sicut Angeli hoc faciūt, quorū modum essendi, & operandi, licet imperfectē participant animæ separatæ, §. Sed contra est ex D. Thom. q. 16. de malo, ar. 10. ad 2. etsi animæ separatæ sint spiritus, sunt tamen incōpleti, & imperfectissimi in linea spirituali, & infimi; ergo infimā virtutem motiuā habent, ergo non possunt mouere localiter, nisi propria corpora. Tum etiā vt ibi probat D. Tho. in corp. substantiæ Angelicæ, non habent talem potentiam motiuam corporum; sed commensuratā propriæ perfectioni: ita vt minus, aut minora corpora possint mouere imperfectiores Angeli, sed animæ separatæ deficiunt ab Angelis in ordine, & in modo essendi complete; ergo non habent virtutem mouendi, nisi incompletam; sed hæc incompletio est, quia naturaliter sunt formæ corporis, & solum habent esse cōpletum in toto; ergo ibi solū habent vim motiuam. Tum etiā vis motiua

tiua est ad corpus determinatum in omni spiritu; ergo cum anima sit infima, inter spiritus vis eius motiua est ad determinatum corpus, & ad modum determinatum; ergo ad proprium corpus, nam ex separatione non habet distinctum obiectum mobile, neque diuerso modo, quia semper manet infima in ratione mouendi, nec est idem de intellectu, & modo intelligendi, vt infra ostendam, reipõdendo ad obiectiones.

15 Contra 1. concluſ. recentiores insurgunt ad probandum esse improbabilem. Quia nulla ratio assignari potest ob quam animæ separatæ certum ibi locũ non vendicent, & ex eo moueri non possint ad alium, cum sint intelligentes, & volentes, & habeãt modum subsistendi per se, sicut Angeli. 9. Sed ad hoc facillime Respond. ex dictis concl. prima esse saltim rationem offendentem, nõ improbabilitatem illius sententiæ. Contra 2. concl. in qua statuimus probabilius esse, quod animæ separatæ habeant virtutem localiter se mouendi, vix aliquid momenti obijci potest.

16 Contra 3. concl. arg. 2. ex Commentat. 12. Met. text. 33. asserente, quod *anima conuenit cũ substãtijs separatis, in virtute motiua*. Sed substantiæ illæ, scilicet, Angeli mouere possunt corpora localiter; ergo etiam anima separata. Confir. ex D. Thom. q. 16. de malo, ar. 1. ad 19. vbi ait quod *substantia intellectualis separata à corpore potest mouere imperio voluntatis aliquod corpus nõ sibi vnitũ*. Conf. 2. à ratione etiã anima corpori coniuncta, non posset intelligere, nisi obiectum phãtasiarum, & quidditatem sensibilem concretam sensibili corpori, separata tamen potest intelligere obiectum omnino separatum; ergo etsi vnita non posset mouere aliud corpus, nisi dependenter à potentia exequutiua corporea: separata tamen poterit per se mouere corpus, sine dependentia à proprio corpore; vel potentia exequutiua sensitiua, prob. conseq. nam mouet mediante imperio rationis, & voluntatis; ergo si intellectus, & voluntas non pendent à corpore, neque à sensibus in cognoscendo, & volendo in statu separato, neque dependent ab illo in mouendo.

17 Resp. cum Capreol. in 4. dist. vlt. q. vlt. quod anima conuenit cum Angelo in virtute motrice; sed analogicè non vniuocè, & ideô non sequitur, quod habeat idem obiectum, sed anima solum habet virtutem, ad mouendũ proprium corpus, & ad hoc est determinata, sicut virtus motrix sphæræ, Saturnum, v. g. est determinata ad mouendũ, illud nec superius Cœlum mouere potest, vt ait D. Thom. p. p. q. 119. artic. 4. ad 1. Ad 1. Conf. R. p. vbi loqui D. Thom. de substantia separata cõpleta qualis est Angelus; nam de anima ibidem dicit determinatam esse ad mouendum proprium cor-

corpus. Ad 2. Resp. Caiet. loco citato 1.p. non esse eandem rationē, quia obiectum intellectus est ens vt sic, ideôque separata anima à corpore, inuenit suum obiectum in ente separato: at obiectum virtutis motricis est determinatum corpus, scilicet, informatum ab anima; ideôque in statu præternaturali separationis, cum non sit corpus tale informatum ab anima deficiente proprio obiecto deficit virtus motrix ipsius animæ à prioti; nam remoto obiecto, & eius possibilitate remouetur potentia, & actus,

## QVÆSTIO XXXV.

## APPENDIX.

*An esse animam rationalem immortalem sit de fide, & de mente Arist. & ratione naturali, demonstrari possit.*

1 DE hac re vtpotè valde necessaria, valdeque Athæis exosa multi integros tractatus, imó, & tomos edidere; S. Augustin. integrum edidit librum de immortalitate animæ, Augustin. Nymphus, Petrus Greg. Villalpand. & alij, qui latè ostendere conantur immortalitatem esse de mente Arist. Mersenius 60. accumulat rationes ad ostendendum immortalitatem animæ Boberius in Symbolum Fidei prolixā valde instituit disputationem, idemque præstat Thesaurus Catholicus Can. lib. 12. de locis, cap. 19. Soto in 4. distinct. 43. q. 1. Bann. p. p. q. 75. artic. 6. Nos autem ea quæ fidei sunt breuiter attingentes, ad ea quæ directè ad Philosophū spectant disputationis nerues intendemus.

2 Animam rationalem esse immortalem, de fide Catholica tenendum est, constat ex illo Sapient. 2. *Deus fecit hominem inexterminabilem, ad imaginem suæ similitudinis fecit illum*: sed hoc non verificatur quantum ad corpus; ergo secundum animam, & Eccles. 12. vt. *ibit homo in domū æternitatis suæ*. Quod nullam admittit explicationem, hoc idem decernit Leo X. in Concil. Lateran. sess. 8. & probat Concilium ex illo Matth. 16. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitā æternam custodit eam*. Et docet ex omnibus illis locis, quibus dicitur æterna supplicia præparata malis, & æterna gaudia bonis promissa manifestè colligi, aliaque plura adducit D. Thom. 2. contra gent. cap. 79. Vt necesse non sit in re adeò manifesta pluribus testimonijs grauare lectorem, quod si aliqua testimonia in contrarium possent adduci, vt illa *similis est interitus hominum, & iumentorum*. Et alia huiusmodi, loquuntur non de anima, sed de composito ipso, & de homine, qui quidem corruptibilis est, vel in persona impiorum, qui hoc pro certo habere deprauatis operibus obtestantur animam, scilicet, nostrā bru-

brutorum esse similem. Et Respõsio D. Thom. p. p. q. 75. art. 6. ad 1. hac responsione Arhæorũ molestæ obiectiones ex sacra Script. depromptæ, facili negotio retundi poterunt.

3 Aristot. asseruit animæ rationalis immortalitatem, & quãuis ad hoc ostendendum præstãtissima ingenia insudauerint, nobis pauca de multis in mediũ protulisse sufficiat, quo mens Aristot. manifestissima conspiciatur. In primis autem D. Thom. 2. contra gent. cap. 79. & quodl. 10. art. 2. & 8. Phys. lect. 12. & in 12. Met. ad text. 17. expresse tenet Arist. existimasse animam esse immortalem, & opusc. 26. in fine affirmat vltimos libros Metaphisicæ, in quibus de hoc expresse agit Arist. nondum esse latinitati donatos, & ibi explicuisse immortalitatem animæ ex professo, idem ostendit Ferrar. contra gent. cap. 79. & lib. 3. de Anima, q. 10 Durand. in 2. distin. 18. & q. 3. & plures alij supra relati.

4 Ostenditur ex lib. 1. de Anima, text. 14. vbi docet, *quod si operationum animæ aliqua sit propria ipsius* (ideſt, non pendens ab organo corporeo, vt paulo ante dixerat) *fieri potest vt anima separetur*: sed 3. de Anima à text. 7. latè ostendit Aristot. quod *intellectio est operatio propria animæ sine dependentia ab organo corporeo*, quo eliciatur; ergo purificat conditionem, & sentit, quod anima sit separabilis, vt habens esse per se, vt interpretatur D. Thom. ad 1. tex. Sentit ergo esse perpetuam, & natura sua incorruptibilem animam; nam secundũ Arist. forma, quæ absque materia, per se subsistens manere potest separata, & caret principio corruptionis, quia caret materia à qua separatur, & caret contrarijs, & alias connaturaliter coniungitur cum suo esse, sicut circulus cum rotunditate, & per consequens à natura sua dicit inseparabilitatem à suo esse, quæ consequentiæ latere tãtum Philosophium, non potuere cum ex eius doctrina deducantur à D. Thom. p. p. q. 50. art. 5. Cõf. ex verbis Aristot. lib. 2. de Anima text. 21. *De intellectu vero contẽplatiua potentia, nihil adhuc manifestum est* (ideſt per ea, quæ dicta fuerunt) *sed videtur hoc animæ genus esse diuersum, idque solum contingere separari, sicut & perpetuum* à corruptibili, & addit *ratione vero differre manifestũ est*: ergo secundum Arist. intellectiuum principium, à sensitiuo, importat rationem diuersam, & diuersitas consistit, ineo quod distat principiũ intelligendi à principio sentiendi, sicut perpetuum à corruptibili; ergo anima, vt intellectiua ex se, & ex natura intellectiuæ, incorruptibilis, & perpetua est; ergo ad summum posset corrumpi per accidens, si separari non posset à sensu; ergo si separari potest, manet incorruptibilis. Hoc ipsum liquet ex eo, quod 3. de Anima docet text. 6. *Quod in-*

*intellectus nō habet organum corporale est immixtus corpori.* Sed secundum Aristot. si anima intellectiua non dependet ab organo corporeo, ad intelligendum, separabilis est à corpore, etsi separabilis est, tanquam perpetuum à corruptibili, separabilis est; ergo secundum Aristot. anima nostra perpetua, & incorruptibilis est.

5 Hoc ipsum mirificè confirmat Aristot. de Anima, text. 20. *Sic separatum autem, id solum quod est, atque id solum est immortale perpetuumque:* nec grauabor verba subijcere D. Thom. ibi: *Docet ergo quod solus intellectus separatus, est hoc quod verè est, quod quidem non potest intelligi, neque de intellectu agente, neque de intellectu possibili tantū, sed de vtroque, quia de vtroque supra dixit, quod est separatus, & sic patet, quod hic loquitur de tota parte intellectiua, quæ quidem dicitur separata ex hoc, quod habet operationem suam sine organo corporali, & quia in principio huius libri* (id est lib. 1. text. 14.) *dixit quod si aliqua operatio animæ sit propria, contingit animam separari. Concludit quod hæc sola pars animæ, scilicet, intellectiua est incorruptibilis, & perpetua,* & hoc est, quod supra posuit in 2. text. 21. *Quod hoc genus animæ separatur ab alijs, sicut perpetuū à corruptibili, dicitur autem anima perpetua, non quod semper fuit, sed quod semper erit.* Vbi mirō artificio omnia testimonia Arist. colligat D. Thom. & apertissimè manifestat eius mentem planissimè asserentē animæ intellectiuæ immortalitatem, & separabilitatem, ex eo quod intellectio, quæ fit ab anima informante corpus separata est ab organo corporeo.

6 Dicendum est 3. Ratione naturali demonstrari, & conuinci potest euidenter animam rationalem esse immortalem, & de facto conuincitur sic, & demonstratur, quod neque per se, nec per accidens possit corrumpi ab intrinseco (licet ex omnipotentiæ suæ plenitudine potestatis operāte Deo possit ab extrinseco desinere esse Deo suspendente concursum conseruatiuum, quod & Angelis etiam competere potest.)

7 Quod immortalitas animæ sit ratione naturali demonstrabilis constat. Tum quia Sapien. cap. 2. *Stulti & insipientes vocantur, qui hoc negant*; ergo quia opponitur eorum error sapientiæ naturali, & lumini rationis. Tum quia in Concil. Florent. sub Leone X. sess. 8. statuitur, *Quod per se est forma corporis, & immortalis anima nostra:* at quod per se conuenit naturæ alicui demonstrabile est: ergo. Hoc ipsum cōfirmant August. lib. 13. de Trinit. cap. 9. & Chrisost. serm. 4. de Prouid. asserentes, non minus esse dubitādum à Philosophis de animæ immortalitate, quam an sit dies in meridie; existimant ergo ratione naturali euidentissimè demonstrari animarum immortalitatem. D. Tho.

p.

p.1.q.75.art.2.& 6.dicit *esse manifestè necessarium, quod anima sit subsistens,& incorruptibilis,*& ibi Caiet. putat demonstrativè ostendi à Doctore S.& contumaciam, aut tarditatem Scoti accusat, quod in tanta luce calliget,& vellit refragari demonstrationibus adductis à D.Thom.

8 Sed melius prob.hoc adducendo demõstrationes ipsas, quibus vtitur D.Tho.p.p.q.75.art. 6. Anima rationalis, nec per se, nec per accidẽs est corruptibilis, ergo incorruptibilis, prob. conseq. nam quod per se est,& caret principijs inducentibus corruptionem, siue per se, siue per accidẽs, necesse est, quod perpetuo sit, & permaneat corruptũ. Quod anima per se non sit corruptibilis, quæ est prima pars antecedentis prob.idest, per se incorruptibile, quod est compositum, in quo forma separatur a materia: sed anima non est composita, sed est forma simplex; ergo ipsa per se non est corruptibilis, si enim defineret esse non per corruptionem, sed per annihilationem, secundum se totam defineret esse; at sic non esset corruptibilis, sed ad summum annihilabilis. Sic autẽ ab intrinseco annihilari non potest, quia forma ab intrinseco connectitur cum existẽtia, tanquam cum propria passione, quia actus secundus est passio actus primi, non minus quam rotunditas sit actus circuli, vt docet D.Tho.p.p.q.50.art. 5.ergo sicut omnis passio est inseparabilis à subiecto, atrẽtis principijs intrinsecis, ita ab anima erit inseparabilis existentia, semel illi cõmunicata ab extrinseco creante, quãuis Deo ab extrinseco suspendente concursum possit anima annihilari, sed adhuc dato quod anima, vt potẽs subsistere separata à corpore esset cõposita ex materia aliqua, adhuc non esset per se corruptibilis, quia compositio hæc non sufficit ad inducendũ corruptibilitatem, vt patet in Cœlo, quod est compositũ ex materia,& forma,& tamẽ est incorruptibile, sed insuper requiritur, quod sit subiectum qualitatũ cõtrariarum: ex quarum pugna sequatur corruptio cõpositi: at anima vt intellectiua, non est subiectum qualitatum contrariarum, actiuarum,& passiuarum, quia nõ est composita ex elementis, vt 1. lib.de Anima, latè ostendit Arist. cõtra antiquos Philosophos, ideò que eã, quæ in re sunt contraria, in intellectu contraria non sunt, quamobrem anima vnum contrarium per aliud cognoscit,& species caloris,& frigoris, albi,& nigri, non exercent contrarietatem in intellectu; ergo ex nullo capite potest colligi, quod anima rationalis sit per se corruptibilis ab intrinseco, quia forma est principium essendi, & est principium, actus secundi, essendi, seu existendi, cum sit actus primus in linea essendi, sicut potẽtia operatiua est principium operandi, & non est principium destruendi

di operationē; ergo vndique constat animam rationalem, per se esse incorruptibilem ab intrinseco.

9 Quod autem nec per accidens sit corruptibilis, prob. quod corrumpitur, per accidens, per aliud corrumpitur, in quo est, & sic formæ competit corrumpi, per accidens, quia est in composito, tanquam pars, at anima rationalis, per se potest subsistere, indepēdenter à composito, quia per se est immaterialis, vt latè ostenderat D. Thom. eadem q. 75. art. 2. ergo non corrumpitur per accidens, ad corruptionem compositi; nam etsi illud corrumpitur, habet, vnde separata ab illo possit subsistere per se; ergo nec per se, nec per accidens potest corrumpi anima rationalis.

10 Secundo prob. D. Thom. 2. contra gent. cap. 79. & p. p. q. 75. à posteriori sic. Iuxta Arist. 2. Met. tex. 4. *Vnaquæque res declaratur, ex sua operatione, & virtute*; sed anima intellectiua habet operationem independenter à corpore, tanquam ab organo; ergo habet esse indepēdens à corpore, & potest conseruari sine illo, ac per consequens est omnino incorruptibilis. Secunda conseq. satis liquet, ex dictis num. ant. corruptio enim, nō est nisi per separationem formæ, à materia; ergo forma simplex separata à materia existens, cum non possit à se ipsa separata erit incorruptibilis, prima conseq. constat ex Arist. 1. de Anim. tex. 14. *Si anima habet aliquam operationem propriā seri poterit, eamdem à corpore quolibet separatam manere, atque viuere.* Minor autem in qua est difficultas prob. (nā maior, inductione manifestē constat) intelligere, est actus & operatio, absque organo corporeo elicita, estque propria animæ, vt intellectiua; ergo vera est minor. Ant. prob. Tum ratione, tum inductione, ratione quidem, quia intellectus media intellectione intelligit omnia corpora; ergo vacat à corporē, & ab organo corporeo; *nam intus existens prohibet extraneum*, vt Arist. demonstrat lib. 3. de Anima, ad text. 4. toto capite 1. ergo intellectio, est non affixa organo corporeo minor potest probari, quia qualis vnusquisque est talis ei finis videtur, & litem gerentes exigunt iudicem ab odio, aut amore vacantem, vt sit incorruptum iudicium; & in sensibus, si enim pallatum sit affectum aliquo sapore, alia non gustat, nec oculus colores alios discernit, si pupilla aliquo colore sit affecta: alias probationes elegantissime vrget, & congerit Bann. 1. p. q. 78. artic. 6. dub. 2. conclus. 2. qui est omnino videndus. Mi. principalis etiam constat experientia, quæ ex inductione ortum habet; nam iudiciū intellectus, sicut & appetitus rationalis repugnant his quæ appetunt sensus, vt Paulus testatur, & quotidiē experimur; ergo distinguitur iudicium sensus ab intellectuali iudicio; ergo quia abstrahit

strahit à bono corporeo sensus; ergo quia intellectus corpori, & sensui immixtus est, & independens, quod si pro hoc statu depēdet, à phantasmatibus hoc non obstat rationi factæ, vt ex Respōsione ad argumenta, liquet. Si autem anima operatur à se, ergo habet esse à se indepens à corpore; ergo ex natura sua est per se subsistens, ergo incorruptibilis.

11 Prob. 3. vlt. rat. D. Tho. citato art. 6. quam dicit esse signum, quo stabiliuntur præcedentes rationes quamque expendunt satis Auctores Caiet. ibi, & Ferrar. 2. contra gent. cap. 55. quāuis M. Bann. vbi supra velit solam esse congruentiam, non verò demonstrationem, & procedit sic ratio. Anima intellectiua mediāte appetitu elicito appetit naturaliter esse semper; ergo anima intellectiua est incorruptibilis: pro. conseq. nullus appetitus naturalis datur frustra; ergo si anima naturali appetitu elicito appetit esse semper, est incorruptibilis, alioqui frustrabitur ille appetitus. Ant. autem prob. appetitus naturalis elicitus sequitur cognitionem, & tendit in bonum, eo modo quo proponitur ab intellectu: sed intellectus vt distinguitur à phantasia, & æstimatiua nō proponit esse vt contractum ad hic, & nunc; sed proponit esse, & durationem, vt bonum quoddā abstrahendo ab hic, & nunc: ergo proponit esse, absque circūscriptione ad aliquam temporis differentiam; ergo absolutè, & secundum se; ergo vt perpetuum.

12 Dices ex hac ratione in primis solum colligi, ad summum esse perpetuum esse possibile, seu non repugnans animæ ab extrinseco, non autem ab intrinseco; nā vt sit appetitus naturalis non requiritur, quod bonum propositū necessario conueniat; sed sufficit proponi, vt bonum, & perfectum connaturale, & non repugnans ab intrinseco; eo enim ipso est determinata voluntas, quoad specificationem ad amandum tale bonum; nam etiam appetit voluntas scire, & beatitudinem naturalem, & tamen non est necessario sciens, neque beata, & peccator supposita fide appetit appetitu efficaci spei beatitudinem supernaturalem; & tamen inde non sequitur, quod ab intrinseco sit beatificabilis, sed solum hoc esse possibile in eodem ordine supernaturali. Vnde D. Thom. p. p. q. 12. art. 2. ex naturali desiderio elicito vidēdi causam visis effectibus probat visionem Dei in se possibilē esse creaturæ rationali; non autem quod ab intrinseco, & necessario sit visio Dei necessaria. Eum etiā eodem medio, & ratione sumpta à desiderio probat D. Thom. 4. cō. tra gent. cap. 82. esse possibilem resurrectionem, & reuniōnē animæ ad corpus, & tamen inde non sequitur hoc esse necessariū, imō neque esse possibile naturaliter ex parte principij, quamuis sit possibile ex parte termini, quia

res

res quæ appetitur est naturalis; sicut visio in se, si restituatur cæco res naturalis erit, etsi modus habendi sit supernaturalis; ergo ratio facta non suadet, neque demonstrat animam esse immortalem, in se, per intrinseca principia, sed ad summum, quod illud esse semper est perfectio non repugnans animæ, & eiusdem ordinis, non autem quod hoc non proueniat ab extrinseco, & per gratiam, ac perinde, vt potens desicere.

13 Sed contra hoc est in primis quod D. Thom. non vt cumque probat incorruptibilitatem animæ ex appetitu, sed ex appetitu elicito consequuto ad intelligere apprehendente ipsum esse abstrahens ab hic, & nunc. Ex quo sequitur non solum obiectum esse possibile animæ, sed etiam subiectiuê habere principium intrinsecum, vt ponatur tale bonũ; nam sequitur appetitus iste ex cognitione boni in vniuersali; ergo quia principium cognoscens ex se est supra tempus, & motum; ergo supra corpus, ergo spirituale, ergo independens in esse à corpore, ergo subsistens, ergo perpetuum; & incorruptibile: & sic D. Tho. docet hoc medium appetitus ad esse semper, conceptum per intellectum esse signum incorruptibilitatis animæ: sed signum euidẽs, & necessario inferens, ac perconsequens demonstrans animæ incorruptibilitatem; nam sicut iam probauerat in illo art. & maximè 2. contra gent. cap. 79. fat. 3. ex eo quod intellectus est vniuersalium, & incorruptibilium optimè ostenditur, quod anima intellectualis sit subsistens, & incorruptibilis, stat ergo optimè quod appetitus præcisè sumptus si sit naturalis, & efficax solum ostendat possibilitatem boni appetiti secũdum se, & quod appetitus elicitus boni abstrahentis ab hic, & nunc, vt cõsequitur ad cognitionem talis boni, demonstret à posteriori principium talis appetitus, esse incorruptibile per principia intrinseca. Præterea D. Th. 2. contra gent. cap. 55. & Ferrar. ibi explicant, si hoc modo, quæ habent physica principia ad resistendum, corruptioni, ad tempus appetunt innate esse ad tempus, vt omnia corruptibilia, quæ autem habent principium durandi semper appeterent innate esse perpetuum, vt patet in cœlo; ergo quæ habent ex parte principij appetitus eliciti principium cognoscitiuum ipsius esse, tantum contractum ad tempus determinatum appetunt esse ad tẽpus, vt in brutis contingit, quæ autem cognoscunt esse, sine contractione ad tẽpus appetunt esse perpetuo; ergo anima rationalis hoc habet, ergo sicut appetitus innatus cœlorum arguit principium intrinsecũ incorruptibilitatis in linea materiali, non cognoscitiua, sic appetitus rationalis arguit in anima rationali, esse principium intrinsecum, ad resistẽdum corruptioni,

ex

êx eo quod talis natura est: ergo nõ ex eo, quod sit desiderium, sed ex eo quod tale, & in tali subiecto, & cum tali proportione, sequitur animã nostrã esse ab intrinseco incorruptibilem. De hac ratione, videndus est Caiet. orat. citat. ad Iulium II. & tota vis rationis consistit, vt ait Ferrar. in eo quod apprehensio in habentibus intellectum se habet ad appetitum elicitum, sicut forma naturalis se habet ad appetitũ innatum in non habentibus cognitionem.

14 Resp. Scotus, in ratione facta manifestè peti principium, & nihil ad intentum probari, quia vel est sermo, de appetitu naturali efficaci, & absoluto, aut de conditionato, & inefficaci, si secundum nihil conuincitur, cum iste possit dari, etiam ad impossibile, si primum petitur manifeste principiũ, quia prius debebat probari, esse possibilem, & necessariam immortalitatem animæ, & si hoc non probatur facile Respondebitur negãno illum appetitum ad essendum semper esse efficacem, & absolutũ, etiamsi apprehendatur ab intellectu esse abstractum, vt conueniens, quia intellectus ex eo quod aliquid concipit, nõ facit esse possibile, & necessario cõueniẽs illi, cui apprehendit esse conueniens, quod ostenditur; nam intellectus etiam apprehendit, quod esse absolutè, & absque restrictione est conueniens composito humano *nolumus spoliari, sed super vestiri immortalitatẽ* (inquit Paulus) & tamen compositum non est incorruptibile; ergo idem poterit dici de anima, quin ratio facta demonstratiua cogat, vt sic non Respõdeatur. Denique intellectus solum apprehendit esse semper negatiuê, quatenus non apprehendit esse contractũ ad hic, & nunc; ergo ex ratione facta solum infertur perpetuitatem in esse conuenire negatiuê, & nõ repugnanter, non verò positiuê.

15 Sed contra has Responsiones, quæ absq; dubio subtiles sunt, sic insurgo ex Ferrar. & Caiet. Appetitus ad esse, non est sicut appetitus aliarum perfectionum, sed est necessarius, & naturalis, de quo D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 1. ac proinde eo modo appetitur, quo sunt principia intrinseca illius; ergo ex appetitu ad esse semper duo inferuntur, & quod sit naturalis efficax, & absolutus, & quod supponat principia intrinseca ad tale esse semper; non ergo petit principium D. Th. sed miro ingenio demonstrat intentum. Tum etiam D. Thom. ex quo fit appetitus elicitus in anima ad esse semper, ex apprehensione boni abstrahentis ab hic, & nunc, reddit rationem efficacem, quare appetitus est efficax, vt ostensum est, & quare ex parte subiecti habet principium intrinsecum ad essendum semper; ergo non petit principium. Nec est idem de appetitu, vt sit semper compositum. Tũ quia de hoc est sola velleitas. Tum quia apprehensio boni illius, quod est esse semper, non est apprehensio totius suppositi, sed operatio

propria solius animæ, vt in prima ratione ostendi, & solum denominatiuè est compositi, quatenus totum denominatur agens ratione actionis, quæ est ab eius parte; ergo ex quo apprehendat bonum esse composito esse semper non colligitur compositum esse incorruptibile, sed solum animam, quia solum ab illa est, tãquam à principio apprehensio ipsius esse, absque limitatione hic, & nunc dicebamus num. 12. (& si addas quod non arguit D. Thom. nisi ex apprehensione recta: cum cognoscat mutabilitatẽ, & ægritudines, & mortẽ corporis, non potest apprehendere esse, vt conueniens corpori semper absolutè) vel ita semper in eo quod appetitus ad esse semper, non ratione obiecti, sed ratione principij arguit intrinsecam incorruptibilitatẽ. Contra vlt. partẽ Resp. est, quod ex apprehensione ipsius esse semper negatiuè, vt est quid repræsentatum optimè colligitur perpetuitas positiua in esse, ex parte formæ, quæ est principium, quia intelligere abstrahendo ab hic, & nũc arguit esse spirituale, & subsistẽs in anima, & inseparabilitatẽ, ab intrinseco respectu existentiæ, vt in ratione secunda ostendi, & ideô dixit D. Thom. quod appetitus est signum hanc incorruptibilitatem animæ demonstrans. Præterea in illa semper negatiuè includitur esse semper affirmatiuè, quia si ponitur in re esse semper negatiuè, vt non habens principium corrumpens affirmatiuè ponitur perpetuitas; ergo ex quo apperatur tale esse vt in re ponendum, appetitus esse positiuè semper; ergo si semel ostenditur, quod ex illo appetitu habet anima principium cõsequendi tale esse, prob. etiam quod sit incorruptibilis, & immortalis positiuè. Vide Caiet. cit. q. art. 6. vbi acutissime hoc ostendit, & prosequitur.

16 Denique Prob. rat. D. Tho. q. de Anima, art. 14. quotquot negarunt animæ immortalitatem, destruxerunt aliquod euidens principium in philosophia; ergo tantum abest, quod stãdo in principijs philosophiæ sit incerta animæ immortalitas, quod potius stare non posset hoc sine illo, ac per consequens ex principijs philosophiæ, qui coacti sunt negare, qui de immortalitate animarum dubitant infertur euidenter demonstratiuè immortalitas, prob. ant: nã alijs ex eo fecerunt animam nostram corruptibilem, quia intellectum non distinguebant à sensu; alij quia asserebant animam ex materia componi; alij quia ponebant intellectũ esse separatum, & vnum in omnibus, & ideô putabant ex eius indepẽdẽtia à corpore non tolli indepẽdentiam animæ; ergo negantes animæ immortalitatem, negarunt manifeste principia philosophiæ; ergo ponentes talia principia vera, demonstratione deducuntur in hanc veritatem, vt ex adductis rationibus satis constat, & quilibet poterit præstare; nam si anima est pura forma indepẽdens in esse, & ope-

operàri materia est, absque dubio incorruptibilis, & immortalis.

17 Contrà 1.conclus.arg.1.Secundum Aristot.lib.1. de Anima, text.12.hæc conditionalis est vera,& necessaria, si intelligere est phantasia, aut non sine phantasia, anima intellectiua non est separabilis,sed intelligere nostrum non esse sine phantasia docet Arist.lib.3. text.30.& 39. ergo sentit quod anima intellectiua est separabilis à corpore,ac perinde nec immortalis.Con.1.Nihil quod incipit esse est æternum secundũ Arist.1.lib.1. de Cœlo, text.102.sed anima incipit esse cum corpore,ex Aristot. 12.Met.tex.16.ergo sentit Arist. animam non esse æternam. Con.2. partes,quæ possunt manere separatæ sunt elementa,ex 7. Met.text. 90.sed anima non est elemẽtum,ex lib.1.de Anima,ergo nõ potest separata manere à toto.Con.3. Ex operatione cognoscitur esse rei,sed propria operatio animæ corrumpitur in nobis corrupto corpore, imò & intellectus passiuus,vt ait Arist.lib.1. de Anima,tex.65.& lib.3.text.20.ergo.

18 Resp.ex D.Thom.2. contra gen.cap.81. Ferrara ibidem, quod maior est vera,sed in minori loquitur Arist.de intelligere, pro hoc statu,non autem de intelligere animæ secundum se, quia hoc saluatur,etiam sine phantasmate, ex eo quod semper remanet idem obiectũ potentiæ essentiale, scilicet, ens, & verum, quod & Caietanus innuit lib.1.de Anima,cap.1. exponens illam Aristotelis conditionalem,§.Si dicas : vnde colligitur, quod Aristot.ibi tantum loquatur, de intelligere,pro statu vnionis, & non de omni intelligere possibili animæ; nam cum dicat,quod si intelligere nostrum, non est sine phantasmate, non est separabilis anima, & postea dicat quod non est sine phantasmate; sequitur ipsum sentire,quod non est anima separationis capax,ac proinde, quod nec sit intelligere aliud:præter id,quod habet in statu vnionis.Resp.ex D.Thom.quem ibidem refert Ferra.quod Aristo. sensit animam separari posse,& tũc habere modum intelligendi, sine phantasmate;licet sit ineditus ille liber, quem refert D.Tho.opusc. 16. & ideò germane glossatum, quod in maiori illa conditionalis loquitur,de intelligere animæ, secundum se,& in minori de intelligere restricto ad hunc statum,& ideò merito,nego consequentiam, quod Aristot.senserit animam nostram, esse à corpore inseparabilem,aut mortalem, §.Ad 1.& 2. Con.ex quibus sibi persuasit Scotus Arist. dissentire animæ nostræ immortalitati. Resp.Cum eodem Ferrar. ibi, & q. 10. citat. quod Aristot. docet omne elementum manere corrupto composito, non verò quod sola elementa, hoc habeãt,aut quod omne quod corrupto composito remanet est elementum,& ideò non vrget illud argumentũ, & quod Arist. solũ tenet,

quod non est æternum, quod incipit per generationem; sic autē non incipit anima nostra, sed per creationem; & ideó ex eo quod si æterna non sequitur repugnantia in dictis Aristot: qui potius affirmauit animam intellectualem de foris venire, quæ autem obijci possunt contra hanc resp. vide apud Ferra. in fine comment. illius cap. 81, Ad vltim. Resp. cum D. Thom. citato cap. 81. ex 2. contra gent. Aristot. solum sentire, quod intellectio, & intellectus passiuus corrumpuntur non secundum se, sed quantum ad dependentiam à phantasmatibus, corrupto composito, quod contra nos urgere non potest.

19 Contra 2. conclus. stant Scotus, & Caiet. ad cap. 3. Eccles. haſt. asserens. *Animam esse immortalem nullum Philosophorum demōstrasse*, & ad cap. 9. epist. ad Rom. ait, *se nescire, sed tantum credere animæ immortalitatem*, & contra illā arg. 2. Immortalitas animæ demōstrari, non potest independenter ab aliquo articulo fidei, sed quod sic solum demonstratur, non demonstratur lumine naturali, & Philosophicè, sed solum Theologicè, & lumine fidei; ergo immortalitas animæ non potest sciri, aut demonstrari lumine naturali. Prob. mai. dependet ab illo principio fidei, quod sit possibilis resurrectio mortuorum, & de facto sit, quod cum sit miraculosum, & supernaturale sciri non potest lumine naturali; alioqui possibilitas mysteriorum fidei, posset demonstratiuè cognosci lumine naturali; ergo. Prob. ant. nisi mens innitatur illi principio fidei habet duo principia naturalia contra se, immortalitas animarum; sed nulla veritas potest demonstrari habens contra se principia naturali lumine cognita; ergo. Prob. mai. Si detur immortalitas animæ non cognita possibilitate reuniōnis, verificabitur aliquod violentum, seu aliquid quod est contra, vel præter inclinationē naturæ esse perpetuum, cum tamen status vnionis, qui est connaturalis non duret, nisi finito tempore, contra rationem tamen est, quod violentum sit perpetuum, & naturale sit tēperale. Tum etiam. Sic data immortalitate dabitur naturalis appetitus in anima ad corpus, quia omnis pars ad totum inclinatur appetitu naturali, & erit frustraneus cū viribus naturæ animæ fieri, neque cognosci possit possibilitas reuniōnis; ergo immortalitas animæ manifestè pugnabit cum illo duplici principio, nihil violentū est perpetuum, & cū nullus appetitus naturalis detur frustra, quia Deus & natura nihil faciunt frustra; ergo non potest demonstrari. Hoc ipsum docuisse videtur D. Thom. in comment. 1. ad Corinth. 14. lect. 2. ad illa verba: *Si nō est resurrectio mortuorum, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, quia, scilicet, multa passi sunt Apostoli in hac vita, & hoc maneret irremuneratum, si nō esset resurrectio, vt qui in corpore passi sunt, etiā in corpore retributionem habeant, quibus quia

pos-

poterat Responderi, non manere irremuneratos iustos, quia anima manente immortali æternæ vitæ præmium accipere possent. Instat D. Thom. ibi dicens, per hoc non satisfieri quærelæ illi, quod essent miserabiliores, quia *si negatur resurrectio corporum, non de facili, imò difficile est substinere immortalitatẽ animæ, quia nihil violentum debet esse perpetuum*, at si ratione naturali idem ostrari posset immortalitas, absque fide resurrectionis, non esset difficile, & facile substinere immortalitatem animæ, quia demonstratio generat scientiam, & hæc facilitatem ad assentiendum scitis, & defendendam eorum veritatem; ergo videtur, quod Sanct. Thom. sentiat sola fide præsupposita posse demonstrari animæ immortalitatẽ.

2o Resp. iam constare ex Cõcil. Lateran. 3. sub Leone X. sess. 8. doctrinam de immortalitate animæ, nullo principio philosophico opponi, sicut constat etiam ex illo, & ex Conc. Vien. in Clem. de sum. Trinit. ita esse animam per se immortalitatem, sicut per se est forma corporis, ac perinde, quod cum nõ sit veritas immediata habet mediũ quo demonstretur, quia propositio per se non immediata, per medium innotescere potest, & perconsequẽs constat independenter à principijs fidei, & ab artic. 1. resurrectionis posse demonstrari, sicut demonstratur esse formam corporis, per pura principia naturalia, vnde sicut de facto demonstratur hoc, ita etiam immortalitas animæ, nõ ergo est sicut quadratura circuli, de qua scimus, quod est demonstrabilis, secundum se, licet non dum sit demonstrata, vt ait Aristot. 1. post. quamobrem immortalitas animæ, non opponitur illi principio, quod nihil violentum est perpetuum; nam animam manere separatam, non est violentũ animæ simpliciter, sed præternaturale ex accessu ad naturam superiorem; vnde sicut supposito, quod causa vacui esset perpetua, lapidem esse extra centrum, esset perpetuum, quia non est directè contra; sed præter eius naturam particularem, quod autem plus duret hic status, quam vnionis, facit, quia vnio per accidens admittit contrarietatem qualitatũ, ex parte corporis, & sic parum durat, at hoc supposito privatio vnionis perpetua est, quia de privatione ad habitum, non datur regressus per naturam, aliàs anima esset subsistens, & immaterialis, & ideô status separationis lumine naturali debet esse perpetuus, nec immortalitas animæ est contra alterum principium, quod non detur appetitus naturalis frustra, nam appetitus animæ ad corpus supposita separatione à corpore, & privatione vnionis, non est consequẽs, sed antecedens, quia non est ad corpus, vt reuniendum supposita privatione, sed ad corpus secundum se, sicut appetitus materiæ primæ ad formã amissam, ideôque nõ mirũ, quod sit frustraneus, imò nõ

est

est frustraneus; quia nō fundatur in potentiate naturali ex parte principij actiui, ad vnionē requisitam, sed solum in proportione ad terminū, idest, ad corpus secundū se, vt enim nō sic frustraneus sufficit aliquando fuisse potuā in executione ad vnionem, quamuis ex suppositione priuationis, quæ est per accidens, non possit poni, vt patet in cæco habēte appetitum ad visum amissum.

21 Nec testimoniū D. Th. ostēdit immortalitatē animæ esse indemonstrabilē, non credito articulo resurrectionis; sed solū esse difficilē maximē promiscuo populo hoc suadere, *quia veritas hæc solū apud Sapientes est nota*, vt monuit Caiet. orat. 4. ad Ipl. Pont. to. 3. opusc. ideōque debet supponi fides, quia hæc etiā est necessaria ad veritates demonstrabiles lumine naturali, vt docet D. Th. p. p. q. 1. art. 1. & 1. cōtra gent. c. 4. & 6. maximē quādo veritas naturaliter cognoscibilis est, admixta aliquibus erroribus, sicut hæc erat, vt ostendit D. Tho. 2. contra gent. c. 79. & q. de Anima, art. 4. ideōque ad suadēdū virtutē, & ne existimarēt Christiani, se esse miserabiliores omnibus hominibus, relicta suasione de immortalitate animæ: Paulus ex resurrectionis fide, elevat auditores, & gentes, quibus prædicabat ad suadendū fœlicitatem iustorū in noua lege, & simul ingerit notitiam immortalitatis animæ, quod cū maiori firmitate, & facilitate cōpēdiose firmatur per fidē, quam per argumētationes philosophicas, quæ vel ex defectu demonstrantis, aut audientis solent admiscere plurimis falsitatibus, & ideō miratur Aug. epist. 3. ad Volusianū, quod cū tot lites præcesserint inter sapientissimos Philosophos, circa animæ immortalitatē, & pauci eā fuerint asse quuti, nūc tamē firmissime habent pro certo idiotæ, & mulierculæ, & à nullo Philosopho possunt dimoueri ab hoc assensu, quod elegāter prosequitur Villalpādo in opus. de immortalitate animæ in principio.

22 Arg. 3. ad idem, Suppositō, quod mūdus potuerit esse ab æterno, vt statuit D. Th. p. p. q. 46. art. 2. immortalitas animarū arguit dari posse infinitū in actu; sed hoc est impossibile, non solū in entibus naturalibus, sed etiā in immaterialibus, vt etiam demonstrat D. Th. p. p. q. 7. art. 4. ergo esse animam nostram ab intrinseco immortale opponitur manifesto principio philosophico; mai. prob. nā si ab æterno Deus creasset mundū infinitæ fuissent generationes; ergo infinitę animæ in actu, quia manerēt incorruptæ, & semper existētes. ℣. Ad præterquamquod huic argumento responderi potest ex dictis l. 8. Phys. nunc tamen aliter Resp. quod hoc argum. sicut non suadet Angelos, non esse incorruptibiles, quia Deus ab æterno potuit creare Angelos in quolibet instanti, sic neque arguit, nec conuincit animā non esse immortalē. Vnde sicut aduersarij tenentur componere immortalitatē Angelorum data hypothesi æternitatis mundi, cum negatione infiniti

ri in actu: sic & nos idē poterimus cōponere applicādo ad nostrū commodum, quod ipsi respōderint ad instantiam propositā. Resp. igitur, quod eo dato nō daretur infinitū in actu carthegorematicē, sed tātum synchategorematicē, quia sēper daretur anima possibilis, nondum creata, & numquam perueniri posset ad vltimam, dari autem in actu infinitum synchategorematicē, in substantijs immaterialibus, absurdum nō est, vt fatetur D. Th. in eodē art. quia infinitū in potētia secundū multitudinem, nō dicit repugnantiam cum ente creato, quia multitudini sic infinitæ in potētia, potest fieri additio, vsque in infinitum, vt ibi docet D. Th. & Caiet. & communiter interpretes ad illum art. & nos in Phys. lib. 3. q. 8.

23 Si instes hic probari, quod à parte post non sit infinitū in actu, & chategorematicē, sed tantum in potentia, & synchategorematicē, non verò prob. quod si mundus esset ab æterno, & generationes, etiā essent ab æterno, non essent actu infinitæ animæ, quia cum à parte ante sint generationes, & distantia infinita, & infinitæ generationes essent, & productiones præcessissent, quāuis in numerando non posset à nobis inueniri prima; ergo essent infinitæ animæ actu existentes, si animæ nostræ semel productæ sunt immortales, & incorruptibiles.

24 Resp. cum Ferrar. citat. q. 10. ad 8. in primis certū esse Arist. solum negasse multitudinem infinitā in actu, respectu eorum, quæ ex diuisione quantitatis resultant, nec de immaterialibus loquutum fuisse, ac proinde quid Respōderet supposita æternitate mundi, de infinitate animarū nesciri, quia latet nos quid Arist. Responderet proposita obiectione, nec nisi pure diuinādo posse nos inuestigare, quid ipse ad hoc diceret. Certum insuper est, quod D. Th. p. p. q. 46. art. 2. tenet quod si Deus voluisset sua potētia vti, nulla est repugnātia in eo quod mundus inceperit ab æterno, quibus suppositis vno ē duobus modis satisfieri potest argumento proposito (cuius vires robustissimæ sunt) aut quod generatio nō fuisset æterna, sed certo, & determinato tempore post creationem, aliarum rerū corruptibiliū, aut quod hoc quod sint generationes hominum æternæ, non repugnat ex parte Dei, sed ex parte facti, ne detur infinitū in actu, quibus exacte expensis, & cōsideratis soluitur argumētum, nec hoc est confugere ad miracula, sed potius ad naturæ principia. Ex quibus constat infinitū in actu repugnare, ex quibus etiam constat animam nostram fore immortalē; ergo hæc principia, & veritates, non debent sibi ipsis repugnare, neque in se, neque in his, quæ ex ipsis cōsequūtur, sicut enim certum est album esse nigrum esse possibile, & tamen plures dicunt implicare, quod simul sit aliquid album, & nigrum in gradibus intensis, imō, & hoc docet D. Tho. 1. 2. cont. gent. c. 84. & 1. 2. q. 25. sic mundum esse ab æterno, & animas rationales esse

esse immortales possibile est, & necessarium ex principijs naturalibus, & tamen quod infinitæ animæ producantur possibile non est, quia essent simul infinita, & ideò Deus, aut non crearet à principio animas rationales, aut aliquas annihilaret, aut ab æterno non fuissent generationes hominum, quia hoc repugnat ex parte facti.

25 Denique arg. Non constat euidenter ratione naturali animã esse spiritualem, & per se subsistentem; ergo non constat esse immortalem, conseq. est nota. Ant. pro prima parte prob. non constat esse spiritualem ex eo quod cognoscit omnia corpora, ac per consequens quod debet esse denudata à natura corporis. Tum quia non cognoscit naturaliter omnia corpora, sed ea tantum quæ percipit per sensus, ideôque Corpus Christi Domini, sub speciebus non cognoscit. Nec cognoscere omnia corpora arguit, non esse corpoream, quia pupilla lucida est, & tamen omnia lucida videt; ergo etsi anima corporea sit poterit omnia corpora cognoscere, quod autem non constet animã nostram esse per se subsistentem, prob. quia essentialiter est forma incompleta; ergo per se pendens à corpore, tam in esse specifico, quàm individuali; ergo sicut hac ratione accidens, non est per se subsistens, neque anima nostra erit per se subsistens.

26 Resp. negato ant. quod latè constat ex supra adductis. Ad primam prob. Resp. quod intellectus cognoscit ex se omnia corpora, quia nullum corpus est ita cognoscibile per sensus, etsi corpus Christi, non cognoscitur per accidens est ratione modi supernaturalis, quem habet, & quia cognoscit intellectus corpora, quoad quidditatem, arguitur non esse corpus affixum organo, quia si esset intellectus corporeus, nullum corpus cognosceret, quoad quidditatem in vniuersali, & ideò dato quod non cognosceret intellectus omnia corpora, benè argueretur esse spiritualem ex modo quo percipit ea quæ de facto cognoscit; potentia autem visiua non est lucida in se formaliter, sed habet lucernam in medio proximo, & ideò potest alia lucida cognoscere, quia lux est quo, non quod solum cognoscitur. Ad alia quæ pro 2. parte probat. adducuntur Respon. quod anima nostra numquam pendet à corpore, quãtum ad esse simpliciter, sed quantum ad benè esse, ideſt, quantum ad esse completum, quamuis in ordine ad corpus indiuiduetur, at accidens pendet ab alio, tanquam à subiecto dante esse, & ideò non sequitur, quod anima non sit per se subsistens, sicut accidẽs non est per se subsistens.

*Cædant hæc omnia in laudem Omnipotentis Dei, & Deiparæ Mariæ, B. Thomæ Angelici Doctoris, & in obsequium Romanæ Ecclesiæ, cuius correctioni me, & quæcumque scripsi libentissimo animo submitto.*